Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Immanuel Hoffmann Tobias Gottfried Hegelmaier

Immanuelis Hoffmanni Ling. Græc. In Acad. Tub. Prof. P. O. Et Ill. Sem. Theol. Ephori Demonstratio Evangelica Per Ipsum Scripturarum Consensum In Oraculis Ex Vet. Test. In Novo Allegatis Declarata

Tomus Primus

Tubingæ: Typis Et Impensis Georgii Henrici Reisii, [1773]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324

Band (Druck) Freier Zugang



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0001
DFG

Fg - 4887.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0002
DFG

Joh. Bachmann
Ropack 1859.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0003
DFG

IMMANUELIS HOFFMANNI

LING. GRÆC. IN ACAD. TUB. PROF. P. O. ET ILL.
SEM. THEOL. EPHORI

DEMONSTRATIO EVANGELICA

PER IPSUM
SCRIPTURARUM CONSENSUM
IN ORACULIS
EX VET. TESTAMENTO IN NOVO ALLEGATIS
DECLARATA

EDIDIT
OBSERVATIONIBUS ILLUSTRAVIT
VITAM AUCTORIS
ET
COMMENTATIONEM
HISTORICO-THEOLOGICAM
DE
RECTA RATIONE ALLEGATA ISTA INTERPRETANDI
PRÆMISIT
TOB. GODOFREDUS HEGELMAIER
COLLEGII BEBENHUSANI PROFESSOR ET VERBI
DIVINI MINISTER.

TOMUS PRIMUS.

TUBINGÆ,
TYPIS ET IMPENSIS GEORGII HENRICI REISII.
(1773)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0005
DFG

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

1922.8.1214-16.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0006
DFG



L. B. S.



Quod ante hos triginta annos, & quod excurrit, JOACHIMUS OPORINUS, *magni nominis Theologus Göttingensis, desiderabat, cum in* Diss. de Firmitate ac Inspiratione divina Demonstrationis Novi ex V. T. Evangelicæ *p.* 31. *scriberet:* „ *Negari omnino nequit, quod partim a laudatis Viris multa relicta sint, partim etiam requiratur specialior omnium illorum Parallelorum conciliatio,* — *si quis* Demonstrationem Novi ex V. T. Evangelicam *per omnia firmam esse contra Adversarios propugnaverit* „: *illud ipsum opere* Hoffmanniano, *quod Tibi B. L. eodem* Demonstrationis Evangelicæ *titulo inscriptum offero, ut præstitum sit, cum privato tum publico Ecclesiæ nomine quam vehementissime opto. Neque vana spe deludi mihi videor, præstitum esse, quantum per argumenti naturam præstari potuit, quia particulæ nonnullæ Operis, ab Ipso Auctore singulatim publicatæ, applausu Eruditorum satis optabili exceptæ fuerunt.*

At, ais, Posthumum *opus est, quod offers; cujus generis scripta quid plerumque valeant, satis constat. Obit Vir eruditus, & Defuncti schedas quascunque,*

cunque, ne ipsi quidem valde probatas, colligunt, demirantur, laudant & prelo committunt, qui suo id jure facere posse sibi videntur; modo adsit, vel exquiri, vel exorari tandem possit, qui sumtus ferat: cætera vero omnia, quæ quam maxime sub censum venire debebant, consilium tam bellum, tamque laudabile ne morari quidem possunt.

Centies ita factum esse, absit ut negem; idemque fieri facile potest in Posthumis, quorum Auctores, dum viverent, ipsi edendis Libris delectabantur, & sterilem litterarum annum putabant, quem sui ingenii fœtu uno alterove non locupletassent. Noster, quamvis curate & studiose elaboraret, quæ Auditoribus proponebat, ab ista tamen scriptis inclarescendi cupidine adeo remotus erat, ut ne amicis quidem aurem præberet, à quibus de edenda hac ipsa Demonstratione Evangelica vice non una compellabatur. Obstitit B. Viro nescio quid, quo minus, quæ & sibi & aliis probarentur, cum orbe erudito communicaret, nisi forte officii ratio postulabat, ut Auditoribus quibusdam studiorum specimina edituris operas suas commodaret. Neque jam Allegata hæc in lucem prodirent, nisi plures fuissent, quorum desiderio satisfaciendum omnino videbatur.

Sive vero maxime, sive minime opportuno tempore prodire illa dicas, utrumque vere dixeris. Etenim cum pæne rideantur, qui ultra naturæ & rationis præcepta moralia in Christianismo quidquam inveniunt; cum V. T. scripta parum admodum, seu nihil ad nos jam pertinere dicantur; cum Prophetiarum de Christo sensus ac ipsa notio eo deprimatur, ut, quæ de aliis dicta atque intellecta olim fuerint, absque certo fundamento ad Jesum Nazarenum & res N. T. translata tantum esse perhibeantur; & quæ sunt alia, in quibus adeo sibi placent nostri seculi homines: per se patet, tempore minime opportuno in lucem publicam prodire Demonstrationem hanc Evangelicam.

Liceat vero ex iisdem rationibus inferre, prodire illam tempore quoque maxime opportuno. Nondum enim, quæ Dei gratia est, eo res devenit, ut arena quasi cedendum, nec præter suspiria & gemitus quidquam reliquum sit, quo bonam causam tueamur. Stat etiammum, stabitque princeps illud pro Religionis christianæ veritate argumentum è vaticiniis eorumque complemento deductum; stant itaque etiam illa omnia, quæ vel illi præstruuntur, vel exinde consequuntur. Nullo ergo tempore inutilis labor videri potest, qui in illustrando,

do,

do, confirmando, vindicando illo ipso argumento versatur. Fore itaque satis multos & pios & eruditos Viros, quibus hoc de Allegatis *opus minime ingratum erit, non modo spero, sed pro certo etiam scio.*

Num vero accurate satis & debito subsidiorum apparatu instructus B. Auctor illud elaboraverit, meum non est judicare. Hoc unum confirmo, si tanto aptior paratiorque Allegatorum *Interpres sit, quanto plures annos in scrutandis scripturis consumserit; non multos fore, qui* Nostro *palmam præripiant, cum per omnem ætatem Scripturarum scrutinium & primam & ultimam curam habuerit, eidemque scopo reliqua studia omnia attemperaverit, quæ facere illuc quoquo modo poterant.*

Prævideo autem nonnulla, quæ desiderari posse videbuntur. Erunt, qui recentissimas quasque circa unum alterumve Allegatum *Virorum Doctorum Observationes deesse in hoc opere ægre ferent; quod necesse erat, cum ipsi fateamur, non ultimos demum vitæ & muneris academici annos Virum Beatum huic labori impendisse, qui neque supplevit supplenda, quod facile fuisset, quia de edendo illo nunquam cogitavit. At neque argumento huic generatim considerato multum novæ lucis recentius affusum fuit, & quæ in singulis, iisdemque admodum paucis,* Allegatis *ab his illis dicta fuerunt, neque valde probanda omnia, neque ab alio nunquam dicta sunt. Fieri potest, ut instituta pleniore Lectionum Variantium, hebraicarum etiam, collectione, & accuratiore Versionum, Syriacarum inprimis, locorumque a Patribus cujuscunque Ecclesiæ citatorum collatione una alterave difficultas facilius tollatur, Conciliatio certe inter V. & N. Test. Scriptores minore negotio adstruatur: Sed quis de messe glorietur, cui sementis facta nondum est? Ut nihil dicamus, quam incerta ac dubia spes illa adhucdum omnis sit. Præterea, quantum nobis quidem licuit, hoc ipsum desiderium expleviſſe quodammodo putamus in* Notis, *quas sparsim subjecimus, & porro subjiciemus, si istæ non plane displicuerint intelligentibus.*

Erunt etiam, quibus inter hæc Allegata *ejusmodi loca occurrent, quæ ipsi nunquam in eorum numerum cooptassent; alii contra hunc illumve locum pro* Allegato *habitum non fuisse dolebunt. Verumenimvero in his placere omnibus, nemini datum existimo. Ecquis numerum unquam iniit, vel inire audebit locorum, quæ consentiente Interpretum ordine non toto, sed potiore tantum,*

inter veri nominis Allegata *referri debeant, quæ minus? Nemo hoc, nisi rerum parum gnarus unquam postulabit. Etiam, si in* Allegatis *his quædam Oracula compareant, quæ alii non inter ea retulerint; illorum tamen plenior evolutio & hos & illos juvabit. Dissentiant circa* Applicationem, *quibus ita videbitur;* Conciliatio *profecto, si plana, facilis, nec longe quæsita sit, nil habebit, quo offendatur, quicunque divinam Scripturarum auctoritatem tuetur, adeoque etiam Veteris ac Novi Test. Harmoniam defendendam putat. Nemo tamen hæc ita interpretetur, quasi causam nostram deseramus. De plurimis enim certum nobis judicium est; de paucis quibusdam ancipiti forsan Marte pugnaremus.*

Erunt denique, qui Nostrum *auctoritatibus nimium tribuisse dicent. At quam dignum laude hoc videretur, si recentissimos quosdam Scriptores unice duces secutus fuisset. Qui enim quam maxime, abjicienda esse auctoritatis præjudicia, clamant, duorum plerique triumve Magistrorum in verba videntur jurasse. Bonos vero antiquos illos venerari, hoc jam pæne ignorantia ducitur. Sed dicamus, quod res est: Rationes ponderavit* Noster, *non vero Nominum celebritatem, adeo, ut neque sanctitatis odorem, si ita placet, curaret. Factum ita est, ut in uno* Allegato *auctoritatem desereret, quam in altero secutus est, quod, si quid aliud, manifesto argumento esse debet, Eum suis oculis vidisse, nec personas spectasse, sed causas. Quam Ipsius mentem uti plane, dum viveret, perspeximus, etiam nobis licere putavimus, ab Eodem uno alterove loco modeste dissentire. Cæterum qui Antiquorum auctoritatem hac in causa vilipendit, ignorare fere debet, Recentiores, quod jam monuimus, neque multis neque splendidis valde accessionibus argumentum hocce locupletasse.*

Dixi, quæ de Demonstratione Evangelica *dicenda habui, quibus hoc unum addo, me in exhibenda Versione LXX. semper Editionem Breitingerianam secutum fuisse. Liceat de eo, quod meum est, pauca subjungere.*

De Notis, *quas illustrationis maxime & confirmationis gratia dedi, quantum satis videtur, dictum est. Jam transmissæ illæ erant ad operas typographicas, cum ad conscribendam* Commentationem Historico-Theologicam *me accingerem. Ex hac itaque judicari volo, si qua forte in re, quæ prius, & quæ posterius meditatus fui, non plane videantur consentire.*

Si

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0010
DFG

Si Scripta numerentur, quæ dudum de Allegatis *prodierunt, partem plurimam a nobis recensita, nec minus perlustrata; pronum est judicare, me nullo pæne negotio opella hac defungi potuisse. Sed contrarium expertus fui. Mox equidem sentiebam, facillimum esse ad alterutrum extremorum delapsum; ab utroque vero multæ eædemque gravissimæ rationes me revocabant. Medium igitur tenendum erat; sed ita hoc tenere, ut non incerta fluctuaret tota Tractatio, sed haberet, unde exiret & quo tenderet, hoc opus erat, hic labor. Loquor de meo sensu, certe non ambitiose, neque invidens exercitationibus. Nolit vero judicare, nisi qui in rem præsentem descenderit.*

Constat, pæne omnes, qui antehac Allegata *sibi tractanda sumserunt, vel in constituendis eorum classibus, vel, qui plurimi erant, in exponendis singulis occupatos fuisse. Qui prius fecerant; usui in quibusdam nobis erant: qui posterius; nihil ad nostrum institutum pertinebant, cum hæc in* Demonstratione Evangelica *essent acta, cujus Compendium dare animus non erat. Ad summam vero vim* Allegatorum *revocare, sive, si placet, systematico ordine, quantum rei natura patitur, exponere, ne quidem opus esse olim videbatur, cum non essent, qui contra dicerent. Omnibus satisfactum erat, si, quæ in singulis offendebant, ita explicabantur, conciliabantur, ut offendiculo amplius esse haud possent.*

Hæc cum nostris temporibus non jam convenirent, de fundamento dispiciendum erat, cui tota Tractatio inniteretur. Num firmum satis sit, quod Cap. I. posuimus, aliorum judicio relinquimus. Qui animum ab omni præconcepta opinione vacuum ad ejus lectionem attulerit, facile assentietur. Qui priora his & clariora tradere noverit, dociles nos gratosque experietur.

Cap. II. & III. copiosius ac planius exposuisse putem, ac plerumque factum est, diversas Allegatorum *classes & discrimen, quo* Allegatio *differt ab* Accommodatione.

Cap. IV. Modestiam ac lenitatem non magis curæ habui cordique quam veritatem ipsam, qualem ego post solicitam meditationem cognovi. Præter meritum hunc male, illum bene audire existimavi. Qui aliter sentiunt, suo vicissim sensu abundent.

)( )(

In

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0011
DFG

In reliquis Capp. plus subsidii inveni apud eos, qui ante me hanc causam perorarunt. Tribuat sibi quisque, mea pace, quod suum est.

En Benevole Lector! Instituti mei rationes pæne universas, quas communicare Tecum volui; non ut de me verba multa facerem, sed ut scires, me solicite & non sine timore in hac causa versatum fuisse.

Si quædam modeste ac erudite ad hanc primam Demonstrationis Evangelicæ *Partem monebuntur, reliquæ duæ multum exinde lucrari poterunt.*

Ei, cujus sanctissima Religio per has ipsas argumentationes e prophetiis petitas primum stabilita fuit, atque in hunc usque diem adversus omnes omnium impetus invicta stetit, honor sit & gloria in æternum.

Scripsi Bebenhusæ Cal. Jul. MDCCLXXIII.

MEMORIA
IMMANUELIS HOFFMANNI

LINGUÆ GRÆCÆ IN ACADEMIA TUBINGENSI
PROFESSORIS P. O.
ET ILL. STIPENDII THEOLOGICI
EPHORI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0013
DFG



Si, qui publico docendi munere in Academiis funguntur, hoc uno nomine, modo faciant, quod officii eſt, de humana ſocietate optime merentur; quia beneficium, quod juventute ad bonas artes formanda in Rempublicam confertur, omnium facile princeps ſuo jure habetur: illi profecto, quibus non tantum humanarum divinarumque rerum cognitione imbuendi, ſed etiam moderandi regendique traditi ſunt juveniles animi, aureola, quod ajunt, omnino dignandi videntur.

Fieri enim poteſt, ac plerumque fit, ut quæ quisque inſtituta eum ſequi viderit, cujus ab auctoritate ipſe pendebat, eadem & ſibi ſequenda exiſtimet, eidem forte, ſimilive muneri admotus. Quare quæ bene & quæ ſecus adminiſtrata fuerunt, in plurimorum, de quibus nemo cogitaverit, ſive utilitatem vergunt ſive damnum. Alios recte, præpoſtere alios agere novimus, eadem prorſus ratione, qua illos uti viderunt, quorum curæ & moderamini fuerunt concrediti.

Accedit his, ſi ab iſto imitandi ſtudio, homini prope congenito, animum abducamus, quod in ſingulis, quos regere ac formare jubemur, ſexcentis modis peccare poſſimus, niſi caute admodum & ſobrie in hocce negotio verſemur. Non omnibus omnia conducunt: quæ alium excitant, alium deprimunt; hic modice movetur, quibus ille percellitur; ſunt, qui regi amant; ſunt, qui monitori valde ſe aſperos præbent, quo tamen quam maxime habent opus; & quæ ſunt alia. Itaque & ſe & alios pernoſſe, &

quam quævis animi indoles culturam sive postulet, sive admittat, plane perspexisse debet, qui ita juventuti præesse vult, ut impleatur spes, superetur etiam quandoque, quam pro varia naturæ bonitate quisque dederit.

Neque minus ea res difficultates habet, ubi lege definitum est, quidquid a nobis proficisci posse videatur. Nondum enim datum est hominibus, ita hac in re sancire, ita decernere, ut in infinita ingeniorum varietate neque addi quidquam, neque demi unquam debeat. Quis inter parentes, & virtutis & sobolis æque amantissimos, hoc sibi sumet, idem, quod proposuit, institutum constanter persequi? Facile experimur, non eadem nobis semper & ubivis licere, si sapienter, si amice, si utiliter facere velimus.

Gravissimam itaque jacturam faciunt, quibus par tanto oneri Vir eripitur; at fecit eam procul dubio superiore anno Illustre Stipendium Theologicum Tubingense, cum IMMANUEL HOFFMANN, *Linguæ Græcæ Professor P. O. & ejusdem Stipendii Ephorus*, fato fungeretur, cujus vitæ rationes breviter exponere constitutum habemus.

Hoffmanni Familia, multis hodie variisque generis ornamentis conspicua, nova pæne inter nos, & ab exteris, mira Dei providentia, ad nos translata est.

GEORGIUS HOFFMANN, Straupitii proxime Hirschbergam, nobilissimam Silesiæ urbem, Anno MDCXXIV. natus, grassante bello tricennali, cum matre vidua, ut cum vitæ tum religioni fuga & exilio caverent, fere adolescentulus patria excessit, Parente, GEORGIO HOFFMANNO, qui Vratislaviæ primum, postea Hirschbergæ pannis lineis mercaturam fecerat, a turma hostili misere trucidato. Et Matrem & Filium sive ferro sive fame æque periisse familiares credebant, qui Hirschbergæ remanserant, donec elapso integro seculo resciscerent, numerosam *Georgii* posteritatem in Wirtenbergicis florere. Exules Argentoratum suscepit, ubi honoratiorum familiarum filiolas erudiendo Mater honeste vitam sustentabat; Filius autem litteris animum imbuebat, simul vero rei musicæ aliquid temporis dabat, qua, multum eum excelluisse, satis evincunt, quæ mox dicentur. Obiit Mater Argentorati, unde avocare Eam, multis quippe multorum beneficiis obstrictam, neque Filius poterat, postquam lautiore fortuna in Wirtenbergia uteretur.

Acci-

Accidit enim, ut, cum Eberhardus III. Wirtenbergiæ Dux, qui ob eosdem tumultus bellicos Argentoratum se receperat, *Hoffmannum* mira arte testudinem tractantem audiisset, Eumque exulem Silesium, moribus honestum ac pium, litteris quoque non parum excultum, paucis, Ducali patrocinio haud indignum esse, plures confirmassent; Celsissimus Princeps, quo erat in omnes, qui religionis causa exulabant, pio ac benefico affectu, meliorem Ipsi conditionem stabilemque fortunam clementissime promitteret, si quando restituta pace suis Ipse provinciis redditus fuerit. Memor quoque promissi Magnanimus Princeps *Hoffmannum*, qui Cornitum quorundam Silesiorum studia Argentorati interim moderabatur, circa Annum MDCLVIII. ad se advocavit, & *Illustris Consistorii Ducalis & Expeditionum in Senatu Ecclesiastico Consiliarium* esse jussit.

Ita neque *Hoffmannos*, uti nec *Weismannos*, *Stockmaieros*, aliosque complures, in suis civibus numeraret celebraretque Wirtenbergia, nisi pressa, vel etiam oppressa in Silesia, Moravia, Austria, purior religio fuisset, piæque illæ animæ vel sponte exire, vel ejici patrio solo maluissent, quam ad pristinos Papatus errores deficere. Ita vero quoque optimi Servatoris dicto sua etiamnum veritas constat, redditum nobis iri locupletissime, quæ propter Nomen Ipsius amiserimus.

Hoc GEORGIO HOFFMANNO Patre, & Matre ANNA CATHARINA, HIERONYMI KLOEPFERI, *Jcti & Reip. Suevo-Halensis Syndici*, Filia, natus fuit die XIII. Maii MDCLXIX. GODOFREDUS HOFFMANN, *SS. Theologiæ Doctor & Professor in Academia Tubingensi P. O. Ecclesiæ Collegiatæ Decanus & Stipendii Theologici Superattendens Primarius*, qui primam Conjugem sibi junxerat SUSANNAM DOROTHEAM, JOH. JAC. BAURII, *Jcti & a Consiliis Justitiæ & Regiminis*, Filiam, eandemque JOH. GODOFREDI HOFFMANNI, *Ill. Gymnasii Stuttgardiani Professoris*, & DANIELIS HOFFMANNI, *Medicinæ Doctoris & in Academia Tubingensi Professoris P. O.* utriusque pridem defuncti, Matrem, ac per alterum hunc Filium Viri Illustris GODOFREDI DANIELIS HOFFMANNI, *Jcti & Juris Publici* hodie *Professoris P. O.* Aviam; secundis vero nuptiis tori sociam adscivit ANNAM MARGARETHAM, PHILIPPI HENRICI ZORERI, *Jcti & in Senatu Regiminis Rerumque Feudalium Secretarii*, Filiam, & qua *Logices* tum *& Metaphysices*

Professor P. O. & Stipendii Theologici Ephorus tertium Filium suscepit IMMANUELEM HOFFMANNUM die XVI. Aprilis MDCCX.

De prima *Nostri* juventa nihil dicimus; quam egregias autem ingenii dotes mature prodiderit, vel ex eo judicare licet, quod post tres fratres natu majores, eodem beneficio jam gavisos, quod non nisi uni inter plures fratres impertiri solet, & Ipse in numerum Alumnorum Ducalium in Illustri Stipendio Tubingensi receptus sit, annum vix agens decimum quartum; nunquam recipiendus, nisi, transmissis etiam Stuttgardiam varii generis speciminibus, ne Parentis meritis tribui viderentur, quæ Filii præmia essent, spem de se fecisset plane singularem.

Neque illa fefellit: Adeo enim strenue, tamque felici successu cursum philosophicum emensus est, nactus Præceptores, Viros celeberrimos, *Joh. Eberhardum Rœslerum*, *Joh. Conradum Creilingium*, *Georg. Bernhardum Bilfingerum*, *Joh. Christianum Klemmium* & *Danielem Maichelium*, ut, cum Anno MDCCXXVIII. Laureæ secundæ honores caperet, secundum inter XXXIV. Candidatos locum obtineret.

Ad Theologica studia jam transiens nihil magis, ut par erat, in votis habebat, quam ut ab Optimi Parentis ore sibi continuo pendere liceret. Sed aliter Deo visum fuit, qui, cum vix à limine *Noster* Theologiam salutasset, cordatum illum, multoque rerum usu exercitatum Theologum, diuturno morbo conflictatum, die IX. Dec. ejusdem anni MDCCXXVIII. corporis tandem vinculis solvit, Filium vero, hoc Præceptore orbatum, tanto validius ad se & intimiorem Spiritus S. disciplinam pertraxit. Qua præparatus munitusque *Noster* studii theologici campum fidenter ingressus est, eo unice annitens, ut ex Scripturis sacris certam dogmatum theologicorum veritatem sanctissimæque religionis præcepta, amico & necessario connubio juncta, hauriret. Neque enim adhuc quispiam somniarat, mirum quantum distare Theologiam a Religione christiana, ea quidem ratione, ut, quod hodie fit, hæc sola pure divina, illa humani magis ingenii inventum videretur. Admirationem profecto, uti dolorem, movere debet, quod, cum Philosophi omni vi allaborassent, ut voluntatem humanam intellectus imperio subjicerent, ne cœcum quid ac fortuito factum in nostra actione deprehendatur; inveniantur hodie, qui voluntate satisfieri religioni posse dicant, etiamsi parum vel nihil certi & accurati habeat intellectus, quod flectendæ illi ac regendæ possit prælucere. Ita per circulos

culos erramus miseri mortales, eodem forsan puncto, nisi Deus caveat, post aliquot lustra hæsuri, quo eramus, cum pii & docti Reformatores docere inciperent, secundum plenam certamque cognitionem e solo verbo divino haustam, non ex impetu quodam, pio viso, at in se cœco, Deum colendum esse.

Habuit vero *Hoffmannus* in Theologicis Præceptores, æterna laude dignos Viros, Cancellarium Universitatis, D. *Christoph. Matthæum Pfaffium*, D. *Christianum Eberhardum Weismannum* & D. *Christianum Hagmaierum*, quarum ab institutione quamquam sedulus pendebat, nihil tamen agere arbitrabatur, nisi privata meditatione in succum & sanguinem, quæ audiret, pie converteret.

Elapso triennio, quod cursui theologico impendere tenentur Serenissimi Wirtenbergiæ Ducis Alumni, publicum profectuum specimen *Noster* edidit, & Præside D. *Weismanno*, cujus inprimis non præceptis modo, sed exemplo quoque formari volebat, Dissertationem defendit, cui Titulus est: *Rabulismi Exegetici Partis Sociinianæ à L. M. Artemonio continuati & aucti specimina. Tub. MDCCXXXI.* quo facto Stuttgardiam vocatus fuit ad subeundum solemne coram Illustri Consistorio Wirtenbergico Examen, quo tentari solent, quicunque ad Ministerium ecclesiasticum, etiam vicarium, in Patria admitti volunt. Qualem hic se præstiterit *Noster*, & quantum probaverit se Ecclesiæ Antistitibus, vel id documento esse potest, quod in ipsa Metropoli Fratris JOH. GODOFREDI HOFFMANNI, in Ecclesia Cathedrali tum Archidiaconi, vices explere juberetur. Ita vero his fungebatur, ut studia academica, quibus totum se dicaverat, ultra persequeretur.

Mense Augusto MDCCXXXIII. Magistri Repetentis in Ill. Stipendio munus Ipsi collatum fuit, quo Theologo juveni Wirtenbergico, qui in litteris vivere amat, optabilius quidquam magisque proficuum obtingere vix potest. Etenim non tantum optime sic ipsi occasio offertur, doctrinæ thesauros, si quos congessit, publice expromendi, sed etiam animi humani & prudentiæ illius, quam in regendis aliis sequi fas est, cognitionem sibi comparandi, multo postea, ubi res ferat, usui futuram.

Huic officio, semel facta trimestri intercapedine, cum Uracum mitteretur ad vicarias operas ibi præstandas, mira animi alacritate per integrum fere triennium satisfacere allaboravit, donec eædem vices, quæ Ura-

Uracum Eum avocarent, in ipsa Metropoli obeundæ Ipsi essent. Qualis hic visus fuerit, dicere nihil attinet; certum vero est, non semel de Eo inter Ministros Ecclesiæ Stuttgardianæ cooptando cogitatum deliberatumque fuisse.

At Uracensi cœtui, quem jam cognorat, divina providentia Eum destinaverat, cujus Diaconia, Anno MDCCXXXVIII. accepta, tres annos defungebatur, omnium amorem favoremque plane eximium expertus, ita ut ægre ab illis divelleretur, cum Anno MDCCXLI. ad Diaconiam urbis patriæ Tubingam transferretur, quo in officio, ab inferiore ad superiorem ejus gradum Anno MDCCLII. evectus, integra tria lustra transegit.

Hic eum se gessit, quem & primi & ultimi ordinis cives desiderabant: Verba in concione sacra ita fecit, ut litterati non minus quam illiterati auditores applauderent; ægrotanti nemini defuit; pauperum curam solicitam habuit; aliis quoque quorumcunque desideriis uti patulas aures, sic animum amoris & consilii plenum præbuit. Neque ita officio sibique satisfeciisse putavit, sed, quo Ipse in SS. litteras affectu flagrabat, eodem & alios incendi cum vellet, scholam privatam ad augendam Scripturæ intelligentiam aperuit, & per plures annos prælectionem vernaculam exegetico-asceticam habuit, qua Evangelium Matthæi & Johannis & Paulinas Epistolas ad Rom. utramque ad Cor. ad Gal. Ephes. Philipp. & Col. explicavit, ea quidem methodo, ut tum Studiosi Theologiæ, qui frequentes aderant, tum cives honestiores, à litteris alieni, utrique abunde haberent, quo animum pascerent. Exstitere plures, qui hasce meditationes, curate elaboratas, vel sibi describendas flagitarent, vel prelo committi vellent; sed constanter renuit Vir Beatus, ideo maxime, quod verum earum pretium, de quo Ipse tamen modeste sentiebat, ex illo uno visus puncto æstimari debeat ac possit, in quo universa instituti ratio, non omnibus cognita Ipsum collocarit.

Sub finem A. MDCCLVI. Ill. Stipendii Theologici Ephoria cum Linguæ Græcæ Professione P. O. *Nostro* clementissime demandata est; quod utrumque Munus cum mox post ingressum sequentis anni auspicaretur, primum à Splendidissimis Sereniissimi Ducis Legatis coram Illustri Stipendio productus est, postea & alterum habita Dissertatione Inaugurali

de

de stilo Apostoli Pauli ex 2 Ep. ad Cor. XI. 6. & Oratione solemni de Pietate Critica rite capessivit, totumque se jam & huic & illi tradidit.

In administranda Stipendii Ephoria hanc maxime legem sequebatur, ut, quoad ejus fieri posset, ratione potius & amore, quam metu ac duriore animadversione, juvenum animos regeret. Hinc in eo tempus studiumque omne ponebat, ut, quantum quisque boni vel haberet vel polliceretur; quomodo servari augerique illud, oppositum vero vitium emendari & eradicari possit, & illis & sibi manifestum fieret. Quam ob rem facillimi accessus erat, ut vix dies abiret, quo non unus alterve Ipsum conveniret, & sive de studiorum suorum ratione optime instituenda, sive de pietatis sensu vel excitando vel nutriendo, sive de rebus etiam domesticis, consilium ab Eo peteret. Qui vero apparere jubebantur, etiam qui peccasse se norant, confidenter tamen ac bono animo accedebant, quod certum haberent, se non afflictos & depressos, sed paterne monitos erectosque redituros. Monstrum enim hominis sit necesse est, qui, cum periclitatur, servari nolit, Auctoremque salutis amandum non putet.

Quæ muneris academici erant, strenue obibat; cumque in Novi maxime Testamenti interpretatione philologico-critica versaretur, observationes suas studiose elaboratas Auditoribus dictabat, ut haberent semper, quo in studiis privatis adjuvarentur. Hoc si scopo ac fine prælectiones academicæ Auditorum calamo excipiendæ proponuntur, eædemque ipsæ tantum subsidii continent, quantum possunt ac debent; nil video, quod reprehendi in isto quorundam more possit, cum profecto non omnium sit, liberum, uti vocant, Præceptoris discursum plene capere, & post aliquot dies, ne dicam multos annos, adhuc tenere, & in usum suum convertere.

Ad Ephoriam Illustris Stipendii admotum *Nostrum* eadem domus excepit, in qua primum hanc vitam vivere cœpit, & ab isto tempore, non semel Eum dicere memini, in eadem quoque finem illius sibi fore. At persuasere tamen Viro, ultra sexaginta annos provecto, incommoda nonnulla, ut mense Martio MDCCLXXII. Abbatiam Hirsaugiensem ambiret, ea quidem conditione, ut Tubingæ Ipsi manere, ac juventutis academicæ studiis etiamnum pro viribus inservire liberum esset. Non enim nisi tale otium decebat Virum, per omnem vitam otii impatientissimum. Sed brevi post intellectum est, cur voti compotem Eum fieri Deus no-

luerit, quod Ipse quoque animo tanto æquiore, grato adeo, tulit, cum multis nec fucatis speciminibus certior fieret, quam ægre Ipsum dimissuri fuissent, quibus per quindecim annos præfuerat, & fidem suam candoremque testatum fecerat.

At dimittendus tamen erat, avocante Deo. Quamquam enim à pluribus inde annis valetudine haud infirma utebatur, sæpius tamen catarrhalibus defluxionibus obnoxium se sensit, quo morbi genere mense Majo dicti anni iterum correptus fuit, ita tamen, ut satis bene habere, neque præsenti alicui periculo expositus esse videretur. Subito tamen aliter res cecidit: Die enim ejusdem mensis XXVII. versus vesperam pectoris constrictione & angore invasus insomnem noctem egit, eademque symptomata a meridie sequentis diei ea vehementia recurrebant, ut malum in horas augeretur, præsentissimamque suffocationem minaretur. Medicus quidem, & officii & amicitiæ satisfacturus, omnia artis subsidia tentavit; accersitus quoque fuit amantissimus *Nostri* Frater, ex pluribus unus superstes, GOTTL. HOFFMANN, *Med. D. & Præfecturæ Herrenbergensis Physicus Ordinarius Experientissimus*; at frustra: Vespere enim ipsius diei, qui memoriæ Optimi Servatoris in cœlos sublati sacer erat, exspiravit, subita quidem morte, at placida tamen & pæne prævisa; ex quo enim ætatis annum LXIII. ingressus erat, omnem fragilitatis humanæ & adventantis senectæ sensum mortis prænuncium ducebat. Quare nec imparatum mors Virum opprimere potuit, qui longam ejus meditationem fecerat, & in ultimo conflictu, quantum loquelæ facultas esset, unice fidei in Christum præstantiam ac vim, & infinitam Dei, quam per omnem vitam expertus sit, benignitatem prædicavit.

Vitam egit cœlibem. Quum enim Diaconiæ Uracensi primum præficeretur, valetudine sibi videbatur tam dubia uti, ut paulo longioris vitæ spem pæne abjiceret, adeoque, viduarum sortem miserans, a conjugio sibi abstinendum putaret, cujus consilii etiam postea nunquam Eum pœnituit. Neque tamen defuerunt, quos paterno affectu amaret, curaret, juvaret, sibi abstinens & parcus, largus in alios.

Fasces academicos semel gessit, aliquoties gesturus, nisi concatenati Ephoriæ labores honorificum istud onus dissuasissent. Facultatis Decanum ter egit, & semel Collegii Deputatorum, cui universa Academiæ œconomia subest, per triennium, ut moris est, Assessor fuit, & ubique, uti dex-

dexteritatem, sic integritatem eam præstitit, quam exspectaveris à Viro, qui non sibi, sed aliis natus esse voluit.

Scripta nulla edidit, præter Dissertationes ab Auditoribus quibusdam, Magisterii philosophici Candidatis, expetitas, quorum desiderio & lubenter & studiose inserviebat. Sunt illæ, præter *Inauguralem* supra memoratam, sequentes:

1. *Diss. Academica de Oraculo Zachariæ Matth. Cap. XXVII. v. 9. 10. allegato.* MDCCLIX.
2. *Oraculum in Evang. Lucæ Cap. IV. 16 - 21. ex Jes. Cap. LXI. 1. 2. citatum ac Notis philologico-criticis illustratum.* MDCCLX.
3. *Observationes Philologico-Criticæ ad Periocham 2 Pet. I. 16-21.* MDCCLX.
4. *Philologema Sacrum in Oraculum Ep. ad Rom. Cap. X. 5-8. complectens Allegatum ex Lev. XVIII. 5. & Parodiam ad verba Mosis Deut. XXX. 11 - 14.* MDCCLXII.
5. *Diss. Philologico-Critica, qua Loca N. T. 2 Pet. II. 9 - 13. & Ep. Jud. v. 8 - 10. per continuam* Ανάκρισιν & Σύγκρισιν *expenduntur.* MDCCLXII.
6. *Diss. Philologico-Critica in duo Allegata N. T. e pluribus uno locis V. T. petita. Rom. XI. 8. & 26. 27.* MDCCLXIII.
7. *Diss. Academica in Oraculum Ps. XCV. 7 - 11. a Paulo Ep. ad Hebr. Cap. III. 7 - 11. citatum, & ejusdem Cap. v. 12 - 19. & Cap. IV. 1 - 13. prolixe applicatum.* MDCCLXIV.
8. *Diss. Philologico-Critica in Allegata quædam Cap. I. Ep. ad Hebr. intuitu partim Allegationis, partim Applicationis maxime controversa.* MDCCLXV.
9. *Observationes Philologico-Criticæ in Oracula V. T. Hos. II. 1-25. & Jes. X. 22. 23. à Paulo Rom. IX. 25 - 28. citata.* MDCCLXVI.
10. *Commentatio Philologico-Critica in verba Pauli 1 Cor. I. 19. 20. & 31. Allegatum ex Jes. XXIX. 14. & Parodiam ad Jes. XXXIII. 18. iterumque Allegatum ex Jer. IX. 24. exhibentia.* MDCCLXVI.
11. *Diss. Philologico-Critica in Oraculum Act. II. 25-28. ex Ps. XVI. 8-11. citatum.* MDCCLXX.

12. *Diss. Philologico-Critica, sistens Paulum Apostolum scripturas profanas ter allegantem, nec tamen in omni literatura Græca versatissimum.* MDCCLXX.

13. *Observationes Philologico-Criticæ in Pericopam Ep. Jacobi Cap. III.* 1-12. *de Moderamine Linguæ.* MDCCLXXI.

Præter Dissertationes hasce scripsit *Programmata* sex, quibus, cum Decanus Facultatis esset, tum primæ tum secundæ Laureæ Candidatos annunciavit commendavitque. Non sunt illa rerum vacua, ut præter numerosum verborum ambitum nihil Lectori offerant; sed gravius pleraque argumentum aliquod e. g. *de Antiquitatum studii in Interpretatione N. T. certo & recto usu, de Linguarum notitia Theologo necessaria* &c. quanto brevius, tanto nervosius exponunt.

Potiori vero etiam jure nominari merentur *Theses*, ut vocantur, *Inaugurales*, singulis annis in materiam solemnis Disputationis propositæ. Non enim id agebat Vir Beatus, ut haberetur modo, de quo disceptari posset; sed Thesibus illis singulare aliquod Philologiæ Sacræ caput plerumque comprehendebat, cumprimis, quam de *Allegatis*, singulis etiam, sententiam amplexus esset, hoc modo declarabat, ut medullam ipsius *Demonstrationis Evangelicæ* pagellis istis contineri jure dixeris. Animus est, si commode id fieri possit, ultimo Demonstr. Evang. Tomo *Theses* illas subjicere.

Ita vixit IMMANUEL HOFFMANN, Vir, uti nostra cumprimis, sic Bonorum omnium memoria sempiterna dignus. Deus Ter O. M. cujus Ecclesiæ operam suam Vir Beatus, dum viveret, omnem consecravit, *Demonstrationem* quoque *Evangelicam* utilem multis atque fructuosam esse jubeat.



COMMEN-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0024
DFG

COMMENTATIO
HISTORICO-THEOLOGICA
DE
RECTA RATIONE
DICTA VET. TEST. IN NOVO ALLEGATA INTERPRETANDI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0025
DFG



CAPUT I.

ALLEGANTUR VET. TEST. ORACULA IN NOVO AD VERE PROBANDAM EVANGELII VERITATEM.

§. I.

Cum plurima Vet. Teſt. Oracula in Scriptis Novi Fœderis tum a Chriſto Servatore ipſo, tum a Diſcipulis Ejus, Evangeliſtis & Apoſtolis, allegata inveniamus; principem hac in re quæſtionem jure illam ſtatuimus, qua, *quo ſenſu illa & ſcopo fuerint allegata*, disquiritnr. In ea vero evolvenda hoc quidem Capite ita verſabimur, ut, ignari quaſi omnis controverſiæ, ea tantum ſumamus, & fundamenti loco noſtræ *Commentationi* ſubſternamus, quæ cuivis probare ſe debent, qui animo ſcripturarum reverenti, & a præjudicatis opinionibus libero, ad negotium hocce acceſſerit. Quæ non plene ſeu accurate ſatis hic diſputata videri poſſent, in ſequentibus deinceps ſpecialius exponentur. Sufficiet nobis hic, oſtendiſſe, revera ineſſe Allegatis iſtis vim probandi, eamque abſolutam, non relativam tantum reſpectu certorum hominum; quæ vero num omnibus, an plurimis, an quibusdam tantum inſit? hic non definiëmus.

§. II.

Quotiescunque alius cujusdam Scriptoris dictum allegamus, ejusque allegatione noſtram ſententiam roborare & confirmare volumus, ad id maxime animum advertere debemus, ut certum ſit atque indubium,

 eundem

eundem allegati dicti apud citatum Auctorem sensum esse, quem nos ei tribuimus, & quem habere debet, si quidem ad nostram causam faciat. Nisi enim de hoc constet, nemo jure id a nobis & cum ratione factum esse concedet. Hæc vero ad præsens institutum si accommodemus, per singula V. T. dicta in Novo allegata nobis eundum, & unum eundemque utrobique sensum obtinere monstrandum esset. Id vero cum hujus commentationis ratio & scopus haud admittat, alia nobis via ad metam, quam præfixam habemus contendendum est.

§. III.

Quod ut efficere possimus, unum postulamus, idque a nemine inter Christianos negatum iri speramus, nimirum, sensum dictorum accurate servasse in suis Allegatis Christum & Apostolos, *modo evinci queat, eos vere illis probare, & divinam earum sententiarum veritatem, quarum in gratiam allegarunt, vindicare & voluisse & debuisse.* Nemo contra hæc dicet, nisi qui Christum & Apostolos vel sensum Scripturarum V. T. Ipsos non recte intellexisse, vel, cum intellexerint, recte applicare noluisse, adeoque miseris mortalibus fumos vendidisse, impie criminetur. Neque vero, quod statim monemus, Postulatum illud *ultra statum probationis* extensum volumus. Potuerunt igitur, sensum *non eundem*, sed *analogicum* saltim, servare, ubi non probandi, sed illustrandi tantum gratia allegarunt. Nobis itaque hic quidem loci, plus non incumbit, quam ut doceamus, & *voluisse & debuisse* Christum & Apostolos Allegatis probare. Si quis ita parum contra Judæos & alios Religionis christianæ hostes profecturos nos dixerit, is scopum præsentis tractationis non perpendit. Neque enim id jam agimus. Cum Judæis, sub continua utriusque Testamenti collatione, ad singulorum locorum discussionem omnino descendendum est. Reliqui per alia prius argumenta adducendi sunt, ut fidem habeant Prophetis.

§. IV.

Si qui vero sint, qui Christiani vocari & haberi volunt, nec tamen Propositionis nostræ majoris veritatem concedere; ii planius mentem suam exponant, num Christum, Evangelistas & Apostolos vere divinitus inspiratos, adeoque ab errandi periculo immunes fuisse credant, nec ne? vel, si limitationem aliquam hic adhibendam putent, num eo usque illos deprimant, ut vel ignorantiæ eos arguant in legibus, quas demonstratio sequi debet, qua in re, sepositio tantisper nostro argumento,

facile

facile refelli poterant; vel adeo veritatis incurioſos fuiſſe cenſeant, ut ſuffecerit ipſis, populo impoſuiſſe, modo oratores, rerumque novarum Præcones viderentur? Dixerint alii cujuscunque gentis Scriptores, peroraverint, declamaverint, ratiocinati fuerint, prout lubuit: Si Scriptura verbum Dei ſit, ſi modum pandat, quo ad Deum iterum debemus pervenire; ſi eadem fide, quæ Patrum fuit, ſalvari debeamus etiam nos; equidem non dubito, quin ſine erroris periculo in iis omnibus verſati fuerint Evangelii Præcones, quibus vera ſe docere volebant probare.

§. V.

Ut itaque aſſumtum probemus, certo certius eſt, provocaſſe Chriſtum & Apoſtolos ad Prophetarum prædicta, ut confirmarent, eos jam dies illuxiſſe, de quibus illi fuerint vaticinati, & ampliſſimas dederint promiſſiones. Fecerunt id tum *generatim* Matth. XXVI. 56. Marc. XIV. 49. Luc. XXIV. 26. 27. 45. 46. Act. III. 18. 24. X. 43. XXVI. 22. XXVIII. 23. 1 Pet. I. 10. 11. 12. tum *ſpeciatim* Luc. IV. 21. coll. Jeſ. LXI. 1. ſqq. Act. II. 16. ſqq. coll. Joël. III. 1. ſqq. maxime vero, ut probarent JESUM ESSE CHRISTUM, Patribus promiſſum Matth. II. 5. 6. coll. Mich. V. 1. Gal. III. 16. coll. Gen. XXII. 18. quem itaque deſcribunt 1) *ſecundum perſonam*, ut verum hominem, eumque ex virgine natum Matth. I. 18. ſq. Luc. I. 34. coll. Jeſ. VII. 14. ſimulque verum Deum Matth. XXII. 42. ſqq. coll. Pſ. CX. 1. 2) *ſecundum doctrinam*, ejusque contentum Matth. XII. 17. ſqq. coll. Jeſ. XLII. 1. ſqq. & effectum, tam ſiniſtrum ut plurimum inter Judæos Matth. XIII. 13. 14. Marc. IV. 12. Luc. VIII. 10. Joh. XII. 40. Act. XXVIII. 25. ſqq. coll. Jeſ. VI. 9. 10. quam lætiorem inter gentes Rom. XV. 9. ſqq. coll. Pſ. XVIII. 50. Deut. XXXII. 43. Pſ. CXVII. 1. Jeſ. XI. 10. memorato adeo loco ſeu regione, ubi primum illa inclareſcere debuit Matth. IV. 14. ſqq. coll. Jeſ. IX. 1. 2. 3) *ſecundum ipſius facta*, ſi ita loqui fas eſt, tam in *ſtatu Exinanitionis*, quo Præcurſorem in officio habere debuit Marc. I. 2. coll. Mal. III. 1. introire in urbem Hieroſolymam, ſub his, nec aliis circumſtantiis, Matth. XXI. 4. coll. Zach. IX. 9. & tamen a populo ſuo rejici Matth. XXI. 42. coll. Pſ. CXVIII. 22. 23. mortem adeo obire ignominioſam, iterum ſub circumſtantiis plane inſolitis, at prædictis in V. T. Matth. XXVII. 35. coll. Pſ. XXII. 19. Joh. XIX. 28. 29. coll. Pſ. LXIX. 22. Marc. XV. 28. coll. Jeſ. LIII. 13. Joh. XIX. 36. coll. Exod. XII. 46. Joh. XIX. 37. coll. Zach. XII. 10. pro noſtris peccatis 1 Pet. II. 24. coll. Jeſ. LIII. 4. quam in *ſtatu Exaltationis*, quo reſurgere debeat ex mortuis Act. II. 31. coll. Pſ. XVI. 9. 10. & in cœlos ſublatus ſe-

dere ad Dextram Dei Hebr. I. 3. coll. Pſ. CX. 1. tandem etiam 4) *ſecundum Ipſius opera & facta miraculoſa* Matth. XI. 5. coll. Jeſ. XXXV. 5. quæ omnia, licet ſtrictim propoſita, omnino evincunt, Novi Teſt. Scriptores, quæ de Chriſto prædicarunt, Vet. Teſt. oraculis confirmare *voluiſſe*, ac docere, *nihil in Eo contigiſſe, quod non, tanquam Criterium* [a]) *aliquod Meſſiae, praedictum fuerit a Prophetis.* Ipſe etiam Jeſus fidem ſibi tribui noluit, niſi quoad Vetus Teſt. Ipſi teſtimonium exhiberet Joh. V. 39. 46. & incredulis diſcipulis animi tarditatem exprobrans, *a Moſe exorſus & omnibus Prophetis omnem illis Scripturam expoſuit, quae de eo dicta erat*, Luc. XXIV. 26. 27. 45. 46. *& finem habere, quae de ſe ſcripta ſint*, expreſſe aſſerit Luc. XXII. 37. Quo & Apoſtoli conſtanter provocarunt Act. III. 24. X. 43. XIII. 27. 1 Pet. I. 10. ſqq. 1 Cor. XV. 3. 4.

§. VI.

At nemo eſt, qui hæc neget; ſunt enim facta, niſi omnem fidem hiſtoricam Libris N. T. abjudicare quis velit, extra omnem dubitationem poſita. Sed unde novimus, veram probandi vim, qualem alias deſideramus, cum his Argumentis a Chriſto & Apoſtolis prolatis fuiſſe conjunctam? Putem ego, Sapientem Doctorem quemcunque ad placita ſua confirmanda ea ſelecturum argumenta, quibus aſſenſum auditoribus vel invitis extorquere poſſit; immo vero tanto fortiora prolaturum, quanto plus animi & ſubſidiorum ad contradicendum penes eos inveniat, quos ad ſuam ſententiam pertrahere vult. Sapienter egiſſe Chriſtum & Apoſtolos, quis in dubium vocabit? At vero non ii erant Judæi, qui vagis declamationibus, vel dictis argumentationum vim ſaltim mentientibus, victas ſtatim manus dediſſent, & demonſtrationem agnoviſſent, ad minimum nihil repoſuiſſent, niſi veritati debuiſſent cedere. Patebit id, ſi tum ad ingenium populi judaici, ſpemque infinitam, qua ſe lactabant [b]); tum ad Jeſu Nazareni perſonam doctrinamque paulo curatius attendamus, &, quæ vere dicta & facta legimus, non divina, ne nimium hic nobis ſumere videamur, ſed hiſtorica tantum fide vera eſſe admittamus.

§. VII.

a) Ad hoc quam maxime attendi velim. Criterium pluribus commune non eſt Criterium certæ alicujus perſonæ.

b) Hoc ipſo quidem abutitur S. R. D. D. SEMLERUS ad denegandam his Allegatis veram probandi vim, in *Appar. ad Liberalem N. T. Interpretationem p. 94.* quo autem jure, videbimus infra Cap. IV. §. XXV. ſqq.

§. VII.

Hodienum Judæi, quamvis innumera eademque fortiſſima argumenta contrarium ſuadeant, Oeconomiæ Moſaicæ tenaciſſime inhærent, & ad divini fœderis cum Patribus ſuis initi perennitatem conſtanter provocant. Qua quæſo mente eosdem Judæos fuiſſe exiſtimemus, cum Chriſtus & Apoſtoli Novam Oeconomiam fundare inciperent? Hanc ut admitterent, ſi perſuaderi debebant, profecto opus erat argumentis non qualibuscunque, ſed vere ſtringentibus, atque ſimul, quia alia omnia reſpuiſſent Judæi, ex ipſis V. T. Libris ſacris petitis. Qua vero ſpecie Chriſtus & Apoſtoli fidem ſibi poſcere, vel eosdem Libros Judæorum ſacros in rem ſuam vertere potuiſſent, niſi Prophetias eodem ſenſu intellexiſſent, quo easdem intelligebant Judæi? Dabit hoc nobis etiam, qui falſam atque erroneam Judæorum de Prophetiarum ſenſu perſuaſionem fuiſſe dixerit. Falſam vero fuiſſe, argumentis hiſtoricis vinci debet, quod nemo adhuc præſtitit. Contrarium potius patet ex Joh. I. 20. 25. 45. IV. 25. 29. VI. 14. 69. VII. 41. [c]) Falſam quidem eandem fuiſſe in quorundam ejusdem ſubjecti prædicatorum explicatione haud negamus; ſed hoc ad præſentem cauſam non facit; immo, ſi facit, eo ipſo tanto firmior Evangelii demonſtratio a Chriſto & Apoſtolis exigebatur. Cogitemus quæſo, quid illius temporis Iſraëlitæ, plurima ex parte, de Meſſia ſuo exſpectaverint, nonniſi mundanos honores, divitias, victorias & imperia anhelantes; quid & quantum cultui ſuo levitico tribuerint, quem, licet minime improbaretur à Chriſto, ſenſim tamen ſenſimque in deſuetudinem abiturum facile prævidebant Joh. IV. 21. Quo ſupercilio gentes reliquas in mundo univerſas contemſerint, quas ſub nova diſciplina eodem apud Deum numero habitum iri, mox ſentiebant Matth. XII. 21. Quis quæſo tot & tanta præjudicia, in Judæorum animis penitus infixa, abolita eſſe ſeu aboleri potuiſſe dixerit, ſi non niſi vanas quasdam ratiunculas protuliſſent Evangelii Præcones, quibus firmiſſima Judæi argumenta, ex ipſis prophetiis petita, quarum legitimi Interpretes ipſi etiamnum habebantur Matth. XXIII. 2. potuiſſent opponere [d])? Aut itaque omnia nos fallunt, aut ſuis Allegationibus probare quoque *debuerunt* Chriſtus & Apoſtoli id, cujus gratia allegarunt.

§. VIII.

c) Vid. S. R. D. D. LESS *im Beweiß der Wahrheit der chriſtl. Religion p. 268.*

d) Superfuiſſe inter Judæos tempore Chriſti Traditiones de vero Prophetiarum, ſive plurium, ſive pauciorum, ſenſu, vel a Prophetis ipſis, vel ab aliis Viris Sanctis deductas, ipſe CLERICUS agnoſcit in *Not. ad Hamm. ad Matth. II. 15. p. 16.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0031
DFG

§. VIII.

Equidem non miror, si Novi Orbis victores stupidis & tantum non infra humanitatis sensum depressis Americanis nescio, quæ ab omni ratione alieniſſima persuaserint: Id vero persuaderi mihi nunquam patiar, ut Christum & Apostolos Judæorum animos infirmis argumentis expugnasse credam, qui Prophetiarum si non intelligentissimi, certe etiam non ignarissimi, opinionum vero semel admissarum tenacissimi erant. Adde his Ipsius Jesu Nazareni personam, in Judæorum oculis, ita comparatam, ut scandalo nonnunquam esset etiam bene animatis, sed qui iisdem tamen gentis præjudiciis erant innutriti. Joh. I. 45. 47. Et fuere nihilominus, qui abjicerent præjudicia secum nata, & Christo nomen darent, cujus rei, magis stupendæ, quam vulgo videtur, ratio proferri nulla potest, nisi quod agnoscebant, *Jesum se eum gerere ac demonstrare, de quo Prophetae fuerint locuti.* Neque ita pacate res agebatur, ut, quasi Christus & Apostoli Doctores haberentur irrefragabiles, omnia, quæ ipsi proponerent, avide & nullo adhibito examine arriperentur. Erant, qui libere, qui acriter, qui pertinacissime obloquerentur; qui pro suis, sive gentis, sive sectæ præjudiciis, tanquam pro aris & focis, pugnarent; qui domesticis vicissim argumentis, etiam ex Prophetis petitis, Christum & Apostolos, si falsa dixerint, erroris convincere possent. At quid hi? Num semel tantum de præpostera Prophetiarum interpretatione Eos compellarunt? Num erroris insimularunt? Nihil ejusmodi legimus. Cedunt, tacent, obmutescunt, pudore confusi & non sine indignationis acerbissimæ significatione: sed quod excipiant, quod respondeant, non habent, non inveniunt. Hujus generis Adversarii ut ad silentium redigantur, etiamsi penitius intrare in animum nimis occupatum veritas non possit, argumentis certe opus est vere probantibus.

§. IX.

Etiam Christo ad Patrem reverso non una vice *scopo mere polemico* Scripturas allegarunt Apostoli, ut dictis fidem facerent, e. g. de Assumtione Gentium Act. XV. 14. sqq. coll. Amos. IX. 11. 12. Gall. III. 8. coll. Gen. XII. 3. Rom. XV. 9. sqq. coll. Ps. XVIII. 50. Deut. XXXII. 43. Ps. CXVII. 1. Jes. XI. 1. de Abrogatione Legis cerimonialis Hebr. X. 5-7. 15. sqq. coll. Ps. XL. 7-9. & Jer. XXXI. 33. Si qua vero in re, ibi certe argumenta vere talia, quibus nervus insit, proferre tenemur, ubi adversarios refellimus, vel nostra asserta contra eorum objectiones tuemur. Qua vero fronte ad tot V. T. loca provocasse censebimus Apostolos,

los, si obverti poterat, nihil ad eorum causam *per se* illa facere? Vere itaque Evangelii veritatem allegatis V. T. oraculis probare & *volebant* & *debebant*. Atque si non omni casu eodem id modo factum dici possit, multo tamen minus nunquam id factum esse cum ratione quisquam dixerit. Iterum hoc monemus, ne omnibus indistincte Allegatis eandem probandi vim videamur vindicare velle. Quum vero hic ad specialiora descendere animus non sit, satisfactum tantisper scopo nostro erit.

§. X.

Unum est, quod excipi contra hæc posse videatur. Dicere posses: quid, si neque desiderabant Judæi, ut argumentis vere probantibus contra ipsos pugnaretur? quis nescit, gentem hanc sibi pene relictam, & studiis philosophicis, quibus maxime demonstrationis vim sentire docemur, parum cultam fuisse? His facile suffecerint rationes, veri speciem habentes, a vera licet demonstratione alieniſſimæ. Immo vero, quid? si monstrari posset, eam ipsam docendi ac probandi methodum tum temporis in usu fuisse inter Judæos, qua omnia in allegorias conversa, & ob qualemcunque subjectorum convenientiam diversissimis subjectis eadem tributa fuerunt prædicata? De posteriore inferius plura dicendi locus erit. Sufficiat hic responsionis loco annotasse, quod neque Judæi, etiamsi alias mire adamaverint allegorias, ad probandum aliquod fidei dogma eas unquam admiserint e). Ad prius vero quod attinet; gratis id omne assumitur, quasi nesciverint Judæi, quid sibi velit veri nominis demonstratio. Præterquam enim, quod hujus rei sensus cuivis natura ineſt, etiam Novi Test. scriptores exempla nobis tradiderunt, ex quibus apparet, subtiliter adeo Judæos disputasse e. g. Joh. VI. 30. sqq. Tantum abest, ut regulas bonæ argumentationis eos ignorasse, & umbram facile pro Junone captasse dicamus. Et cur quæso Christum Matth. XXII. 43. & Petrum Act. II. 29. sqq. & Paulum Act. XIII. 34. 36. 37. Ephes. IV. 9. 10. Hebr. I. 13. II. 8. 9. VIII. 13. ut nihil dicamus de Epistola ad Rom. tam legitime argumentatos fuisse legimus, si argumentatione vere tali adversus Judæos ne opus quidem erat?

§. XI.

e) Debemus hanc observationem Reverendissimo Univ. Tub. Cancell. D. D. REUSSIO *in Diss. in Zach. VI. 12. 13. P. III. p. 102. not.* vel in Ejusd. *Opusculis Fasc. I. p. 142.* Ubi testes asserti vide. Contrarium quidem legitur apud *Rich. Simonium in Hist. Crit. N. T.* cap. XXI. p. 247. Les veritables Juifs conviennent tous, que le sens purement litteral & historique separé de la Tradition (qua scilicet secundum Simonium sensus mysticus unice nititur) n' est point capable d' établir les Articles de leur Religion. At neque testem producit Simonius, neque alias dubitare nos finit, quo scopo ista dicat, omnia in nostro argumento eo referens, ut Traditionis in Ecclesia necessitatem evincat. conf. infra Cap. IV. §. XIX. not. g.

§. XI.

Mittamus vero Judæos, ut tanto clarius pateſcat, quam parum roboris hæc ipſa objectio habeat. Num itaque ad ſolos Judæos veritatis evangelicæ demonſtrationem pertinuiſſe, & quibuscunque iſte populus phaleris delectabatur, in iis acquieſcere potuiſſe Chriſtum & Apoſtolos putemus, quicquid aliæ gentes de Eorum docendi atque argumentandi methodo dixerint? Minime vero: Univerſi generis humani intererat, noſſe, *Jeſum eſſe Chriſtum*, & tantundem noſtra quoque hodienum intereſt. Univerſi generis humani res agitur, ut certum ſit, Deum ſibi conſtare in ſuo verbo, in ſuis conſiliis de noſtra ſalute, in ſuis œconomiis, antiqua & nova; unam eſſe fidem, unum eundemque modum ſalutem conſequendi. Quare ſi ad omnia hæc utilis eſſe debet Scriptura, uti debet; ſi collatione Vet. Teſt. cum Novo, nec alia ratione, certi fieri poſſumus, Jeſum eſſe Chriſtum, *illum* nempe *Salvatorem*, qui mundo promiſſus fuerat: profecto non ad hominum judaicorum tantum ingenia in ſuis probationibus accommodare ſe poterant Chriſtus & Apoſtoli, ſed ejusmodi argumentis debebant uti, quæ omnium gentium & temporum examen ferre poſſent f). Et ipſa quoque hiſtoria docet, Apoſtolos etiam erga gentiles eandem methodum obſervaſſe; Petrum coram Cornelio, & qui cum eo erant, Act. X. 43. Paulum coram Felice Act. XXIV. 14. Philippum ad Eunuchum Æthiopem Act. VIII. 30. ſqq. Ut taceamus Epiſtolas Apoſtolicas, non minus ad converſos ex gentibus, quam ex Judæis, ſcriptas, in quibus ſine diſcrimine ad V. T. oracula provocabant, & ob hunc ipſum Utriusque Teſtamenti conſenſum credi ſibi debere poſtulabant.

§. XII.

Dicas forte, veritatem Evangelii per miracula ſatis ſuperque demonſtratam, Scripturam vero inſuper allegatam fuiſſe, tantum ad illuſtrandum & confirmandum id, quod propter miracula jam creditum erat. Obſervandum ad hæc eſt, poſſe quidem Religionis chriſtianæ veritatem ex Chriſti & Apoſtolorum miraculis aliisque criteriis ſufficienter probari; at probari non poſſe, Jeſum eundem illum Salvatorem ac Meſſiam eſſe, qui a Deo promiſſus erat, niſi vaticinia de eo in Jeſu completa eſſe monſtrare potuiſ-

f) Finis atque uſus promiſſionum propheticarum, earum maxime, quæ in publicum Eccleſiæ Canonem relatæ ſunt, primarius nunquam non ille fuit, ut ſpem fidemque hominum alerent & corroborarent. At vero, num obtineri is per vaticinia ipſa potuiſſet ulla ratione, ſi ſenſus verborum, isque litteralis maxime, haud potuiſſet & *ante* & *poſt* adventum promiſſi Servatoris communibus interpretandi principiis, pie adhibitis, intelligi. *Reverendiſſimus* D. D. REUSSIUS *loco ſupra cit. p. 103.* vel *in Opuſc. l. c. p. 144.*

potuissent Evangelii præcones g). Cum vero de christiana Religione nemini *plene* persuasum esse possit, nisi qui amicum V. & N. T. consensum agnoscat: omnino ad Evangelii demonstrationem etiam illud a vaticiniis desumtum argumentum pertinet h). Si vero Christus & Apostoli solis miraculis niti voluissent, nec suæ doctrinæ cum prophetica consensum demonstrassent vel demonstrare potuissent; in promtu erat Judæis, illorum miraculis miracula Mosis opponere, quod ipsum fecisse leguntur Joh. VI. 31. 32. ubi miraculosam populi cibationem minus longe miraculum esse asserunt miraculo Mosis, qui panem de cœlo dederit. Immo probabile est, Judæos solo dicto Deut. XIII. 1. sq. omnem miraculorum vim elusuros fuisse, nisi etiam ex vaticiniis argumentati fuissent Christus & Apostoli. Attentione quoque quam maxime dignum est, quod Judæi veriti haud sint miracula Christi diabolo adscribere, & contra vaticiniorum applicationem nihil unquam exceperint. Ad Gentes quidem incipi a vaticiniis haud poterat, quod scriptorum propheticorum auctoritatem non admitterent. Quamprimum vero Evangelio aurem præbuissent, admirari debebant prædictionum & eventuum consensum; & cum alias a vaticiniis haud abhorrerent, tanto facilius totum admittebant i) Atque hinc perspicitur, cur etiam coram gentilibus nonnunquam ad prophetas provocaverint. Potuissent præterea gentiles, nisi vere probassent istæ vaticiniorum allegationes id, quod probandum erat, christianis V. & N. Test. dissensum, quod ipsum quoque postea nonnulli fecerunt, objicere, & ridere Judæorum stupiditatem, quod argumentis cesserint isto nomine adeo indignis.

§. XIII.

Quæ cum ita sint, constanter affirmamus, *Christum & Apostolos, quando V. T. scripturas allegarunt, ipsam Evangelii veritatem vere probare voluisse ac debuisse*, adeoque ejusmodi argumenta adhibuisse, quibus suus inesset nervus ac vis probandi. Atque hoc est, quod primo hocce capite, quo viam nobis parare constituimus ad sequentia, declarare voluimus atque stabilire.

g) THOM. SHERLOCK in L. L' Usage & les fins des Prophetiès p. 51. La preuve de cet Article particulier doit être entierement fondée sur l' evidence de la prophetie; les miracles ne peuvent être ici d' aucun secours; si les Prophétes n' ont pas parlé de Jesus Christ, tous les miracles du Monde ne sauroient prouver, qu' ils en ayent parlé.

h) S. R. D. LESSIUS l. c. p. 269. seqq.

i) SHERLOCK l. c. p. 183. Le Juif crut en Jesus Christ, par ce qu' il étoit prédit par les Prophétes; le Gentil crut aux Prophétes, parce qu' ils avoient si exactement prédit Jesus Christ.

CAPUT II.

NON EJUSDEM GENERIS SUNT HÆC ALLEGATA.

§. I.

Evictum credimus superiori argumentatione, *vere probare Evangelii veritatem & voluisse & debuisse Christum & Apostolos, adeoque etiam probasse*, cum V. T. oracula ad res Novi Test. applicarent, atque impleta tum dicerent, quæ in V. T. a Prophetis erant prænunciata. Ex his vero quanquam necessario sequitur, ut eundem dictorum propheticorum sensum esse statuamus, qui illis in Allegatione N. T. tribuitur; distinctius tamen hic procedendum est, cum negari non possit, multiplicem deprehendi in his ipsis Allegatis differentiam, quam uberiori jam luci exponemus.

§. II.

Alias quidem ratione argumenti sive contentorum ita dispesci solent hæc Allegata, ut sequentes eorum classes constituantur; quatenus nimirum complectuntur

1) Nudas sententias, ad probanda
   a) fidei dogmata e. g. Rom. I. 17. coll. Hab. II. 4.
   b) morum præcepta e. g. Matth. IV. 10. coll. Deut. VI. 13.
2) Vaticinia, eademque
   a) ut completa e. g. Matth. I. 22. 23. coll. Jes. VII. 14.
   b) ut complenda e. g. Rom. XI. 26. coll. Jes. LIX. 20.
   c) ut ex parte completa, & ex parte adhuc complenda e. g. Act. II. 16. seqq. coll. Joël. III. 1. seqq.
3) Facta sive exempla ad simile factum applicata e. g. Marc. II. 25. coll. 1 Sam. XXI. 6.
4) Facta vel dicta allegorice in N. T. explicata e. g. Gal. IV. 24. seqq. coll. Gen. XVI. & XXI. 1 Cor. IX. 9. coll. Deut. XXV. 4.
5) Typos cum antitypo conferendos e.g. Joh. XIX. 36. coll. Exod. XII. 46.
6) Historias V. T. in novo enarratas e. g. Act. VII. 2. sqq. XIII. 17. sqq. [k])

Cum vero hæc partitio ad scopum nostrum non plane faciat, quia neque explicatio illa allegorica Gal. IV. neque quæcunque historiarum V. T. in novo enarrationes proprie sic dictæ Allegationes sunt; paulo aliter rationes nostras subducendas putavimus, & quidem ita, ut non tam ad *materiale* Allegati sive ad id, quod illo continetur, quam potius ad *formale*, id est, ad habi-

k) Ita CARPZOVIUS *in Crit. S. V. T. p. 855.*

habitum illum, quem V. & N. Teſt. loca ad ſe invicem habent, attendamus; ſubſtituri tamen etiamnum in generalibus, quod ſpecialiora inſtituti ratio neque poſtulat neque permittit. Quare & ſufficere poterit, modo ſingulas claſſes, quas ipſas non multiplicabimus præter neceſſitatem, uno alterove exemplo illuſtraverimus, etiam ubi plura apponi facile potuiſſent.

§. III.

Allegantur autem I. talia V. T. dicta in Novo, quæ, niſi cum quibusdam & illa ipſa & omnem eorum contextum violentiſſime torqueas & detorqueas, aliud ſubjectum non inveniunt, præter illud ipſum, de quo in Novo Teſt. fuerunt explicata. Refero huc e. g. Matth. II. 5. 6. coll. Matth. V. 1. Matth. VIII. 17. 1 Pet. I. 24. Marc. XV. 28. coll. Jeſ. LIII. 4. 12. [l]) Matth. XXII. 43. 44. coll. Pſ. CX. 1. Act. II. 25. ſeqq. coll. Pſ. XVI. 9.. Hæc dicta, quæ *primi ordinis Allegata* jure dixeris, eundem ſenſum habent & unicum in Vetere & in Novo Teſt. & ita comparata ſunt, ut niſi vaticinia illa dicas apud prophetas, quibus in N. T. reſponderit eventus, plane non invenias, quid illa ſibi loca velint. Quot vero & quænam Allegata ad primam hanc claſſem referenda ſint, magnus omnino Interpretum diſſenſus eſt, & erit quoque, donec in expoſitione Prophetarum unum omnes idemque ſentiant.

§. IV.

At II. talia quoque dicta V. T. in Novo allegantur, in quibus aliud quid prophetarum menti obverſatum fuiſſe videri poſſet, quam id, de quo explicantur in Allegato. Horum iterum duplex eſt ratio; nimirum,

1) ſi non commode ſatis ex univerſis textus prophetici circumſtantiis aliud quoddam certum & determinatum ſubjectum prophetiæ inveniri queat, vel ſi plura eodem jure ſubſtitui poſſint; id vero, quod Allegatum ſubminiſtrat, etiam nonnihil difficultatis ſeu obſcuritatis habeat: nemo gravetur vel dubitet, agnoſcere interpretationem ſcriptorum N. T. Θεοπνεύστων tanquam unice veram; gratias potius agat Spiritui S. quod Ipſe nobis prophetiæ explicationem dare voluerit, cujus verum ſenſum nos nunquam perſpexiſſemus [m]). Atque hic quoque putemus, unicum prophetiæ ſubjectum illud ipſum eſſe, quod Allegati eſt in Novo Teſt. Ita locus Matth. XXVII. 9. 10. coll. Zach. XI. 12. 13. ex difficillimis omnino eſt. At nemo aliam dicti prophetici explicationem hucusque dedit, quæ aliqua ſpecie ſe com-

l) Caput LIII. Jeſ. ipſe Limborchius auſus non eſt ad aliud ſubjectum, niſi ad unum Chriſtum referre. Locum infra dabimus Cap. IV. §. XIX. not. h.

m) Vid. Ill. D. MICHAELIS *Einleitung in die göttl. Schriffien des neuen Bundes T. I. p. 75.*

commendaverit. Quicquid dixerint alii, ne nihil dixisse viderentur, Christi imaginem, quam tum gesserit propheta, tandem in subsidium vocare omnes coacti fuerunt.

2) Si textus propheticus, *in suo ambitu spectatus*, aliud subjectum aperte intendat; nondum tamen sequitur, ut verba allegata ipsa ad idem quoque subjectum pertineant, quia familiare est prophetis, cum modo de alio agerent, quasi ex abrupto ad nobilissimum omnium prophetiarum subjectum, Christum, assurgere, vel a temporalibus subito transire ad spiritualia [n]). Referas huc Matth. I. 22. 23. coll. Jes. VII. 14. vel Matth. XXI. 16. Hebr. II. 6. 1 Cor. XV. 27. coll. Ps. VIII. 3. 5. 7. si quidem evinci non possit, totum Psalmum agere de Christo. In his omnibus unum idemque est subjectum, dicti prophetici, quod Allegati.

§. V.

Allegantur III. ejus generis dicta, ubi diversum esse subjectum prophetiæ a subjecto Allegati in aprico est. Hic

1) Dispiciendum est, annon id, quod V. T. textus innuit, tale quid sit, quod certi actus continuationem seu repetitionem admittat vel involvat. Quod si ita se habeat, V. T. dictum de re quidem ex parte præsenti aget, sed de tali, quæ successive & per partes ad totum sui complementum tendere debuit, vel etiamnum tendit. Ita Luc. VIII. 10. Act. XXVIII. 25. 26. coll. Jes. VI. 9. 10. Nihil enim impedit, quo minus ad utrumque prophetam æque respexisse dicamus [o]).

2) Neque locum id habere non posse censendum est, etiam priori conditione sublata, cum liberum Deo & integrum sit, prius & præsens quid menti prophetarum objicere addito simul prospectu ad remotius & futurum, ob certam utriusque convenientiam. Hoc enim ex ipsa prophetæ & prophetiæ notione fluit. Et si remotius illud subjectum ex ipso prophetiæ textu nunquam eruisses, id non miraberis, cum plurimorum vaticiniorum sensus in complemento demum plene pateat. Ita Matth. II. 17. coll. Jer. XXXI.

n) Canonem hunc ipsum vide apud GLASSIUM p. 322. Intimam vero ejus rationem, ut nemo hypotheseos gratia eum excogitatum fuisse dicere possit, aperuit S. R. D. D. ERNESTI in *Narratione Critica de Interpret. Prophetiarum Messianarum p. 14.*

o) BENGELIUS *in Gnom. ad Matth. I. 22.* Sæpe allegantur ejusmodi vaticinia, quorum contextum prophetarum tempore, non dubium est, quin auditores eorum ex intentione divina interpretari debuerint de rebus jam tum præsentibus. Eadem vero intentio divina, longius prospiciens, sic formavit orationem, ut magis proprie deinceps ea conveniret in tempora Messiæ. Et ad Matth. II. 18. Unius dicti unico sensui minor & major non unius temporis eventus respondere potest, donec vaticinium exhauritur. cf. etiam ad allegatum locum Jes. VI. 9. 10. *Neueste Theol. Bibl.* P. II. p. 402.

XXXI. 15. Hic prius subjectum dicas proximum & immediatum, alterum remotius & mediatum, licet excellentius quandoque & dignius; utrumque tamen verum, textui V. T. insitum & a Spiritu S. intentum. Alii priorem sensum proprium vocant, posteriorem mysticum; quæ tamen denominationes non raro incommodi quid habent, ut in exemplo modo allegato, de quo plura Cap. seq. [p])

3) Si V. T. dictum, interprete ipsa Scriptura, contineat typum personæ seu rei factique in N. T. obvii; nemo quisquam negabit, jure & legitime factam esse allegationem, ob naturalem immo necessarium nexum, qui inter typum est atque antitypum. Deprehendimus autem duplicis maxime generis typos:

a) Alii omni fundamento carerent, & sapientia Dei fere indigni viderí possent, nisi antitypus summam illis rationem inesse demonstraret. Refero huc Joh. XIX. 36. coll. Exod. XII. 46. Non decebat quippe Christi mox resurrecturi crura frangi; quod cum Deus præfigurare vellet, agni paschalis, quod alias quoque Christi typum gessit 1 Cor V. 7. crura frangi vetuit, quod, hac relatione sepositā, cur fieri non debuerit in agno, qui totus comedi, immo cujus reliquiæ & ossa comburi debebant, nemo cum specie veritatis explicabit. Quæ Allegata typum hujus generis respiciunt, proxime accedunt ad classem primam, cum sine antitypo ne intelligi quidem recte possit typus. Typos proinde nonnulli *vaticinia realia* esse dixerunt.

b) Alii per se & absolute, sepositō antitypo, satis intelliguntur, suntque iterum

α) personales, ubi de persona V. T. prædicatur, quod ei vere competebat; at in Novo tamen Testamento de Christo quoque explicatur, cui idem competit, & modo quidem excellentiori. E. g. Hebr. I. 5. coll. 2 Sam. VII. 12. sq. Frequentior, est hic modus multis aliis.

β) Reales, e. g. Matth. II. 15. coll. Hos. XI. 1. [q]) In his nemo typum suspicatus unquam fuisset, nisi Scriptura ipsa talem subfuisse doceret; à cujus itaque interpretatione authentica standum est, ut neque fingamus typos, quos ipsa ignorat, neque respuamus, quos illa tradit.

§. VI.

p) cf. VITRINGA *in Comm. in Jes. Cap. XLVII. 15. T. II. p. 539. a.* & Reverendissimus D. REUSSIUS *in Diss. cit. p. 111.* & *in Opusc. Fascic. p. 140.* Ubi communia interpretandi principia nostra, quod utique contingit haud sufficiant ad demonstrandum, sensum illum mysticum alicui loco inesse; necesse omnino est, ut in sola divinorum scriptorum auctoritate, aliunde jam de ἀξιοπιστία illorum convicti, acquiescamus.

q) Qui rationem hujus Allegationis in eo ponunt, quod Israël fuerit Ecclesia Dei, cujus Caput est Christus, illi nexum hunc dicunt mysticum, sensu strictiore intellectum, qualem Christi & Ecclesiæ conjunctionem Theologi appellare solent. Generatim vero monemus, in nostro argumento sensum mysticum & typicum a plerisque pro uno eodemque sumi, licet alias posterior species prioris essa dicatur.

§. VI.

Dantur IV. Allegata, in quibus V. T. dicta vel facta ad res N. T. applicantur ob nexum a prioribus omnibus diversum, &, si placet, mere logicum. Hujus vero generis, ne minutiora sectari videamur, tres tantum modos observamus:

1) Materia generalis applicatur ad specialem. e. g. Act. I. 20. coll. Ps. LXIX. 26. ubi quæ de hostibus Christi generatim dicuntur, de solo proditore Juda explicantur.

2) Specialis ad generalem, ob rationem, in qua illa fundatur generalem. e. g. 1 Cor. I. 19. coll. Jes. XXIX. 14. Hic Paulus, quæ de Judæis tantum dicta erant per prophetam, de quibuscunque hominibus enunciat, ob eandem omnium corruptionem.

3) Specialis ad aliam specialem. e. g. 1 Cor. IX. 9. coll. Deut. XXV. 4. ubi ex providentia, qua boves Deus dignatur, Paulus concludit, multo magis Eundem velle, ut, qui Evangelii præconio operantur, victum quoque exinde capiant.

Hæc itaque certo argumentandi modo nituntur, alias non illegitimo. Posse enim, rite positis determinationibus, etiam a speciali ad generale, & a speciali ad aliud speciale rite concludi, ex logicis constat. Quando itaque CARPZOVIUS *in Crit. S. p. 862* hosce tres allegandi modos *sensu* tantum *accommodatitio* fieri dicit, latius omnino *accommodationis* vocem accipit.

§. VII.

V. denique etiam illud in Allegatis discrimen observatur, quod pleraque allegentur propter id ipsum, quod verba expressa dicunt; nonnulla vero etiam propter id, quod verbis dicti includitur, & per legitimam ratiocinationem inde elicitur. e. g. Act. XIII. 33. coll. Ps. II. 5. [r]) ubi locus, qui de æterna Filii generatione loquitur, ad Christi resurrectionem à Paulo applicatur; quia per eam Christus manifestatus fuit Filius Dei. Rom. I. 4. Ita quoque Matth. XXII. 31. seqq. coll. Exod. III. 6. Referunt huc etiam Matth. VIII. 17. coll. Jes. LIII. 4. cf. CARPZOVIUS *l. c. p. 863.* At malumus dicere, utrumque verbis prophetæ æque contineri. Denique huc pertinere videtur, quando unum idemque oraculum aliquoties citatur in causa, ut videtur, dissimili, & ad diversos usus adhibetur; quod non impedit, quo minus idem dicti sensus maneat, quia diversa allegatio etiam diverso respectu ac scopo fit, & idem dictum varias conclusiones, sibi vel

r) Alii eum hic allegandi modum obtinere statuunt, quo non modo allegata verba ipsa, sed etiam antecedentia & consequentia innuantur. cf. CARPZOVIUS *in Crit. S. p. 862.*

vel coordinatas vel ſubordinatas, complecti poteſt. e. g. Matth. XXII. 44. Act. II. 34. Hebr. I. 13. coll. Pſ. CX. 1. Quo dicto primum Chriſtus utitur ad confundendos phariſæos & probandam Meſſiæ præ Davide eminentiam, adeoque divinitatem; deinceps Petrus ad confirmandam aſcenſionem Chriſti in cœlos; denique Paulus ad vindicandam Chriſto dignitatem omni angelica ſuperiorem. Ita quoque Rom. IV. 3. Jac. II. 23. coll. Gen. XV. 6. Bis etiam citatur Jeſ. LIII. 12. à Chriſto primum ipſo antequam caperetur, Luc. XXII. 37. & a Marco poſt crucifixionem cap. XV. 28. Utrumque vero æque vere & commode factum eſſe, quivis videt.

§. VIII.

Subjicimus his ſequentia:

1) Inſtituta ſingulorum locorum collatione palam fiet, neque fruſtra, neque incongrue unquam V. T. allegaſſe N. T. ſcriptores. Deprehendi & oſtendi ſemper poterit, quotiescunque probare quid volunt, nexus aliquis, etiam ubi ſubjecti identitas ſervari non poteſt, ſive typicus, ſive in genere myſticus, ſive abſolute logicus, certo & firmo gaudens fundamento. Rideant e. g. quibus ita placet, Allegatum Pauli 1 Cor. IX. 9. coll. Deut. XXV. 4. qui logicam callet, argumentationem a minori ad majus in illo videbit, nec habebit, quod in eo reprehendat. Adeoque qui debita attentione ac reverentia rem conſiderant, nunquam profecto crudiores illas quorundam opiniones adoptabunt, quaſi ad gentem Judæorum ſtupidam quidvis ex quovis elicere veriti haud ſint Evangelii præcones.

2) Si quis vero quærat, quanta ſingulis claſſibus probandi vis inſit, nemo æquus & intelligens rerum æſtimator uno id enunciato confectum volet. Hoc certum eſt, alia Allegata fortius, alia minus probare; aſt etiam hoc certum eſt, claſſibus recenſitis omnibus ſuam vim probandi ineſſe, niſi quis omnem typicum & myſticum ſenſum exeſſe ex Scriptura jubeat [s]). Neutrum argumentativum eſſe plerumque dicitur. Concedo de ſenſu typico & myſtico, quem homines ex ſuo ingenio in Scripturas inferunt; nego de eo, qui ipſius Scripturæ auctoritate nititur. Qui utrumque negant, contra eos Allegatorum fidem nemo tuebitur. Niſi enim prophetis ſuus honos conſtet; niſi admittatur, Deum futura non minus ac præſentia eorum menti ſubjicere, & per eosdem eloqui potuiſſe: actum eſt de prophetiis omnibus, & V. T. ſcriptores omnes erunt meri hiſtorici, præteritis vel præſentibus rebus adſtricti; nihil itaque in Chriſto impleri potuit, quod ab illis eſſet prædictum. 3) Ve-

s) Senſui myſtico in ſpecie etiam probandi vim ineſſe docebitur *cap. ſeq. §. IV. & VII.*

3) Verum ut his hominibus in hac commentatione obviam eatur, nemo postulabit, qui ejus limites perspicit. Singulorum hypotheses, quæ maxime sub censum hic veniunt, infra Cap. IV. examinabimus, &, cur locum habere haud possint, monstrabimus. Universum vero hunc campum emetiri si animus esset, per præcipua loca ostendendum foret, aut de Christo illa agere, aut sensum nullum habere; proximum esset, ut ipsa Theologiæ propheticæ ratio exponeretur; tandem deveniendum esset ad utriusque Testamenti Scriptorum auctoritatem divinam. Hæc vero omnia nemo a nobis hic desiderabit.

CAPUT III.

ALLEGATIO ET ACCOMMODATIO.

§. I.

His præstructis explicare jam possumus, quid *Allegatio* sit; quid *Accommodatio*; quæ duo nomina utramque alias in nostro argumento paginam implent. Tanto vero magis necessarium est, ut sua cuique potestas subjiciatur, quod non omnes uno eodemque sensu illa accipiunt. Audias, cane pejus & angue fugiendam esse Accommodationem; & idem tamen in probatissimis auctoribus legas, multa per Accommodationem esse allegata. Accedit, quod ipsa Allegationis vox nihil involvat, quod ab Accommodatione eam distinguat, cum, quæcunque ex Vet. Test. in Novo citantur, per Allegationem eo transsumta sint.

§. II.

Multa est atque varia de sensu Scripturæ disputatio. Nostri Theologi unum esse cujusvis loci sensum constanter affirmarunt; non solum, ut obviam irent Pontificiis, qui sub prætextu, multiplicem, adeoque ambiguum & incertum esse Scripturæ sensum, Ecclesiæ seu potius Romani Pontificis judicium in interpretanda Scriptura volebant obtrudere; sed etiam quod ipsa ratio id dictabat. Postulat enim hoc suprema sermocinantibus, adeoque & scribentibus lata lex, ut, cum certum quid ac determinatum significare velle præsumantur, iis utantur verbis, quæ rite intellecta easdem in auditorum lectorumque animo notiones excitent, quas ipsi suo conceperunt. Itaque unicum Scripturæ sensum statuerunt Interpretes, eumque dixerunt *litteralem*, quod ex ipsa vocum sive proprie sive figurate acceptarum significatione fluat; quidam etiam *sensum litterae & grammaticum* t). Alii

t) Vid. D. D. ERNESTI *in Interpr. N. T. p. 7.*

Alii contra sensum litteræ & grammaticum a litterali distinxerunt; eum dicentes, quem verba ipsa nonnisi grammatice intellecta in animo legentis gignunt: hunc vero, qui ex Spiritus S. intentione immediate per Scripturæ verba insinuatur [u]).

§. III.

At difficile, si non impossibile, videbatur, istam sensus unitatem in omnibus Scripturæ locis tueri, cum e. g. multa, quæ de Davide dicta erant in V. T. ad Jesum applicata, in eoque impleta legerentur in Novo. Itaque distinctione hic opus erat, quam vero non omnes eandem adoptarunt, in modo loquendi adeo a se discrepantes, ut hi affirmare viderentur, quod illi negare; utrique tamen ὀρθοδοξίας æque studiosi. Fuerunt nimirum, e. g. GLASSIUS, BECHMANNUS, BAIERUS, CARPZOVIUS, &c. qui latius sumebant vocem *sensus Scripturae*, nimirum pro integro conceptu, quem Spiritus S. non solum *per verba*, sed etiam *per res* verbis expressas significare voluit. Atque hi non dubitabant, multorum Scripturæ locorum duplicem sensum statuere, *litteralem* alterum, alterum *mysticum* [x]). Et hunc posteriorem ipsa nostra Allegata satis superque videbantur evincere. Nisi enim hunc sensum, qui litteralis dici haud poterat, admiserint, præter rem & contra Scripturæ sensum talia loca ad Christum applicata videbantur. Alii contra e. g. CALOVIUS, PFEIFFERUS &c. sensum Scripturæ strictius intelligentes, unum eundemque Scripturæ in omnibus locis sensum esse statuerunt, eum scilicet, quem sola verba, quibus usus est Spiritus S. fundebant. Si quis vero locus V. T. ad aliud quid in N. T. reperiebatur applicatus, factum id esse dicebant *per Accommodationem*. Ita quoque S. R. ERNESTI *l. c.* qui allegoricum, immo & typicum S. S. sensum ne sensus quidem loco numerandum censet; de allegoriis inquiens: sunt potius sensus, qui proprie dicitur, & rerum ad aliquod caput doctrinæ accommodationes; de sensu autem typico: est non verborum, sed rerum, quas Deus voluit esse signa rerum futurarum.

§. IV.

Nos in componendo illo dissensu non laborabimus, cum in verbis tantum hæreat, nec revera alterum istum sensum quoad rem negare seu in dubium vocare voluerint, qui Calovium & Pfeifferum sequebantur. Nervose D. D. ERNESTI ait: [y]) Nam mysticas & figuratas esse prophetias

 mul-

u) Vid. RAMBACHII Hermen. S. pag. 57. & 62.
x) cf. RAMBACHIUS l. c. p. 70.
y) In *Narrat. Critica de Interpret. prophet. Messianarum p. 31.*

multas, quomodo mirum aut dubium videri possit, cum totus cultus Leviticus fuerit figuratus? An agnus paschalis & similia nihil, quod firmum sit, habent, quia figuram tantum habent? Nihil omnes typi? Immo, ut hi pares sunt & esse debent disertis testimoniis, si non sint ficti ingenio humano, sed a Christo & Apostolis demonstrati; sic & prophetiæ, in quibus per figuram modo inest Christus". Si quid tamen nobis liceat adspergere, illi cautius locuti esse videntur, qui mysticum sensum, qui nimirum ab ipsa Scriptura panditur, non a nobis in eam infertur, verum Scripturæ sensum, litterali non oppositum, sed sub- & coordinatum, dixerunt. An vero in Apologo Æsopico, liceat hoc uti, is tantum fabulæ sensus dicitur, qui ipsis verbis exprimitur, nec etiam doctrina moralis, quæ fabula continetur, mihique insinuatur? Nihil equidem Demonstrationi Evangelicæ a vaticiniis V. T. in Novo allegatis pendente detractum voluerunt Summi Viri, qui verum Scripturæ sensum mysticum esse negabant. Factum id dicebant per Accommodationem. At excipi tamen poterat, factam esse Accommodationem ad id, quod V. T. oraculi sensu non continebatur. Denique non omni tempori idem loquendi modus æque convenit. Innoxie plane Accommodationis vocabulo olim utebantur Theologi, quos Socinianis favere, quibus domestica tum erat illa vox, nemo suspicabatur: Sed alia hodie rerum facies est; cum illa jam vaticiniorum de Christo interpretatio in media Ecclesia nostra invalescere videatur, qua nulla pene, quæ ita dici mereatur, eorum Allegationibus in N. T. probandi vis relinquitur.

§. V.

Quærere vero hic liceat, annon multorum V. T. dictorum sensum melius distingueremus in immediatum seu proximum & mediatum seu remotiorem, utrumque vero litteralem; quam in litteralem & mysticum? Adeo abusa est sensu mystico humani ingenii luxuries, ut vel inviti eo nomine audito tenuius quid de ipso sentiamus; neque limites ejus adhuc ita definiti sunt, neque definientur unquam, ut certa & constans ejus ratio habeatur. Sapientissimi quique ibi tantum certo eum deprehendi asserunt, ubi Scriptura ipsa eundem proponat. Quem vero sensum Scriptura ipsa in V. T. dicto contentum fuisse testatur, cur litteralem dicere non liceat? Neque ita varii Scripturæ sensus inter se committerentur, sed plura tantum subjecta distinguerentur, ad quæ simul & in uno loco respexerit Spiritus S. neque Scripturæ certitudini ac perspicuitati inde metuendum quid esset, cum illis tantum locis duplex ille sensus tribueretur litteralis, quibus Scriptura ipsa tribuit. Ita certe non opus esset disputare, num sensus mysticus etiam argumentativus sit? Dantur vero etiam ejusmodi allegata,

e. g.

e. g. Matth. II. 17. coll. Jer. XXXI. 15. ubi valde incommode ad ſenſum myſticum provocaveris, multo autem planius dixeris, ad utrumque æque reſpexiſſe Spiritum S. tam ad deportatos Iſraëlitas in captivitatem, quam ad Infanticidium Bethlehemiticum; neque opus eſt, ut Propheta omnem ſui eloquii ambitum perſpexerit, cum neque de ſenſu myſtico id dici poſſit. Hoc conſilium fuiſſe videtur JOH. JORTINI, Angli, cui S. R. D. D. ERH. ANDR. FROMMANNUS, Abbas hodie Bergenſis, *Programma* oppoſuit: *Quo Examen Hypotheſeos Joh. Jortini de duplici nonnullorum V. T. vaticiniorum ſenſu inſtituitur.* Cob. 1765. inſertum Ejusdem Opuſc. T. I. p. 134. neque vero novum plane hoc loquendi genus eſſet. OPORINUS *in Diſſ. de Firmitate & Inſpiratione divina Demonſtrationis Evangelicae ex V. T. p. 33. & p. 67.* ſenſum typicum *vere litteralem* ſub hiſtoriæ cortice latentem nuncupat. Et BENGELIUS *ad Matth. II. 17.* Unius dicti unico ſenſui minor & major non unius temporis eventus reſpondere poteſt, donec vaticinium exhauritur". At vero, quis erit ille unicus ſenſus, ubi textus ad diverſa ſubjecta applicatur, niſi dicas, utrumque ſubjectum æque intendiſſe Spiritum S. ſenſumque textus litteralem & hoc complecti & illud?

§. VI.

At dices, in omni aliorum ſcriptorum expoſitione id extra controverſiam eſt, non eſſe dictorum niſi unicum ſenſum; eum, quem verba ſcriptoris per ſe fundunt. Vera hæc eſſe fateor, ſed tum demum contra me facere exiſtimabo, cum infinitum illud diſcrimen, quod inter Scriptores ſacros & profanos obtinet, fuerit ſublatum. Sermo autem nobis eſt de ejusmodi V. T. locis, quæ, præter rem præſentem, ſimul ad futurum quid proſpectabant; quod fieri potuiſſe, nemo negabit, qui Deum, Scripturæ auctorem, etiam remotiſſime futura æque ac præſentia uno perfectiſſimæ mentis actu complecti agnoſcit. Quamdiu itaque ſcriptores humani eadem prærogativa non gaudent, neque ad eorum plane exemplar in vaticiniorum Interpretatione verſari poſſumus. Eadem omnino principia interpretandi logica utrinque ſequimur: at hæc differentia non ab ipſis veri cognoſcendi regulis, ſed a diverſitate objecti ſeu materiæ ſubſtratæ pendet. Surgat hodie aliquis, & prophetam ſe eſſe ac futura prævidere, vel falſo, nobis perſuadeat; omnes in id proclives erimus, ut, vel non moniti, ſub rerum præſentium imagine res futuras eum nobis ſiſtere credamus. At omnia hæc, quæ de ſenſu litterali duplici, immediato & mediato, in medium protulimus, nonniſi *de phraſi*, magis minusve commoda? dicta & intellecta volumus. Res ipſa eadem ſervatur, utramvis elegeris. Neque tantum no-

bis sumimus, ut licere nobis putemus, a consueto & dudum recepto loquendi modo recedere. Distinguemus porro sensum Scripturæ in litteralem & mysticum.

§. VII.

Diximus itaque §. III. quo sensu *Accommodatio* etiam ab orthodoxis Theologis dicta sit, & hodienum dicatur; atque hæc in omnibus illis Allegatis occurrit, in quibus subjecti identitas in V. & N. T. loco manifeste non servatur [z]). An vero etiam huic Accommodationi sua inest vis probandi? Inest profecto, quia sensus prophetiarum non unicum illud subjectum, sed & alterum complectebatur. Id ipsum quidem generali argumento alio confirmare non possum, nisi eo, quod ab Allegationibus desumitur; non enim jam adsunt prophetæ, nosque docere possunt, quousque in suis sermonibus prospexerint. At quis Scripturam sui ipsius interpretem ac testem non admittat? Idem vero in singulorum dictorum discussione non uno loco ex indiciis satis manifestis potest ostendi. Esto quoque, neque prophetas ipsos neque reliquos V. T. fideles alterum istud subjectum semper & ubique magis minusve distincte cognovisse: neque enim id necesse erat, quia vaticinia ista tum demum plena luce radiare debebant, cum ad probandam Evangelii veritatem adhiberentur. Vidisse vero etiam priscos Judæos in multis locis alterum illud subjectum, multis eorum testimoniis dudum probatum est, in quibus ad Messiam applicarunt, quæ ad aliud subjectum idemque unicum referre potuissent, nisi aliud suasisset a patribus accepta dictorum istorum explicatio.

§. VIII.

Nunc tandem explicare possumus, quid *Allegatio* sit, & quid *Accommodatio*, eo sensu, quo duæ hæ voces in nostro argumento sibi opponuntur. *Prior* est, si dictum seu prædicatum aliquod e V. T. in Novo applicatur ad idem subjectum, quod is, qui allegatur in mente habuit, sive unice, sive cum & sub alio subjecto, ob certum utriusque nexum. *Posterior* contra est, si dictum vel prædicatum aliquod e V. T. in Novo applicatur ad tale subjectum, de quo is, qui allegatur, ne cogitasse quidem censendus est. [a]) §. IX.

z) Prodiit quoque ante paucos annos Lipsiæ Viri Cel. D. BARTHII *Diss. de Locorum V. T. in novo accommodatione orthodoxa*, quam vero non vidimus. Peculiare quoque *accommodationis* genus est, quando, quod certo ac determinato sensu de aliquo subjecto prædicatur, ad alium sensum, sed in eodem subjecto, flectitur. Ita quidam Matth. VIII. 17. coll. Jes. LIII. 4. Vid. *Neueste Theol. Bibl. P. I. p. 308.* Alii aliter de hac Allegatione. cf. supra Cap. II. §. VII. & *Demonstr. Evang. Alleg.* § *III. not. b.*

a) Paulo aliter *Allegationis* notionem determinavimus, quam fieri plerumque solet. Jure vero id facere posse putavimus vi eorum, quæ hactenus disputata fuerunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0046
DFG

§. IX.

Hic vero ad caput rei pertingimus: nimirum, quibusnam ex criteriis certi esse possimus, quid Allegatio sit, quid Accommodatio? Respondemus, sollicitam textus V. T. discussionem ostendere debere, num illud idem subjectum, quod N. T. exhibet, Scriptori Sacro V. T. sive unice, sive cum alio propiore subjecto, obversari potuerit nec ne: si potuisse videas; obversatum revera fuisse Novi deinceps Test. auctoritas facile persuadebit animo non occupato [b]). Ubi contra tota sermonis in V. T. series aliud subjectum e N. T. adsciscendum plane excludit, uti e. g. sole clarius est, Auctorem Ps. LXXVIII. merum historicum populi Israëlitici fata enarrantem egisse; ibi mera & nuda Accommodatio deprehenditur, qua dictum, quod Assaphus de se enunciarat, ob aliquam inter Christi & Assaphi methodum convenientiam ad Christum applicatum fuit Matth. XIII. 35. quamvis etiam hic allegandi formula ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου usus sit Scriptor evangelicus, qua de formula plenius agetur infra Cap. VI. §. VI. sq. Ita nemo dubitabit, quin Paulus 1 Cor. I. 20. locum Jes. XXXIII. 18. citaverit: cum vero id, de quo propheta loquitur, ne imaginem quidem gessisse dici possit ejus, ad quod Paulus illa verba applicavit: hoc iterum nonnisi per Accommodationem factum esse ultro profitemur. Quam maxime vero hac in causa ad id attendendum est, num V. T. dictum ad ipsam Evangelii veritatem demonstrandam adhibeatur, sive de persona Christi sermo sit, sive de primario quodam doctrinæ evangelicæ capite, alias nondum satis demonstrato, vel hoc inprimis loco demonstrando [c]). In his enim nisi veri nominis allegationem agnoscamus & tueamur, ipsa Evangelii demonstratio corruit [d]). At ejus generis allegata haud esse, quæ modo attulimus, suus quemque sensus docebit. Quare etiam hanc legem constanter fixerunt Theologi, Allegationibus vim probandi inesse vere talem; Accommodationes vero nonnisi ad illustrationem facere.

§. X.

De Accommodationum vero Patronis, quorum plures indies exsistunt, magno cum discrimine judicandum est. Fieri potest, ut aliquis Scriptu-

ræ

b) Sub hac determinatione nostra facimus verba RAMBACHII *In Herm. S. p. 789.* Nobis Canon esto, ut prophetia in N. T. ad certum subjectum revocata, habeatur pro demonstrata: quia scilicet Spiritus S. ibi agit interpretem mentis suæ, suorumque consiliorum, atque optimus Interpres verborum quisque suorum est.

c) Addimus hanc limitationem ob Rom. X. 6. coll. Deut. XXX. 12. ubi Paulus gravissimum Justificationis dogma per meram accommodationem probare videtur, sed alibi jam satis superque ac pluribus in locis in eadem Epistola demonstratum.

d) Accommodationes, si meræ statuuntur, ipsorum argumentorum, quibus Evangelii doctores utuntur, eversiones dixit RAMBACHIUS *in Herm. S. p. 789.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0047
DFG

ræ Interpres in his illisve dictis ex V. T. in Novo allegatis veram probandi vim nullam perspiciat, etiam ut certus apud se sit, V. T. scriptorem nullo modo ad N. T. tempora respexisse. Hic itaque Accommodationem tantum videbit, ubi alii Allegationem: sed absit longissime, ut ei propter hunc in paucis dissensum dicam graviorem scribamus. Erit, si qua alia in re, in prophetiarum certe expositione dissensus, *donec venerit perfectum.* 1 Cor. XIII. 9. 10. [e]) Quis vero in nostro hocce argumento nullam nobis paratam esse certitudinem dixerit, donec omnes in idem consenserint Interpretes? Alium hæc, alium illa felicius expugnant, adeoque in omni sententiarum circa unum alterumve locum dissensu veritas ipsa utrique æque cara & certa esse potest [f]). Aliter vero pronunciandam est de iis, qui semper & ubique per meram Accommodationem Christum & Apostolos argumentatos esse contendunt. Hos, forsan invitos & imprudentes, ipsam Evangelii demonstrationem concutere, si non subruere, supra diximus. Non sumus ex illis, qui consequentiarum odio viros bene meritos onerant: At videant quæso, qui sapere hac in re supra alios sibi videntur, quid responsuri sint empæctis, qui hoc ipso a latere Evangelii veritatem adoriuntur. Haud negamus, difficultatem esse ac forsan semper fore in singulis his illis allegatis; at quæ major forte videtur, quam revera est, vel nostræ maxime ignorantiæ debetur; cum multa ex monumentis historicis clarissimæ sine dubio luci exponi possent, si horum etiamnum copia esset [g]). Neque aliud quisquam systema proferet, quod non æqualibus, si non majoribus, prematur difficultatibus. Quæ hoc §. diximus, judicium nostrum regant in seq. Cap.

§. XI.

At ne quid dissimulare videamur, primarias duas objectiones subnectimus, quibus omne veræ Allegationis systema everti posse quibusdam visum est [h]). Ajunt primo, *plerarumque V. T. vaticinationum eventum in ipsis jam illius temporis rebus sub V. T. gestis inveniri & ostendi posse, adeoque plane necesse non*

e) Ἐκ μέρους γὰρ γινώσκομεν, καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν· ὅταν δὲ ἔλθῃ τὸ τέλειον, τότε τὸ ἐκ μέρους καταργηθήσεται.

f) Egregie plane & secundum spiritum Evangelii S. R. D. D. ERNESTI *in cit. Narrat. Crit. p. 32.* omnino oportet in hoc genere non acerbum esse. Vides tu, o Bone, Christum in V. T. ubi alius aut omnino non, aut non tam clare videt, ac tu vel vides, vel videre te putas. Vide eum tibi, & gratias age Deo. Sed fac, ut eum & in cor cum ejus mansuetudine & lenitate recipias, ne frustra videris. Ille vero alter eum alibi pariter videt, si non ubique in V. T. satis clare, ut dubitet, hæreat, per umbram modo: at in N. T. videt in clara luce refulgentem, & pro ejus claritatis beneficio gratias agit Deo.

g) Vid. Ill. MICHAELIS *l. c. p. 75.*

h) Sumimus illas ex OPORINI *Diss. cit. p. 22.*

non esse, ut ad personam tempusque Messiae provoletur. Respondemus ad hæc: Posse nos gratos assumere, quod de *plerorumque* tantum vaticiniorum implemento V. T. tempore jam facto dicitur. Neque enim nos de numero certabimus, quot veri nominis Allegationes in N. T. occurrant, in quo etiam vix unquam conspirabunt Interpretes. Nam si pauciores quoque, quam plerique censent, admittantur, nos tamen habemus, quod volumus. At vero omni fundamento destituitur assumtum, quod illustriorum vaticiniorum implementum jam sub V. T. ipso factum esse ostendi queat. Nostrum non est, per singula ire. Speciminis loco ad unum provocamus, quod Ps. XVI. 9. 10. legitur de *quodam corruptionem non visuro* i), & ex quo loco Petrus Act. II. 27. sqq. confidentissime pro Christi resurrectione a Davide, ut propheta, prædicta argumentatur. Notum itaque nobis faciant, qui meram hic Accommodationem statuunt, & unice simul litteram Scripturæ sequi videri volunt, illum V. T. fidelem, qui corruptionem haud viderit. Denique si tam facile est, plerorumque vaticiniorum complementum in rebus V. T. ostendere, unde tantus adversariorum in ista re dissensus? cur & Christiani & Judæi tam raro in eodem subjecto conveniunt? Si quid ei asserto veri inest, monstrari complementum debet ex monumentis historicis: at hæc non dubiam relinquerent inter plura subjecta optionem, quod plerumque tamen fieri omnes norunt.

§. XII.

Verum ut fulciant quodammodo priorem objectionem alteram addunt: nimirum, *nil officere huic causae, etiamsi illustriores sint V. T. dicendi formae, in vaticiniis istis, quam ut implementum suum, secundum litteram, in V. T. nacta esse dici possint. Sufficere implementum sensu quoque multum imminuto factum, reliqua ex orientalium genio ad rem magis exaggerandam fuisse adjecta.* At plane hoc, si quid aliud, effugium sapit. Itane scilicet ratiocinantur, qui soli litteræ inhærendum esse identidem ingeminant? Ergo si talem Israëlis Regem historiæ non offerunt, de quo valere possint, quæ de venturo Davidis filio ac Rege Israëlis Prophetæ edixerunt; eo usque ista omnia extenuanda, deprimenda, enervanda erunt, donec aliquale dictorum complementum in Hiskia, si placet, vel in Zorobabele vel in alio inveniri, seu effingi potius possit: taceant vero N. T. scriptores, certe fidem non inveniant, cum splendidissima ista prædicata in Jesu Nazareno proprie & plenarie conspecta ac deprehensa fuisse testantur. Rectius omnino VITRINGA *in Comm in Jes. T. II. p. 539.* ait: In iis vero casibus, ubi ipsimet duplex subjectum, alterum in V. T.

i) Vid. Illustr. MICHAELIS *Critisches Collegium &c. p. 218. sqq.*

V. T. figuram Christi, alterum in Novo, Christum ipsum, admittimus, magnifica ista & justo illustriora prædicata non ex genio orientalium nata censemus, sed de industria de prioribus subjectis hyperbolice locutum esse Spiritum S. ut eo certius omnes admonerentur, in illis non esse solis subsistendum."

§. XIII.

Sed satis jam multa de *Allegatione* & *Accommodatione* disputavimus. Supereſt una circa nomenclaturam observatio, fuisse nimirum, quibus, præ Accommodationis vocabulo, *Allusionis* seu *Parodiae* k) nomen arrideret, quamvis Allusio minus adhuc dicere videatur, quam Accommodatio. De nomine non litigabimus, modo res ipsa teneatur, nec, quæ vera Allegatio est, probandi vim secum ferens, nihil probare dicatur.

§. XIV.

Denique & hoc addimus, sub Allegatis V. T. etiam generalius acceptis nos non comprehendere 1) illa N. T. loca, quæ, non adhibita expressa allegandi formula, phrases duntaxat aliquas ex V. T. transsumtas exhibent. Ita enim Maria Luc. I. 46. sqq. Zacharias Luc. I. 68. sqq. Simeon Luc. II. 29. sqq. Petrus 1 Ep. I. 24. Johannes in Apocalypsi &c. verbis & phraseologiis V. T. utuntur, quæ tamen omnia nostro sensu Allegata haberi dicique haud possunt, nisi omnem inter utriusque Fœderis Libros Parallelismum hoc nomine insignire velis. Dum vero sancti isti homines, Spiritus S. pleni, phraseologiis illis utebantur, omnino talia V. T. loca, quæ illas continent, in animo habuerunt, adeoque eo ipso quoque utriusque Testamenti consensum suo modo probaverunt. Neque 2) Allegationibus accensemus facta & integras historias ex V. T. in Novo repetitas e. g. Matth. XXIV. 37 - 39. coll. Gen. VI. 11. seqq. inprimis Act. VII. & Hebr. XI. Neque 3) inter Allegata referimus illa loca, quibus mera repetitio fit ejus, quod in V. T. dictum fuerat seu præceptum, ita quidem, ut vel nulla de ejusmodi dicti sensu controversia esset, vel in præsente certe causa eodem sensu ab utraque parte admitti illud posset. e. g. Matth. XIX. 7. Marc. X. 4. coll. Deut. XXIV. 1. 3. Matth. XXII. 24. Marc. XII. 19. Luc. XX. 28. coll. Deut. XXV. 5. 6. Luc. X. 26. 27. Matth. XXII. 37. Marc. XII. 30. coll. Deut. VI. 5. Rom. X. 13. coll. Joël. III. 5. Rom. XIII. 9. coll. Exod. XX. 13. sqq. &c. qualia copiose recensetKAYSERUS in Diss. mox laudanda p. 1. & 20. a quo tamen dissentimus circa locum a Tentatore allegatum Matth. IV. 6. Luc. IV. 10. coll. Ps. XCI. 11. 12. hujus enim dicti verum sensum & scopum Christus adversus Tentatorem tuetur. CA-

k) De nomine *Parodiæ* vid. S. R. D. WEICKHMANNI *Diss. de Parodiis N. T.* §. *III.* Witenb. 1762.

CAPUT IV.

VARIA VARIORUM CIRCA NOSTRUM ARGUMENTUM STUDIA.

§. I.

Complectimur hoc titulo ea omnia, quæ unquam a Viris Eruditis sive ad stabiliendam & vindicandam Allegatorum auctoritatem sive ad eam minuendam vel adeo evertendam fuere proposita; ingenue vero &, quantum pote, breviter id faciemus, scopo tamen non historico modo, sed etiam polemico, cum ei rei commodum adhuc in Tractatione nostra locum non invenerimus, quamquam fundamenta responsionum passim jecimus. Neque vero temporis neque sectarum rationem unice sequemur; ita tamen dicenda dispertiemur, ut singula quæque locum teneant sortita decenter.

§. II.

Primo quidem de iis agendum videtur, qui infesto prorsus animo Allegata nostra insectantur, eo fine, ut ipsa simul Religionis sanctissimæ fundamenta subvertant. Fecerunt hoc, faciuntque Judæi, ex veteribus Gentibus nonnulli, & Antiscripturarii hodierni, eodem omnes consilio & iisdem pene armis, nisi quod Judæi, dum scripta prophetica pro divinis habent, magis directe, reliqui autem, qui utriusque Testamenti libros æque spernunt, per argumenta κατ' ἄνθρωπον magis Allegatorum fidem convellere conentur.

§. III.

Cum ad probandam Evangelii veritatem V. T. loca excitaverint Christus & Apostoli, me non monente quivis intelligit, Judæos, nisi victas Evangelio manus dare vellent, non potuisse non Allegatorum cum dictis V. T. consensum impugnare. Agnoscentibus enim Prophetiarum divinitatem hoc unum desperatæ causæ subsidium restabat, ut implementum earum in Jesu Nazareno factum esse negarent. At hoc nemo acerbius fecit, quam R. ISAAC, *Ben Abraham*, in libro, quem חזוק אמונה *Munimen fidei* inscripsit. Buxtorfii tempore ille adhuc MS. Constantinopoli latebat [1]); primus postea eum, Septæ in Africa à Judæo quodam dono acceptum, edidit JOH. CHRIST. WAGENSEILIUS in Opere Antijudaico præstantissimo: *Tela ignea Satanae*, hoc est, *Arcani & horribiles Judaeorum adversus Christum Deum & christianam Religionem libri* ἀνέκδοτοι Altd. 1681. ubi quartum locum occupat. *Wagenseilius*

1) Vid. Ejus *Abbrev. Hebr. in Append. p. 444.*

ita de eo ſtatuit: Eſt vehementer dignum hoc *Munimentum*, in cujus diſturbationem chriſtiani nervos intendamus noſtros, quando non exſtat aliud Judæorum in hoc infelici argumento ſcriptum, quod magis eos in erroribus ſuis confirmet, agnitionemque veritatis impediat". Inventi quoque ſunt Viri eruditi, qui Judæo huic obviam irent. Ita BRANDANUS HENR. GEBHARDI edidit *Centum Loca N. T. quae R. Iſaac Ben Abraham in ſuo* חזוק אמונה *id eſt Munimine fidei depravaverat, vindicata.* Gryphisw. 1699. & JACOBUS GUSSETIUS, Theol. Groning. in Belgio, contra eundem edidit *ternionem controverſiarum adverſus Judaeos, in ſpecimen operis jam affecti, quo R. Iſaaci Chiſſuk Emunah refutatur.* Dordr. 1688. Amplior vero Judæi refutatio, quam Guſſetius annunciavit, poſt mortem demum Auctoris lucem aſpexit ſub titulo: *Jeſu Chriſti Evangeliique veritas ſalutifera, demonſtrata in confutatione libri Chiſſuk Emunah, in qua pleraque Judaeorum adverſus doctrinam chriſtianam argumenta aut difficultates, pleraeque in N. T. loca cenſurae, examinantur, & teſtimonia e V. T. allegata vindicantur.* Amſtelod. 1712. fol. [m])

§. IV.

Ad duo vero Capita redit omnis Judæi de Allegatis noſtris diſputatio. Accuſat 1) N. T. ſcriptores, quod contra intentionem ac ſenſum Auctorum V. T. eorum loca allegaverint, & 2) quod verba eorum non fide expreſſerint [n]). Quæ utraque criminatio ita omnino comparata eſt, ut niſi ſolide reſponderi obtrectatori poſſet, omnis Evangelii demonſtratio e V. T. vaticiniis petita neceſſario corrueret. Oſtenderunt vero noſtri, ex ipſa ſede & univerſis circumſtantiis locorum V. T. in demonſtrationem Novi allegatorum, ſecundum ipſam intentionem auctorum iſta fuiſſe adhibita; idque in iis, in quibus cardo rei vertitur, tanto felicius ſucceſſit, quod ex ipſis quoque Judæis, antiquioribus maxime, multa loca pro veritate pugnan-

m) Vid. de his BUDDEUS *in Iſag. Hiſt. Theol. p. 1215.*

n) Ipſa verba *Judaei* ex P. I. Cap. 45. affert WOKENIUS *in Harm. Moſis cum N. T. p. 5.* quæ ita habent: Si cognoſcere vultis, num penes vos ſit veritas, an minus, neceſſe eſt, inſpiciatis ea loca, ex quibus ſcriptores N. T. argumenta depromunt confirmandis dictis ſuis, provocando ad vaticinia prophetarum b. m. num videlicet vaticinia illa probent aſſerta eorum, an minus? At cum oculos mentis adhibebitis, cernetis ac intelligetis ex antecedentibus & conſequentibus, verba, quæ ſcriptores N. T. pro religione ſua allegant, nihil quicquam huc conferre nec opem ullam aut utilitatem ipſis præſtare. —— Sic quoque producunt interdum ſcriptores N. T. rationes, & citant vaticinia prophetica, cum magna perverſione & immutatione, corrumpentes verba Dei vivi, ſecundum ſententiam & fidem ſuam. Aliquando enim quædam addunt dictis prophetarum, ſuæ cauſæ faventia; interdum tollunt ex ipſorum pronunciatis verba, quæ ſuæ religioni adverſantur. Nonnunquam pro religionis ſuæ argumento aliquid afferunt, aſſerendo, eſſe id teſtimonium propheticum, de quo in prophetarum ſcriptis nil quicquam reperitur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0052
DFG

gnantia potuerunt adduci. Quoad alterum momentum, etiamsi non ipsis semper fontis hebræi verbis Christus & Apostoli inhæserint, suo tamen officio satisfeciſſe eos monstratum fuit, modo sensum verborum, quæ demonstrationi debebant inservire, integrum immutatumque servarent o). Hoc ipsum vero, quod tanta virium contentione contra Allegata molitus est *Isaacus* nobis iterum argumento est, quod in Evangelii demonstrationem adhibita illa primitus fuerint. Quo certius enim, hac vaticiniorum & eventuum compage soluta, ruiturum christianismum putavit incredulus, tanto plus roboris & firmitatis ei jure adscribimus. Semper enim in refutando arcem causæ invadere consuevimus. Qua fide vero & quo scopo Judæi V. T. dictis alium nunc sensum subjiciant, quam quem Allegata eis tribuunt, ex unica nota judaica abunde perspicitur, quam Ps. II. adjecerunt: Rabbini nostri exposuerunt negotium totum de Rege Messia; sed secundum sensum litteralem, & *ut haereticis respondeatur*, æquum est, ut de ipso Davide explicetur. p)

§. V.

Iisdem vero, quibus Judæi, telis Allegata nostra quoque impugnarunt tum veteres Religionis christianæ hostes ex gentilibus, CELSUS maxime, JULIANUS & PORPHYRIUS q), tum recentiores antiscripturarii, inprimis ANTONIUS COLLINUS & SAM. PARVISHIUS; ille in *Discourse of the Grounds and Reasons of the Christian Religion* 1724. hic vero in *Inquiry into the Jewish and Christian Revelation. 1739.* At quicquid specioſi afferunt hi adversarii, id omne a Judæis mutuati sunt. Collinus quidem & Parvishius ne legisse quidem Judæos, sed solius Grotii vitulo arasse dicuntur; in eo tamen, ut necesse erat, Grotium deserentes, quod ne mysticum quidem in V. T. oraculis sensum ad Christum spectantem agnoverint. Utriusque objectiones per singula vaticinia eundo solide confutavit S. R. D. D. THEOD. CHRIST. LILIENTHALIUS *in der Guten Sache der göttl. Offenbarung. P. II. tota.*

§. VI.

Cum Allegata Scripturæ ipsius partem constituant, & quidem præcipuam, qua nimirum V. & N. Test. tanquam fibula connectuntur, per se

 patet,

o) De hoc quidem plenius agetur infra Cap. VII. Urgeri etiam hac parte contra Judæos potest, quod neque in V. T. ubi idem bis occurrit, eadem accurate verba servata fuerunt, quod ex collatione 2 Sam. XXII. & Ps. XVIII. facile demonstratur. cf. J. H. MICHAELIS in *Diss. de Textu N. T. græco p. 52.* Vide *Dem. Evang. Alleg. XXXI. pag. 196. not. t.*

p) cf. JOH. HENR. MAJI *Synops. Theol. Jud. p. 124.* RICH. SIMONIUS *in Hist. Crit. du N. T. p. 245.* ait: Leurs Docteurs (des Juifs) n'ont commencé à insister fortement sur les sens litteral, que lors qu'ils ont eu des disputes avec les Chretiens.

q) cf. RICHARD. SIMON *in Hist. Crit. du N. T. Cap. XXI. p. 244.*

patet, christianos S. S. Interpretes sicco illa pede præterire non potuisse. Fuere etiam, qui in suis commentariis peculiarem operam in illorum conciliatione cum dictis V. T. collocarent, nimirum PHIL. HENR. FRIEDLIEBIUS *in Theol. Exegetica s. Obss. in V. ac N. Test. 1660.* & ANDR. PRUCKNERUS *in Vind. Bibl. s. Comm. Philol. Theol. in omnes V. ac N. T. Libros. 1663.* [r]) Pertinere etiam huc quam maxime GROTIUM & CALOVIUM, nec non CALVINUM & sectatores, me non monente, omnes norunt; sed de his infra. Nominandus tamen est suo jure J. A. BENGELIUS *in Gnom. N. T.* qui non modo solicitam curam Allegatis adhibuit, sed etiam liberaliori, quam multi antea solebant, in iis interpretandis ac conciliandis ratione usus fuit, ut non raro brevis nota Gnomonica plus subsidii & lucis secum ferat, quam longæ aliorum disputationes. Præterea huc referri debent omnes illi scriptores, quos *harmonicos* vocant, id est, qui loca V. T. & Novi pugnare inter se visa conciliare studuerunt. Recenset eos PFAFFIUS *in Hist. Theol. Litt. P. I. p. 137.* & BUDDEUS l. c. p. 1534. quibus tandem & illi *Observationum Sacr.* auctores addendi, qui etiam plura ad nostrum institutum pertinentia loca Scripturæ tractarunt. Vid. idem PFAFFIUS l. c. p. 181. sq.

§. VII.

Ex professo autem, quod ajunt, Allegata sibi explicanda & vindicanda sumserunt ex Reformatis FRANC. JUNIUS, in libro, cui titulus: *Parallelorum Sacrorum* L. III. id est Comparatio locorum *S. S. quae ex V. T. in Novo adducuntur*; J. DRUSIUS, qui itidem scripsit *Parallela Sacra, seu locorum V. T. cum iis quae in Novo citantur, conjunctam commemorationem cum notis* [s]), quæ T. VIII. Crit. Angl. inserta fuerunt: & JAC. ALTINGIUS *in Parallelismo Testimoniorum V. T. quae citantur in Novo.* Exstat hic labor ad calcem T. II. Opp. Altingii, sed non ultra Cap. XII. Matth. progreditur. Ex nostris vero hanc spartam ornarunt ANDR. KESLERUS in Diss. sub Præs. JOH. MAIORIS, Theol. Jenensis, 1625. edita sub titulo: *de Dictorum V. T. in Novo Allegatione*, quam non solum HACKSPANII *Sylloge Diss.* exhibet p. 563. sqq. Sed & RHENFERDIUS in *Sylloge de Stylo N. T.* recudendam curavit, atque S. R. D. SEMLERUS eo numero habet, ut legere eam neminem pœnitere possit [t]). THEOD. HACKSPANIUS in *Diss. de Accommodatione*, quæ Socinianorum Accommodationi opposita est, at omne hoc simul argumentum mirum in modum illustrat. Inserta est Ejus-

r) cf. BUDDEUS *l. c. p. 1535.*

s) Præmisit DRUSIUS operi suo XIII. *Canones*, qui difficultatibus in Allegatis obviis expediendis inservire debent. Infra ad eosdem provocabimus.

t) In *Appar. ad Liberal. N. T. Interpret. p. 95.* Hæc KESLERI *Diss.* ut alia multa plane egregia continet, ita Cap. VI. *de sensu, quo dicta V. T. in Novo allegantur*, §. 39. summam eorum nervose exhibet, quæ supra Cap. II. disputavimus.

Ejusdem *Syllogae Disp. p. 417. sqq.* JOH. KAYSERUS in *Diss. de Allegatis V. T. in Novo*, sub praesidio JOH. CHRIST. PFAFFII. Tub. 1702. Addi his potest V. Cl. BAHRDII *Diss. de Locorum V. T. in Novo Accommodatione orthodoxa* Lips. 1763. CHRIST. SCHLEGELIUS *in Diss. Ager Sanguinis.* Grimae 1663. Cap. III. JOH. HENR. MICHAELIS in *Diss. de Textu N. T. Graeco p. 49. sqq.* Halae 1707. JOH. GOTTL. CARPZOVIUS *in Crit. S. V. T. p. 526. sqq. & p. 854. sqq.* JOACH. OPORINUS *in Diss.* saepius laud. *de Firmitate ac Inspiratione divina Demonstrationis Novi ex V. T.* Ad specialiora & singulorum Allegatorum vindicias descenderunt inprimis JOH. PETR. GRUNENBERGIUS *de Locis V. T. in Novo allegatis* FRANC. WOKENIUS in *Mose Harmonico* seu *V. & N. T. Harmonia*, qui à Gen. I. 27. coll. Marc. X. 6. exorsus in Cant. V. 1. VII. 11. coll. Apoc. XXI. 17. 20. desinit, adeoque, quae ex Prophetis citantur, non habet. BRAND. HENR. GEBHARDI in *Centum Locis N. T. contra R. Isaac vindicatis*, de quo jam supra. Tacemus alios, e. g. JOH. STEENBUCHIUM in *Dispp. de Alleg. V. T.* sive, *quae Christum Veteris in Novo Foederis Interpretem sistunt.* Haf-niae 1716. Hi vero omnes, si summatim de ipsis pronunciandum sit, ita in tractando hoc argumento versati sunt, ut communem Virorum doctorum applausum ferrent. Quamvis enim in singulorum locorum explicatione, conciliatione ac vindiciis non semper cuivis satisfecerint; id tamen sollicite caverunt, ne *Demonstrationi Evangelicae* ex Allegatis adstruendae quicquam derogarent. Jam vero ad eos devolvimur, qui a regia via magis minusve deflectentes, varias censuras experti sunt, atque hodienum, quo jure, ex dicendis patebit, experiuntur.

§. VIII.

Quod alias optimum est, simul vero etiam difficillimum, medium tenere, & ab extremis sibi invicem oppositis aequo spatio distare; id si in ipsa quoque Scripturae interpretatione semper secuti fuissent homines, infinitis modis rem christianam juvissent, quam, contraria sectando, totidem potius incommodis damnisque affecerunt. Exemplum hujus rei nostrum quoque argumentum suppeditat. Dum sensum Scripturae allegoricum, quem in infinitum extendebant hominum ingenia non satis subacta, Interpretes nonnulli fugiebant, in alterum extremum delapsi, praeter illum, quem littera dictabat, sensum, in plurimis vel etiam omnibus V. T. locis nullum alium se invenire posse putabant; alii contra ne jejunum nimis atque exilem divinorum oraculorum sensum redderent, nimium suae imaginationi indulgebant, & ita Scripturae sensum extendebant, ut nihil non ex quovis dicto elici posse, seu contentum in eo esse videretur. Et revera multae circumspectionis res est, ita hic altum tenere, ut tuto naviges, & neu-

neutro ex latere, ſcopulis allidaris. Quid mirum itaque, ſi pauciores tantum hoc nomine beatos prædicare poſſumus? Legat tamen & relegat, qui eo annititur, CAMP. VITRINGÆ *Praef. Comm. in Jeſ.* Hac obſervatione præmiſſa varia variorum ſtudia circa noſtra Allegata enarrabimus; qua in re, quod ad antiquiores S. S. Interpretes usque ſub tempora Reformationis ſpectat, grati in noſtros uſus vertemus S. R. D. ERNESTI *Narrationem Criticam de Interpretatione Prophetiarum Meſſianarum in Eccleſia Chriſtiana. Lipſ. 1769.*

§. IX.

Male plerumque hac in cauſa ex veteris Eccleſiæ Doctoribus audit THEODORUS, *Mopsveſtiae* in Cilicia Epiſcopus, circa annum 428. defunctus; & cum ſæpius diſcipulorum vitia etiam Magiſtris tributa ſint, eadem quoque Scripturam interpretandi ratio adſcripta fuit ejusdem Præceptori, DIODORO, *Tarſi* Epiſcopo, circa annum 394. vivis erepto, qui ipſe pariter imitatus fuiſſe dicitur EUSEBIUM, *Emiſae* in Phœnicia Antiſtitem circa annum 360. mortuum [u]). Multa eſt de Diodoro ac Theodoro in lite Neſtoriana diſputatio, de qua vero notandum eſt, non eos vivos, ſed dudum mortuos erroris illius accuſatos fuiſſe. Quod vero ad præſentem cauſam ſpectat, quid deſideratum damnatumque ſit in Theodoro ex Turriano legere potes apud CALOVIUM in *Bibl. Illuſtr. ad Amos IX. 11. 12. p. 812.* At dudum probabile viſum fuit Eruditis, Epiſcopos hos plus non peccaſſe, niſi quod, cum enormem illam allegorizandi libidinem improbarent, & ſenſum Scripturæ litteralem ſeu hiſtoricum ſectarentur, intra juſtos forte limites ſe non continuerint, & in uno forte alterove loco, qui revera Chriſtum ſpectabat, & ipſi lapſi fuerint. De Diodoro hæc habet SOCRATES Hiſt. Eccl. L. VI. cap. 3. Διόδωρος δὲ αὐτῶν ὕστερον ἐπίσκοπος Ταρσοῦ γενόμενος, πολλὰ βιβλία συνέγραψε, ψιλῷ τῷ γράμματι τῶν θείων προσέχων γραφῶν, τὰς θεωρίας αὐτῶν ἐκτρεπόμενος. *Poſtquam vero Diodorus ad Epiſcopatum Tarſi promotus, multos conſcripſit libros, ſimplicem duntaxat atque obvium Scripturae ſenſum inquirens, allegoricam vero earum interpretationem refugiens.* Ex verſione VALESII, cujus quoque cf. *Notas ad Socratem p. 75.* Eadem habet SOZOMENUS L. VIII. cap. 2. Aſt θεωρίας non accurate verti per *Allegorias* S. R. D. D. ERNESTI docet in laud. *Narrat. Critica p. 6. ſq.* inquiens: Nobis certum videtur, θεωρίαν eum ita dixiſſe, ut intelligeret interpretationes, quæ res ſenſibiles ad inviſibilia & ſpiritualia traduceret ingenio & arte. — Ἀλληγορίαν intelligimus poſitam a Diodoro eſſe in iis, in quibus per figuram aliquam, de conſilio Spiritus S. exprimerentur res Chriſti: quem ſenſum myſticum dicimus proprie, dicuntque veteres, ſi qui accuratius ſcribunt, ut

u) Vid. CAVE p. 247. 170. & 130.

ut cum sub nomine & figura Davidis aliquid de Messia dicitur". Præmissa hac explicatione vocis θεωρίας monstrat deinceps Vir summus p. 8. Diodori rationem scripta prophetica interpretandi fuisse hanc, ut alia Prophetarum dicta εἰς χριστὸν μόνον καὶ κυρίως, intelligi debere κατὰ ῥητὸν & καθ' ἱστορίαν diceret, quorum vero non magnus sit numerus; alia μυστικῶς, quæ κατὰ ῥητὸν & καθ' ἱστορίαν de aliis, ut Davide, Salomone, Ezechia, eventisque humanis scripta essent; quod utrumque genus propheticum, utriusque generis ῥήσεις prophetice dictas dixerit: Esse etiam, quæ ad Christum referrentur interpretando, exemplo Apostolorum ipsorum, etsi prophetice dicta non essent: id fieri per θεωρίαν, rebus historicis & naturalibus ad spiritualia trahendis, quam rationem non esse interpretantis, sed accommodantis, nec adeo in commentariis, ad interpretationem, quæ proprie dicatur, pertinentibus aut adversus Judæos usurpandam". Idem vero interpretandi genus THEODORO *Mopsvestieno*, COSMÆ *Indopleustae*, aliisque compluribus familiare fuisse docetur ibidem p. 9. quæ huc non transscribemus, quia, si Diodori rationem interpretandi novimus, omnium novimus, qui hac in re inter antiquos aberrasse dicuntur. Unice itaque in eo peccasse censendus est Diodorus, quod non tam multa V. T. oracula de Christo unice agere statuit, quam alii existimabant, quorum tamen numerum neque hodie definire possumus. Rem ipsam haud negavit.

§. X.

Produci hic quoque posset FAUSTUS *Manichaeus*, qui negabat, se ullas de Christo prophetias, quamvis studiose sibi quæsitas, in Mose invenire potuisse, licet Christus ipse dixerit, Mosen de se testatum esse. Vid. AUGUSTINUS *contra Faustum L. XVI. cap. 2.* x) Sed cum ad privatas quorundam opiniones hic non descendamus, ad id solum attenti, quomodo Scripturæ Interpretes ista de Christo oracula in N. T. allegata tractaverint; non opus est ei immorari.

§. XI.

Qualis vero sequentibus post Theodorum seculis illa interpretandi ratio in Ecclesia valuerit; qualem deinceps primi Protestantium Theologi, LUTHERUS, MELANCHTHON, MART. BUCERUS sub nomine *Aretii Felini*, OECOLAMPADIUS, PELLICANUS, MUSCULUS, ESROMUS, RUDINGERUS secuti sint, idem exponit D. ERNESTI p. 23. sqq. De CALVINO tamen, de quo brevior Ille est, quam de reliquis, plura dicenda sunt. Hic enim in

x) cf. RICH. SIMON *Hist. Crit. N. T. cap. XXI. p. 247.*

in ſuis *Comment. in S. S.* locum V. T. non unum, qui alias *unice* de Chriſto agere tradebatur, & in N. quoque Teſt. de Eodem explicatur, de alio ſubjecto interpretatus eſt, eumque deinceps a Chriſto & Apoſtolis per *piam deflexionem, alluſionem, accommodationem* ad res N. T. tractum fuiſſe dicit. Eminent inter hos locos Act. II. 27. ſqq. coll. Pſ. XVI. 9. 10. Hebr. I. 5. coll. Pſ. II. 7. Matth. III. 3. coll. Jeſ. XL. 3. Matth. XXVII. 35. coll. Pſ. XXII. 19. Luc. IV. 17. ſqq. coll. Jeſ. LXI. 1. ſqq. Matth. XXVII. 9. 10. coll. Zach. XI. 13. Marc. XIV. 27. coll. Zach. XIII. 7. Conſilii ſui rationem non ſemel pandit Calvinus, nimirum eo tendentem, tum ut Judæis anſam præcideret calumniandi, quaſi N. T. ſcriptores in cauſæ ſuæ præſidium advocarint, quæ nullo modo ad eam pertinerent; tum ut allegoricum interpretandi genus, quod inde à Patribus ſemper in Papatu plurimum viguerat, infringeret. Ex pluribus Calvini locis unum apponimus, qui ejus mentem planiſſime videtur exponere. Ita vero inquit *in Comm. ad Hoſ. XIII. 14.* Neque enim ex profeſſo ſemper locum adducunt Apoſtoli, qui toto contextu ad inſtitutum, quod tractant, pertineat: ſed *interdum* alludunt ad unum verbum duntaxat; *aliquando* aptant locum ad ſententiam per ſimilitudinem; *aliquando* adhibent teſtimonia. Ubi Apoſtoli utuntur Scripturæ teſtimoniis; illic quærenda eſt ſimplex & genuina veritas: ubi autem verbum duntaxat unum perſtringunt, non eſt tam anxie laborandum: ubi etiam per ſimilitudinem deſignant aliquem Scripturæ locum; eſt illa etiam nimis ſcrupuloſa anxietas, quærere, quomodo ſingulæ partes conveniant". Eandem vero cum CALVINO interpretandi rationem ſuam quoque feciſſe PISCATOREM, PAREUM, RIVETUM, aliosque Eccleſiæ Reformatæ Theologos, nemo mirabitur; quamvis non ita omnes in verba Magiſtri juraverint, ut in his illisve locis ab ejus ſententia recedere, religioni ſibi duxerint. Ipſe quoque VITRINGA *in Typo Theol. Proph p. 191.* haud veretur ſcribere: Calvinum pro ingenii ſui ſeveritate, & poſt ipſum, Piſcatorem, in verbo prophetico interpretando minus liberaliter eſſe verſatos. COCCEJUS vero, & qui ipſum ſecuti ſunt, in alia deinceps omnia abiverunt, & in altero extremo, uti CALVINUS in oppoſito, peccarunt. Medium tenuit VITRINGA cum aliis, cujus *Praef. in Jeſ.* ſupra jam laudata, egregiam hujus rei inſtitutionem exhibet.

§. XII.

Gravius vero Calvini interpretationes tulerunt noſtræ Eccleſiæ Theologi, e quibus ÆGID. HUNNIUS peculiari ſcripto Calvinum aggreſſus eſt, ſub titulo: *Calvinus Judaizans*, h. e. *Judaicae Gloſſae ac corruptelae, quibus Joh. Calvinus illuſtriora S. S. loca & teſtimonia de glorioſa Trinitate, Deitate Chriſti & Spiri-*

Spiritus S. cumprimis autem vaticinia Prophetarum de Adventu Messiae, nativitate Ejus, passione, resurrectione, ascensione ad cœlos & sessione ad dextram Dei, detestandum in modum corrumpere non abhorruit. Liber hicce 1593. primum prodiit, & deinceps Auctoris *Opp. T. II.* insertus fuit. Respondit Hunnio, Calvini causam acturus, DAVID. PAREUS in *Clypeo Veritatis Catholicae de Sacrosancta Trinitate 1594.* cui iterum HUNNIUS opposuit *Anti-Pareum* i. e. *refutationem in defensionem corruptelarum, quibus Joh. Calvinus scripturae testimonia de Trinitate & Christo corrupit.* De quibus vid. BUDDEUS in *Isagoge p. 1061. sq.* & BÆLIUS in *Dict. Art. Hunnius.*

§. XIII.

Non omnis ista lis in suo ambitu nostri instituti est; pertinent huc tantummodo V. T. oracula in Novo allegata, quæ, cum ab orthodoxis Theologis de uno Christo litteraliter agere dicerentur, de alio à Calvino subjecto explicabantur, & per accommodationem tantum piamque deflexionem a Christo & Apostolis allegata fuisse dicebantur; qua de re nobis quidem ita videtur:

1) Assentimur omnino WEISMANNO, qui in *Mem. Hist. Eccles. T. II. p. 921. edit. secundae.* extra dubium esse ait, modum excessisse Calvinum in enervatione locorum de Christo in scriptis suis. Itaque si paulo acerbius quoque ab Hunnio habitus fuit, hic, in plurimis certe, veritatis defensorem egit: quamquam quæ nobis durius dicta videri possent, isto seculo talia non videbantur.

2) Credimus, Calvinum non mala mente in isto negotio versatum fuisse, sed revera id quæsivisse, ut omnes elabendi rimas Judæis obstrueret, si pauciora quidem, sed nonnisi fortissima argumenta illis opponerentur. Ast imprudenter tamen egit, cum offensioni se fore Christianis prævidere posset, spem vero non haberet, fore ut Judæorum pertinaciam tanto citius expugnaret. Cum itaque

3) alia plura de Christo testimonia in prophetis inveniret Calvinus, quæ neque phraseologiæ tantum gratia, neque propter meram similitudinem, sed *ut vere testarentur de Christo*, fuerint in N. T. allegata; absit quam longissime, ut inimicum illi adversus Evangelii Demonstrationem animum tribuamus. Dixerit itaque, non pauca per accommodationem, allusionem, deflexionem ad Christum applicata fuisse; id tamen non dixit, nonnisi per meram accommodationem Christum & Apostolos adversus Judæos id, quod probare debebant, probavisse.

§. XIV.

Longe vero alia est *Accommodatio Sociniana*, ad cujus considerationem jam devolvimur. Quid illa sibi velit, brevissime exponit Canon JOH. SOM-

SOMMERI [y]), Sociniani: *Quicquid ex V. T. ad Novum transfertur, iisdem illud verbis quidem effertur, in rebus autem nonnisi similitudinem, eamque saepe perexiguam habet.* Ita vero intellectum hunc Canonem volunt, ut nullius plane V. T. vaticinii subjectum, neque immediatum neque mediatum, Christus esset, sed, quæ de diversissimis plane personis ibi enunciata leguntur, nonnisi propter aliquam similitudinem applicentur ad Christum [z]). Quibus vero causis impulsi hoc accommodationis genus sibi sectandum sumserint Sociniani, aperte declarat SOCINUS ipse de nostra V. T. dicta de Christo explicandi ratione ita differens *adversus Eutropium p. 159.* [a]) In hac argumentatione continetur fons omnis erroris circa Christi personam; quia enim nonnulla invenimus apud V. T. Prophetas de ipso Deo dicta aut prædicta, quæ in N. T. ab Evangelistis aut Apostolis vel Christo tribuuntur, vel ad Christum accommodantur: idcirco opinati sunt, Christum essentialiter esse ipsum Deum, qua in re vix dici potest, quam turpiter sint lapsi".

§. XV.

At vero, cum ipse scopus, veram nimirum Christi Deitatem negandi, quem ut obtinerent, hoc accommodationis genus usurparunt Sociniani, suspectum illud jam reddere debeat; tum loco etiam non uno in manifesta absurda incidunt, quando tueri volunt, de Deo Patre in V. T. dicta esse, quæ per accommodationem tantum in N. T. ad Christum sint traducta. Ita e. g. Joh. XIX. 37. coll. Zach. XII. 10. cum apud Prophetam Deum Patrem metaphorice transfixum & confossum proponi ajunt per peccata Judæorum, etiam in Christo, Dei Legato, commissa; etiam concedere debent, Deum eapropter plangi debere, quod absurdissimum est. Unum enim idemque ibi servari subjectum, etiam mutata in suffixo persona, solide à Nostris ostensum fuit. Cum vero hac sua accommodatione per universum N. T. grassentur Sociniani, prona est illatio, eos ipsam Evangelii Demonstrationem subvertere; neque enim, ista semel admissa, unquam Evangelii veritatem probarunt Christus & Apostoli [b]). Verum est, in locis nonnullis eadem cum Socinianis etiam Calvinum habere; at valeat hic suo jure: Duo cum faciunt idem, non est idem; uti clarum esse debet ex iis, quæ supra de Calvino diximus.

§. XVI.

Magis vero dolemus, quod etiam HUGO GROTIUS, cujus alias *in S. S. Annotationes* tantum lucis ejus interpretationi affuderunt, V. T. dicta per accommodationem tantum in Novo allegata esse dixerit, tantum non eodem,

y) Apud KESLERUM *in Diss. cit. §. X.*
z) cf. RAMBACHII *hist. theol Einl. in die Relig. Stritt. mit den Socinianern. P. I. p. 287.*
a) Apud OPORINUM *Diss. cit. p. 54.*
b) cf. Omnino THUMMII *Impietas Photin. p. 105. sqq.*

dem, quo Sociniani ambitu, licet non eodem prorsus sensu, neque etiam eodem scopo. Non enim dici potest, Grotium id inimico adversus divinitatem Christi animo fecisse c). Operæ pretium erit, Grotii sententiam seu systema, quod non ab omnibus recte capitur, ipsius verbis hic proponi, ad exemplum WALTONI in *Appar. Crit. p. 306.* Ita vero Vir Summus *ad Matth. I. 22.* " Quæ vis sit hujus vocis ἵνα πληρωθῇ, multum refert, ut recte intelligatur. Nam hunc similesque locos olim Celsus & Julianus, Judæi veteres olim, & nunc quoque soliti sunt christianis objicere, tanquam minus fideliter ab Apostolis, eorumque sectatoribus adducta esset Prophetarum auctoritas. Sed notandum est, non pugnare Apostolos adversus Judæos his quasi testimoniis, ut probent, Jesum esse promissum Messiam: pauca enim sunt oracula, quæ in hunc finem usurpant, contenti cæterum Christi miraculis & resurrectione. — At quibus id jam persuasum erat, Jesum esse illum Messiam, his simul ostensum voluerunt, quomodo tota divina οἰκονομία priorum temporum hunc Ipsum Christum ejusque res gestas, ut pulcherrimam ac perfectissimam speciem perpetuo velut ante oculos habens, cætera omnia ad illud instar effinxerit. — Non igitur instituta tantum Legis, umbra Christi fuerunt, quod ostenditur Hebr. VIII. 5. X. 1. Col. II. 17. sed & res gestæ, præsertim nobiliores. — Quodsi res ipsæ divino consilio Christum spectant, sane & signa rerum, divinitus instituta, eodem referenda sunt. Sunt autem signa duum generum, ὁρατὰ & ἀκουστὰ: & quæ signantur, sunt præterita, instantia, futura. — Ὁρατὸν signum rei præteritæ, liberationis scilicet ex Ægyptiaca servitute, fuit agnus Paschalis; liberatio autem illa typus liberationis nostræ a peccatis. Hac de causa Christus ostenditur in Paschali agno fuisse adumbratus 1 Cor. V. 7. — Ad ἀκουστὰ ut veniamus, commemorationem præteriti beneficii habet Oseæ locus c. XI. 1. liberationis nimirum ex Ægypto, quæ, ut jam diximus, majoris libertatis per Christum partæ rudimentum quoddam fuit. Ipsa autem historia Christi nos admonet, ita directam a Deo mentem Prophetæ loquentis, ut, quod de Populo Israëlitico ab eo dicebatur, non minus recte, aut etiam rectius in Christum conveniret Matth. II. 15. — Locutionum, quæ ad instans tempus directe pertinebant, & tamen divino consilio ad Christum referebantur, hæc habemus exempla: Ea, quæ de stragibus suo tempore editis in Bethlehemitica regione dixerat Jeremias Cap. XXXI. 15. ita depingunt id, quod ab Herode patratum est, ut vix aliis verbis possit id ipsum signatius exprimi. — Cum vero veterum nullus majoribus malis a Deo exercitus, rursumque majore gloria affectus fuerit, quam David, plane apparet, hoc a Deo actum, ut res Christi in illo propius, quam

c) Idem quidem consilium etiam Grotio tribuit HEUMANNUS *in Sylloge Diss. T. I. p. 434,* sed magis placet Judicium *Ernestinum in Cit. Narr. Crit. p. 32.*

in cæteris præsignarentur. Ideo & verba, quibus conqueritur, immerito se exosum, immo ab eo, quem amicis accensuerat, proditum, ejusmodi sunt, ut ad Christi res nihil possit accommodatius dici, quod apparet Ps. XXXV. 19. Joh. XV. 25. Ps. XLI. 10. Joh. XIII. 15. Act. I. 17. Quid quod quædam ita de se elocutus est David, ut, quæ ipsi conveniebant κατὰ λέξιν ἐχηματισμένην, ea ad Christum, servata verborum proprietate, pertinerent. Quale est illud de vestium divisione & sortibus jactis Ps. XXII. 19. Matth. XXVII. 35. Joh. XIX. 24. deque amaro atque acido potu Ps. LXIX. 22. Joh. XIX. 28. Idem observare est in præsagiis futurorum, nisi quod hæc dicere possumus bis impleri, semel cum res illa evenit, quæ directe prædicitur; iterum vero, & quidem excellentius, cum id apparet, cui adumbrando ipsa illa res, ac proinde etiam verba eam notantia, servierunt. Hæc GROTIUS.

§. XVII.

Rem diximus ipsam, quam potuimus, brevissime; omissis, quæ illustrationis tantum gratia adjecta ab ipso fuere, & contenti uno exemplo, cum plura ille protulisset. Dicendum jam ingenue, quid nobis de Grotiana hypothesi videatur:

1) Differt omnino Grotii accommodatio ab illa Socinianorum. Nam

a) Agnovit Grotius, quædam Allegata, sed vix duo vel tria, quæ secundum ipsum sensum dicti litteralem ad Christum applicata sint. Matth. XXII. 44. coll. Ps. CX. 1. Matth. XI. 10. coll. Mal. III. 1. IV. 5. Quemadmodum etiam præter hæc solum Christum vidit in vaticiniis Gen. XLIX. 10. Dan. IX. 24. Hagg. II. 7. 8. Quæ ut pauciſſima sunt, tamen probant, Grotium rem ipsam, vaticinatos esse Prophetas de Christo, haud negasse.

b) In reliquis omnibus agnoscit typum, adeo, ut, *si res ipsae divino consilio Christum spectabant, sane & signa rerum divinitus instituta eodem referenda* dixerit. Sociniani propter aliqualem, sæpe perexiguam, similitudinem V. T. dicta & facta ad Christum translata dicunt: à Grotio Christus in ejusmodi locis non ignoratur vel negatur; præstruitur potius, cujus nimirum gratia ipsos typos ait exstitisse.

c) Neque generalem tantum ad Christum respectum admittit, sed specialem & specialissimum, ita ut non modo excellentius in Christo impleta fuisse ejusmodi dicta asserat, sed & ita a Deo Prophetarum verba directa, ut nonnulla proprie in Christum caderent, quæ nonnisi κατὰ λέξιν ἐχηματισμένην in alios. Itaque adeo non Christum ex ejusmodi locis exulare jussit, ut potius plus antitypo tribueret quam typis.

d) Cum ait, dici posse, futurorum præsagia bis impleta fuisse, semel in instantibus, deinceps vero iterum & excellentius in Christo; eo ipso con-

consentit, utrumque sensum eidem vaticinio æque fuisse insitum: quod quantum distet ab accommodatione Sociniana, ne opus quidem est dicere.

2) Multum vero quoque peccavit Grotius:

a) Quod tam pauca vaticinia litteraliter & unice de Christo agere agnovit, qua in re eo minus excusandus videtur, si verum est, eum inprimis litterales quosdam Judæorum Commentarios, maxime qui *Michlol Jophi* dicitur, duces secutum esse. A sectæ præjudiciis omnino plus sibi timere debuisset Grotius, adeoque tanto circumspectius iisdem uti, toties admonitus & in viam revocatus, ubi ex omni historia Israëlitica non exsculpere posset subjectum, cui prophetiarum prædicata rite convenirent.

b) Quod, ut hypothesi serviret, ipsi textui manifestam vim inferre haud dubitavit. e. g. Jes. IX. 6. ubi tam contra accentus, quam contra usitatum vocis יועץ significatum, verba יועץ אל גבור reddidit *Consultator Dei fortis*, i. e. qui in omnibus negotiis consilium a Deo poscet; modo ut ad Hiskiam detorquere oraculum possit. [d])

c) Quod plane negat allegationibus suis probare Apostolos adversus Judæos voluisse, Jesum esse Christum; de quo prolixe satis supra Cap. I. ubi etiam monstravimus, adversus Judæos miracula non suffecisse. Quod vero ad Resurrectionem Christi attinet, illa sub initiis Præconii Evangelici in argumentum adduci non poterat; & postea quoque Petrus maximam hujus argumenti vim ex eo repetebat, quod ita prædictum fuerit in Psalmis. Act. II. 27. sqq. [e]) Adde 1 Cor. XV. 4.

d) Quod denique etiam sensus sui mystici certam stabilemque rationem secutus non est, utut semper eum jactet, magnificeque extollat: neque etiam alias huic suo systemati satis fidum se & constantem præbuit, sed a semet ipso, quod alias quoque Magni Viri ingenium erat, non raro descivit. [f]) Cum vero ad illustrationem N. T. primum accesserit, probabile est, Virum eruditum a systemate satis moderato sensim sensimque, quo magis Judæos audiebat, magis deflexisse.

Quamvis itaque Grotius ipse neget, Christum & Apostolos Allegatis probare voluisse, Jesum esse Christum; equidem tamen non dixerim, Demonstrationem Evangelii cum ipsius Hypothesi, sobrie accepta, stare nullo modo posse; ostensum enim est, etiam in sensu typico vel mystico veram probandi vim inesse. Quare hic non plane assentimur VITRINGÆ, qui in *cit. Praef.* p. 10. scribit: Grotianam hypothesin & in ea fundatam methodum cum honore & veritate sanctissimæ religionis nostræ, aut cum auctoritate Chri-

d) Graviter de mala hac Grotii fide conqueritur VITRINGA in *Comm. ad. h. l.*

e) De hac Petri Argumentatione legatur inprimis OPORINUS *Diss. cit.* p. 57.

f) Insigne hujus inconstantiæ exemplum dedimus in *Tract. de Remiss. Pecc. V. & N. T. p. 85. sqq.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0063
DFG

Christi & Apostolorum ejus conciliari posse, ægre admiserim. Debilitat quidem Demonstrationem Evangelicam Grotii hypothesis, at non tollit.

§. XVIII.

Grotii *Annotationes in S. S.* examinandas, ac, ubi necesse videbatur, confutandas sibi sumsit Abr. Calovius, magni nominis in nostra Ecclesia Theologus, in *Bibliis Illustratis;* cujus itaque magna admodum in nostrum argumentum merita exstiterunt; quia, ubi a recto tramite aberrat Grotius, meliora suppeditat. Vid. de hoc Opere Bibl. Buddeus in *Isag. p. 1474. sqq.* unde hoc unum transcribendum duximus, quod *ibidem p. 1476.* ex *Colleg. Ms.* Joh. Fechtii recitatur: Cum Calovius plurima V.T. dicta argumentis, vel apodicticis vel probabilibus certe, Christo vindicaverit, & nonnulli ex Theologis, imprimis laxioribus, dubitare cœperint, an opera illa laudem mereatur, quia quod argumentis infirmis probetur, ludibrium potius adversariis præbeat, & veritatem prodat, quam confirmet, *Fechtius* siniſtro huic, ut vocat, de *Opere Calovii* judicio seqq. opponit: I. Quod de Christo omnes Prophetæ testentur Act. X. 43. quod per argumenta plane convincentia probari non potest, nisi & probabilissima in subsidium vocentur. II. Nec Christus ipse & Apostoli semper usi sunt argumentis apodicticis. III. Ubi in aliis locis jam apodictica comparuerunt argumenta, non impedit, quo minus & probalia adhibeantur. IV. Argumenta probabilia non sunt judicanda absolute, sed comparate intra contextum & œconomiam ejus, & exinde inferendum, cui maxime competant. V. Probabilia argumenta sunt diversi generis, & alia generant opinionem incertam, alia fidem certiorem, alia ad apodicticam certitudinem, quam proxime assurgunt. Omnibus justo suo titulo utitur Theologus in interpretando, quia non opus est, ut certitudinem apodicticam in omnibus habeat. Hæc *Fechtius*. Quæ num omnia apte & accurate satis dicta sint, non disquiremus, id unum protestati, laxioribus, quos vocant, Theologis nos neminem eapropter annumeraturos, quod vaticinia intelligere de Christo nolit, quæ nonnisi infirmis argumentis de Eo agere ostendi possit. Etiam Coccejani rationes sibi habere videntur probabiles.

§. XIX.

Grotianam vero *accommodationem* plane invaluisse inter Arminianas Scripturæ Interpretes Grotio posteriores, Limborchium maxime & Clericum, nemo mirabitur; id potius mirum videri posset, quod etiam Richardus Simonius, Theologus Pontificius, eadem adoptaverit, nisi palam esset, eum id feciſſe, ut Traditionis in Ecclesia necessitatem inde adstrueret. g) In

g) *In Hist. Crit. du N.T. Cap.* XXI. p. 246. Il est vrai, que ce, qui est purement allegorique, ne peut servir de preuve positive pour établir une Religion. Mais lorsque ces Allegories sont appuyées sur la Tradition, on peut alors les emploier & les appliquer à des faits, qui sont deja constans par cette Tradition.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0064
DFG

In LIMBORCHIO quidem parum reprehendere possemus, si talem se præstitisset in Scripturæ interpretatione, qualem in *Theol. Christ. L. I. cap. 9. §. 4. sqq.* se professus est. h) At ipse postea in suis Comment. Sectæ studio in alia omnia abreptus fuit. Ita e. g. scribit ad Act. II. 22. sq. Quando ergo Apostoli vaticiniis Prophetarum prædicationem suam confirmant, ea non allegant, tanquam oracula *directe hoc probantia & nunc demum impleta*, sed tanquam id, quo Christi Majestas doctrinæque Ejus divinitas demonstratur, *illustrantia & magis confirmantia*. Atque ita sæpius.

§. XX.

Non vero Accommodatio, qualis à Grotio relicta fuit, satis arridebat SIMONIO & CLERICO, qui eapropter ad illam ornandam, vel potius depravandam, novis artibus pigmentisque sunt usi. Viderunt scilicet hi Viri eruditi, ne cum specie quidem veritatis a Grotio dici, non adhibita fuisse a Christo & Apostolis vaticinia ad probandam Evangelii doctrinam, cum tota historia ei asserto reclamet. Concedunt ergo utrique, Eos illam probasse, dum allegarent, sed probasse duntaxat κατ' ἄνθρωπον, non modo ubivis & ad quoscunque valido; sub ea tamen differentia, ut *Simonius* i) dicat, eum, quo usi sint, argumentandi modum fuisse inter Judæorum Magistros usitatissimum, speciatim vero dici debere *pharisaicum*, quia Pharisæi, sensu Prophetiarum literali Sadducæis k) relicto allegorico maxime argumentandi genere delectati fuerint, quare etiam contra Pharisæos tantum plerumque Christus disputaverit: *Clericus* l) contra idem argumentandi genus e schola Alexandrina repetat, ubi illud obtinuisse ex Philone satis superque constet. Utrique de Epistola ad Hebræos ejusque Auctore tantum loqui videri volunt, quem *Simonius* Paulum fuisse concedit, ut Gamalielis, Pharisæi, discipulo tanto confidentius pharisaicam disputandi

h) Ibi enim §. 9. hæc habet: Propheta Jes. Cap. LII. sub typo liberationis populi ex captivitate Babyl. describit liberationem spiritualem ex servitute peccati & mortis per Jesum Christum. In fine autem Cap. relicto typo incipit directe antitypum, Jesum Christum describere, eamque descriptionem continuat Cap. LIII. de Christo adeo eximia ipsique soli propria dicens, ut nullo modo, ne quidem sensu improprio ac figurato ulli typo applicari possint. &c. Ita non *Grotius* ad h. l.

i) In *Hist. Crit. N. T. Cap. XXI toto.* ubi p. 245 ita habet: Pour juger des raisonnemens, que Jesus Christ & ses disciples employent dans les Livres du N. T. il faut avoir recours à ce qui se pratiquoit de leurs tems ches les Juifs: & si l'on trouve, que leur maniere de raisonner & d'appliquer au Messie de certains passages de l'Ecriture est conforme à l'usage de ces tems-là, on ne peut les condamner sans leur faire injustice.

k) Ib. p. 246. Prétendre, qu'on ne doit pas expliquer mystiquement le Vieux Test. mais seulement à la Lettre, & selon le sens historique —— c'est le pur Sadducëisme.

l) In *Hist. Eccl. p. 460. n. 2.*

tandi methodum tribueret; *Clericus* vero Apollosum seu alium virum θεόπνευςον scholæ Alexandrinæ regulis interpretandi innutritum: Utrique tamen latius idem extendunt: Simonius quidem, dum Enjedini se discipulum ea in re profitetur, qui ipsi Christo eandem argumentandi rationem adscribit; [m]) Clericus vero, dum in sua *Harmonia Evangelica* Allegata quæcunque eundem in modum explicat, ut omnis vera probatio in illis exspiret, e. g. ad Math. XIV. 27. coll. Zach. XIII. Continget id, *quod exprimi queat verbis Zachariae.* ad Joh. XIX. 28. 29. coll. Ps. LXIX. 22. Ita ut Jesu *contigerit id, quod de se dixerat David.* &c. [n]) De utroque pluribus agit, & utriusque hypothesin exacte refutat OPORINUS *in Diss. Saepius cit.* p. 60 - 75.

§. XX.

Pro nostro scopo sequentia observasse sufficiet:

1) Quod Epist. ad Hebræos attinet, Paulus aperte id ibi agit, ut Typos & Antitypum inter se conferat, atque intimam Typorum V. T. rationem expromat. Hoc vero si pharisaicum interpretandi genus dicendum est, aut nos hodienum φαρισαΐζειν debemus, aut ab omni istarum rerum explicatione abstrahere. Sin autem Paulus in explicandis Typis fundatissimum interpretandi genus expressit, cur in solo Cap. primo °) inconditum aliquod allegorizandi studium, sive Pharisaicum., sive Alexandrium, secutum eum esse dicamus? Fuerit Paulus, ut fuit, Gamalielis discipulus; fuerit Epist. ad Hebr. Auctor nescio quis Judæus Alexandrinus: quis dicat, etiam Paulum ad Christum conversum, non rectius eruditum fuisse à Spiritu S. in scribenda Epistola, quæ Canoni scripturæ erat destinata?

2) Historice falsum est, Christum & Apostolos adversus solos Pharisæos vaticinia ista allegando disputasse. Una eademque methodo usi sunt ad Judæos quoscunque, sive alterutri, sive neutri sectæ adscriptos. Ergo aut adversus hos omnes κατ' ἄνθρωπον ita disputare potuerunt, etiamsi eandem omnes interpretandi rationem haud admiserint, quod absurdum est; aut communis illa fuit omnium Judæorum, quod Adversarii nostri negant

m) ENJEDINUS *in Expos. dictorum S. S.* ad Ps. CX. Præterea Christus non obscure significat, hunc Psalmum non litteraliter & historice sed solum mystice & spiritualiter Messiam appellasse Dominum suum. Quod autem Pharisæi huic interpretationi acquieverunt, secuti suam professionem & sectæ suæ sunt placita. Nam Pharisæi etiam mysticam scripturæ interpretationem, non ut Sadducæi, qui solam litteralem amplectebantur, admittebant. Vid. THUMMIUS *l. c.*

n) ex RAMBACHII *Herm. S. p. 156 sq.* qui observat quoque, jam ALEX. MORUM huic sententiæ præluisse in *Notis ad N. Test.*

°) De hoc enim maxime solliciti sunt, quotquot ex Socino hac in causa sapiunt.

gant; aut ista argumentandi methodus recte se habuit, & V. T. dicta allegata absolute & adversus omnes probarunt, quod probandum erat.

3) Historice certum est, ut supra monuimus, Judæos, vi Prophetiarum, Messiam, certam & individuam personam, exspectasse. Joh. I. 19. sqq. 45. IV. 25. VII. 14. 69. VII. 27. 41. Quod quam maxime etiam ex Historia passionis Christi perspicuum est. Matth. XXVI. 67. 68. Marc. XIV. 61. XV. 32. Luc. XXIII. 35. Velim mihi explicetur, qua tandem ratione homines in eam sententiam fuerint inducti, si vaticinia talem personam nunquam designarunt, & Christus omnia per pharisaicum allegorizandi studium ad se traxit. Dici potest, ante Christum in ea opinione jam fuisse Judæos; concedo; sed quisnam tandem opinionis hujus fons ultimus detegetur, nisi in sensu prophetiarum litterali? Omnis enim sensus mysticus aliquid supponit planius, notius ac certius, cui debet inniti [p]).

4) Neque supplent Simonius ut Clericus, quod in sententia Grotii supplendum videbatur. Si probarunt Christus & Apostoli suis Allegatis Evangelii veritatem, probare debebant argumentis communibus, quæ non apud solos Judæos, sed eos omnes valerent, ad quos Evangelium ipsum pertinebat. Quid ad nos omnia ista Argumenta κατ' ἄνθρωπον? Eo ipso vero simul perspicitur, ne copiosius repetamus que superius jam dicta sunt, omne isthoc accommodationis genus ipsam Evangelii Demonstrationem subvertere.

§. XXI.

Ast novam plane lucem Argumento nostro affundere sibi videbatur GUIL. SURENHUSIUS, Gymn. Amstelod. Prof. edito 1713 ספר המשוה s. Βιβλῳ Καταλλαγῆς, *in quo secundum veterum Theologorum Hebraeorum formulas allegandi & modos interpretandi, conciliantur loca ex V. in N. T. allegata.* Occasionem hujus scripti ipse Vir eruditus hanc in Præf. affert, quod, cum de Allegationum istarum conciliatione pene desperasset, & ex Judæo aliquo, qui ad Christianorum sacra conversus, & ad Judaismum postea reversus, non tamen a N. T. integritate aversus erat, quæsivisset, quid de locis ex V. T.

 in

p) Ad hoc probe attendi velim: Fieri potuit, ut certa oracula sine fundamento exegetico de Christo explicarentur: ut vero omnis illa Judæorum de venturo Messia persuasio solis Allegoriis debeatur, nunquam admittam, nisi ut unicum sui generis exemplum in omni Historia ingenii humani. Semper recurrit quæstio, quomodo ad tale Individuum delapsi sint Interpretes, si sensus S. S. litteralis in nullo oraculo eo ducebat? Neque error sine sui causa, at fallaci, unquam exstitit. Ad Traditionem provocat Simonius; consequentius omnino, quam reliqui omnes, qui nonnisi argumenta κατ' ἄνθρωπον hic volunt agnoscere. At Traditio quoque fundamentum aliquod poscit. Valet hic quoque: Ex nihilo nihil fit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0067
DFG

in Novo allegatis sentiret, an ea rite allegata essent nec ne? usque adeo, ut Judæi hac in parte non haberent, quod carperent? responsum ab eo tulerit, se judice loca ista majorum more allegata & accommodata esse; quo responso accepto ipse statim duo triave loca, de quibus maxime laborarent nostri Interpretes, Judæo proposuerit, ad quæ præter exspectationem sapienter ille responderit, & responsionem suam variis Talmudis locis & Auctorum exegeticorum allegorizantiumque Scriptis firmaverit q). Atque hunc Judæum, addit *Surenhusius* suasorem sibi fuisse, ut magnam operis Talmudici partem & vetustissimorum Auctorum, sive allegoricorum sive exegeticorum, scripta peragraret, atque ex iis formulas allegandi modosque interpretandi annotaret, quorum eam copiam collegerit, quæ expediendo huic negotio sufficere ipsi videretur.

§. XXII.

Eo scilicet redit totum Surenhusii institutum, ut ex scriptoribus Talmudicis, in quorum lectione se versatissimum esse edito *Opere Mischnico* 1698. abunde comprobarat, doceret, Christum & Apostolos eadem V. T. & allegandi & interpretandi ratione usos esse, qua ipsi vetustissimi Judæorum Doctores, ut itaque plane non habeant Judæi, cur ex Allegationibus argumentari se contra Christianismum posse putent; nihil enim in his mutatum, additum, demtum sive transpositum esse, quod non eodem plane modo factum observetur a priscis Judæorum Magistris. Ut vero ex horum consuetudine omnia derivare posset, necesse duxit, constanter tueri, nihil unquam ex V. T. Versione LXX. in Novo allegatum fuisse, adeo ut, ubi in singulis adeo verbis summa videretur consensio, casu id quasi aliquo & ideo factum esse diceret, quod V. T. verba adeo manifesta fuerint, ut non potuerint alio modo græce explicari r).

§. XXIII.

Negari non potest, Surenhusium multis N. T. locis novam lucem affudisse, uti alias ex Antiquitate Judaica multa ad Librorum N.T. intelligentiam,

q) Simillimum quid de alio Judæo narrat SIMONIUS *Hist. Crit. N. T. p.* 248. cujus judicio de Epistola ad Hebræos Auctore ipse in sua sententia modo proposita confirmatum se fuisse ait.

r) Constat Βίβλος Καταλλαγῆς L. V. quorum IV. priores, per Theses digesti, agunt I. *de Formulis, quibus prisci Hebr. Theologi S. S. allegare, elucidare & conciliare soliti fuerunt;* II. *de modis, secundum quos prisci Hebr. Theologi S. S. allegarunt & exposuerunt.* III. *de modis & formulis, quibus prisci Hebr. Doctores S. S. interpretari, illustrare & conciliare soliti fuerunt;* IV. *de modis explicandi Genealogias secundum Vet. Hebræorum hypotheses.* Quintus denique liber totum N. T. percurrit, & *traditos allegandi, interpretandi & conciliandi modos ad singula V. T. loca in Novo allegata applicat.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0068
DFG

tiam, conferri possunt. Sed præter id, quod nimius esse in conciliandis singulis V. & N. T. dictorum verbis videatur, s) & sine ratione, modo ut hypothesi serviret, animum a Versione LXX. alieniſſimum ostendit, quam ignorasse vel nunquam citasse N. T. Scriptores cum nulla veritatis specie dici potest; id quam maxime in ista interpretandi & conciliandi methodo desideratur, quod ea non minus quam superius recensitis ipsa Demonstratio Evangelii enervetur ac subvertatur, & propheticorum contra oraculorum interpretatio, cujus tamen hoc in argumento inprimis ratio habenda, ne tantillum lucretur. Etiam secundum Surenhusium omnia Christi & Apostolorum Allegata non continent nisi argumenta κατ' ἄνθρωπον, quæ apud Judæos quidem vim aliquam probandi habuissent, at nullam plane apud alias gentes, quarum non minus ac Judæorum in gratiam Evangelium prædicatum est, & quæ magis simplices ac naturales ratiocinationes suo jure poscebant, si in re tam gravi assensum præbere debebant: quo tamen minime negatum volumus, Surenhusii methodum adversus Judæos hodiernos multum præstare subsidii, & cum fructu adhiberi posse. Ipse adeo CLERICUS in *Bibl. Chois. T. XXV. p. 415. sqq.* haud dissimulat, per nonnullas V. & N. T. conciliandi regulas a Surenhusio traditas omnia omnino incerta reddi atque arbitraria, & Scripturam hoc modo ineptissimis hominum somniis allegoricis committi, ita ut ex eo liber evadat, qui plane nullum sensum habiturus sit, si quidem verba, quæ omnia significare possunt, nihil significant. cf. OPORINUS *Diss. cit. p. 75. sqq.* & BUDDEUS *in Isag. p. 1513.* qui tamen plus justo Surenhusio concedere videtur.

§. XXIV.

Ecclesiæ Evangelico-Lutheranæ Theologi constanter hunc doctrinæ typum servarunt, ut sollicite distinguerent Allegationem ab Accommodatione, & allegationem vere talem, quæ probandi vim secum fert, vindicarent iis Allegatis omnibus, in quibus V. T. Scriptor ad res N. T. prospexisse cum fundamento aliquo asseri posset. Dissensus tantum in eo fuit, ut de uno alterove loco, num prospectus iste vere in eo deprehendi possit, dubitaretur; vel in eo, ut nonnulli quædam unice & litteraliter de Christo apud Prophetas dici existimarent, quæ alii nonnisi mystice & typice. Ita b. HOFFMANNUS *in Demonstratione Evangelica* non unum locum posterio-

s) Bene VITRINGA *in Comm. ad Jes. LXIV. 4 coll. 1 Cor. II. 9.* ait: Paulus jam hoc dictum Prophetæ recitans, non transcripsit illud grammatice, sed παραφραστικῶς, sive allegando interpretatus est, sensum ejus sectatus, minus presse inhærens verbis, ut sæpe alias. Quem allegandi modum magni Apostoli, ab eodem Spiritu acti, rebus non verbis intenti, non opus hic est componere *cum more allegandi dicta Scripturæ S. corruptæ scholæ judaicæ*; quæ etiam hic nihil singulare habet, est enim mos omnibus Scriptoribus receptus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0069
DFG

ri tantum sensu ad Christum retulit, quem CALOVIUS & alii de solo Christo litteraliter agere contendebant. In eodem libro etiam accommodationis exempla deprehendas, v. g. Matth. XIII. 35. coll. Ps. LXXVIII. 2. Atque ita nonnulli Accommodationem tantum viderunt, ubi alii Allegationem, quæ stricte dicitur. Hoc vero plus periculi non habet, quam si alias de aliquo loco non unam eandemque fovent sententiam Theologi orthodoxi. Factum itaque est, ut recentiorum scripturæ Interpretum alii plures, alii pauciores Accommodationes statuerent, de quibus iniquius judicare iniquissimum esset. De REN. ANDR. KORTÜMII *Weissagung Jesaiae aus dem Grundtext aufs neue übersezt, mit einer Paraphrasi*, vide RAMBACHII Herm. S. p. 70. not. Edit. 1732. Ita HEUMANNUS *in der Erklärung des N. T. ad Matth. II. 15. Diese Worte schikten sich nunmehr auch auf den Mensch gewordenen ewigen Sohn Gottes. Da traf recht ein, will Matthäus sagen, was der Prophet in einem andern Verstande ausgesprochen*: quo in loco etiam sua facit verba seqq. HOTTINGERI *in Primit. Heidelb. p. 80.* Parodiarum in N. T. omnia sunt plena e. g. Matth. II. 15. & 23. ubi *impletae* dicuntur scripturæ tum etiam, cum nulla *historica* aut *typica* est impletio, sed *analogica* tantum" [t]) Et sic alibi quoque. Eadem habet S. R. D. D. BÜSCHINGIUS *in den 4. Evangelisten mit ihren eigenen Worten zusammengesezt* &c. qui ad eundem locum de verbis Hoseæ ita pronunciat: *Sie enthalten keine Weissagung von Christo, sondern der Evangelist führet sie bey dieser Gelegenheit einer Aehnlichkeit wegen an, und richtet sich darinne nach der Gewohnheit der Juden, welche wegen einer gewissen Aehnlichkeit neuer Vorfälle mit alten Begebenheiten ihrer Vorfahren, die Schrifft auf diese Weise anzuführen pflegten* &c. Et sic quoque ad Matth. II. 17. *Der Evangelist stellt abermals eine Vergleichung an, und spricht: Hier giengs zu, wie jenesmals bey der Wegführung in die Gefangenschafft, davon Jeremias folgende Worte gebraucht* &c. Eadem quoque via incedit Vir Illust. MICHAELIS *in der Erklärung des Briefs an die Hebräer*, qui eapropter vera Allegata haud negat, sed ibi semper deprehendi asserit, ubi doctrinas suas probare volebant Christus & Apostoli. Vid. *Einleitung in die göttl. Schrifften N. Bundes p. 74 sqq.* Paria his quoque habet S. R. D. D. ERNESTI in loco non uno *der theol. Biblioth.* quo de instituto hermeneutico quid sentiendum sit, jam diximus. cf. etiam supra Cap. III. §. X.

§. XXV.

Ast omnem Evangelii demonstrationem, ex V. T. oraculis in N. T. allegatis petitam, si non evertere, ad solos tamen Judæos, eamque satis infir-

t) Viri S. R. WEICKHMANNI *Diss. de Parodiis* N. T. Heumanno oppositam, supra jam allegavimus. Dari ejusmodi Parodias, haud negamus; at *omnia earum plena esse* non dixerim. In Hottingero vero, Calvini discipulo, nemo ista mirabitur.

infirmam, restringere omnino videtur S. R. D. D. SEMLERUS, eo usque procedens, ut quasi infra suam dignitatem se abjecturos dicat christianos, si istis etiamnum probationibus, quas Christus & Apostoli adhibuerunt, moverentur. Ita enim Vir Celeb. mentem suam expromit *in Appar. ad Liberalem N. T. Interpr. p. 94.* „ Est autem istarum allegationum non una & stabilis consuetudo. Judæi ejus temporis plerumque adamabant & reverebantur sacros istos libros, non ob divinam, quam ad mentem consecrandam transferunt, indolem, sed ob spei augustissimæ credita adjumenta. Igitur observare oportet Judæorum istam consuetudinem & sacrum usum, quem facile atque ultro solebant admittere; nec ad nos ipsos & nostros transferenda est molestior & difficilior auctoritas: nos enim isti judaico ingenio assueti non sumus, nec augusta quasi exempla ad imitandum ea in re Judæi nobis præiverunt. Si igitur temporum ingeniorumque ingens illud discrimen negligamus; multum difficultatis ad interpretationem ultro adjicitur, quia eadem illa argumentandi confirmandique e V. T. ratio, quæ ad istos valuit auditores & lectores, ad nos post tot seculorum intervalla, transmitti non potest, nisi ad Judæorum sequiorem mentis conditionem ipsi nos velimus abjicere." u)

§. XXVI.

Pene dixeris, si probe perpendas, quæ legisti, nihil in iis directe enunciatum, nihil accurate definitum esse, ut dubium sit, num ipse Vir doctissimus certam penes se sententiam habuerit. Vaga certe hæc sunt: Allegationum *non una est nec stabilis consuetudo;* Judæi *plerique* adamabant istos libros; Christus cum Judæis græcis *praecipue* egit; ista docendi consuetudo *praecipue* ad istos pertinuit Judæos; illa autem *non semper* id secum fert; *plerumque* est Accommodatio. Exempla quoque, quæ allegat Vir Doctissimus, nimirum collatio Christi cum Melchisedeco Hebr. VII. & utriusque Ecclesiæ V. & N. T. cum duobus Abrahami filiis Gal. III. 24. sqq. ita comparata sunt, ut neque ex his conjicere possis, quodnam pretium Vir. Cel. alle-

u) Addimus his nonnulla ex subjecta à Viro Cel. nota: Christus cum Judæis græcis præcipue egit, Apostoli similiter. Ita profecto facile intelligimus, Judæorum mentem & conscientiam utiliter excitari potuisse ea ratione, si ex V. T. historiæ aut sententiæ in memoriam revocarentur. Sed ista docendi consuetudo præcipue ad istos pertinuit Judæos, imitata est illorum usitatum morem & modum; illa autem non semper id secum fert, ut idem sensus, idem de his, quæ jam tractabantur, rebus, judicium illis libris omnino inesset, e quibus sententiæ petebantur. Plerumque est *Accommodatio*, non proprie dicta *Allegatio* testimonii *de eadem re* luculenti. — Nos facile fidem habemus ipsis Christi & Apostolorum sententiis atque præceptis; ad V. T. non assueti fuimus cum Judæis, nec perverse intelligebamus Vetus Test. nova ratione corrigendi. Sed Judæis opus fuit isto adjumento & ministerio. &c.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0071
DFG

Allegatis in genere ſtatuat. Fundamentum quidem, quod præſtruit, graviſſimi momenti eſt, quando ait, Judæos iſtius temporis plerosque nonniſi ob præjudicia de Meſſia carnalia libros V. T. ſacros adamaſſe & reveritos fuiſſe, & hanc ob rationem argumenta ex illis ducta facile admiſiſſe, quæ ad nos vero nihil pertineant, niſi judaizare velimus. Aſt iterum non diſcernere poſſum *plerosque* à reliquis, &, quinam & hi & illi fuerint, etiamnum ignoro. Audiamus itaque Virum Cel. *in der freyen Unterſuchung vom Canon*, ubi apertius ſuam mentem declaravit. Lego ibi P. I. p. 84. *Daher wurden auch dieſe Prophezeyhungen von Jeſu und von den Apoſteln damalen häuffig gebraucht und angeführt; was ſolten ſie ſonſten vor Beweiſe anbringen? Nun werden dieſe Juden Chriſten, und glauben der Lehre Jeſu um ihres erkannten beſſern Inhalts willen.* — p. 106. *Es iſt eine groſſe Menge von Schrifften über dieſe Allegationes V. T. in Novo ſchon ſeit geraumer Zeit herausgegeben worden; — ich ſage es gerade heraus, für fähige nachdenkende Chriſten iſt diß niemals ein Beweiß, hat auch nur für jene Juden, in jenen Umſtänden zu einem leichteren Eingange dienen ſollen.* P. II. p. 220. *Ich geſtehe es gar gerne, alle in dieſen Büchern enthaltene Prophezeyhungen gehen nur die Juden an. — Chriſtus und die Apoſtel haben ſie auch nur in der damaligen Verbindung mit Juden gebraucht* &c. Adde p. 418. & 541.

§. XXVII.

Ipſa temporis, quo vivimus, ratio poſtulat, ut paulo plenius ad hæc reſpondeamus; ubi vero obſervatum volumus, noſtrum non eſſe, ad iſtud argumentum excurrere, quod ex Allegationibus noſtris pro divinitate alicujus libri V. T. ducitur: id enim nos pro noſtro inſtituto ſumere poſſumus, licet hoc ipſum Viro Erudito occaſionem dederit de Allegatis noſtris in dicto libro vernacula ſcripto ſententiam ferendi. Attendamus ad ſeqq.

1) Agnoſcit Vir S. R. contineri in Prophetis vaticinia de Meſſia, qualis futurus ſit, & a Judæis exſpectandus; longe nimirum alius, quam ipſi perverſis opinionibus imbuti tum exſpectabant. Ita enim P. I. p. 80. habet: *Und dieſe erhabenen würdige Wahrheiten ſind es, weßwegen es heißt: der Geiſt Chriſti war in den Propheten, und ſie haben, wann gleich nicht mit der gröſten Deutlichkeit und Klarheit, ſondern etwas verdeckt, dennoch hinlänglich und verſtändlich zu erkennen gegeben, was für einen σωτῆρα, Heiland und Meſſias man zu erwarten habe, und wie ihn die Juden eben ſo wenig achten, und ſeine Lehre annehmen würden, als wenig ſie ſolche Propheten in Ehren gehalten und ihre Lehre angenommen haben.* Idemque graviter invehitur in *Cenſorem Jenenſem P. II. p. 455. ſq.* quod negaſſe ipſum ſcribat, Prophetas de morte Chriſti eſſe vaticinatos. Quod cum ſeria mente ſcripſiſſe ſperemus Virum Theologum, qui puriſſimo veritatis amore incenſus, & ab omni ſimulatione alieniſſimus videri vult; &

ipſe

ipse nobis concedet, ut concedere tenetur, ad ipsa illa, quæ agnoscit, vaticinia respexisse Christum e. g. Luc. XVIII. 31. sqq. XXIV. 26. 27. & Petrum Act. II. 23. 31. 36. X. 43. coll. 39. 40. & Philippum Act. VIII. 30. sqq. & Paulum Act. XXVIII. 23. 1 Cor. XV. 3. 4.

2) Dum vero ita *ll. cc.* ad vaticinia in Jesu impleta provocatur, profecto non argumentum ducitur, quod ad Judæos tantum pertineat. Nam ipse Vir Doctissimus ex vaticiniis, quorum ut vaticiniorum, veritas ex eventu constet, pro libri alicujus divinitate recte & absolute concludi asserit. P. II. p. 27. 66. 71. 99. nosque ipsi natura omnes ita comparati sumus, cujuscunque gentis, indolis, educationis, religionis simus, ut futura prædicere sic, ut eventus respondeat prædictioni, divinum habeamus atque dicamus. Si itaque allegatis vaticiniis Jesus & Apostoli probarunt, Eum esse Christum, non id probarunt argumento penes solos Judæos valido, sed tali, quod omnium est hominum.

3) Si vero fructus passionum ac mortis Christi ad nos æque ac ad Judæos pertinet, quod non negat Vir Eruditus, P. II. p. 456. 464. eadem illa vaticinia V. T. & inde petitæ argumentationes in Novo, æque ad nos pertinebunt ac ad Judæos. Itaque aut sibi non constat *ille*, aut ad consecutionem assertorum haud attendit, aut scribere non debuit: *Ich behaupte, es ist nicht an dem, daß diese Weissagungen — für uns, die wir keine Juden sind, einen Beweiß für die Wahrheit der christlichen Religion enthalten.*

4) Inquit Vir Eruditus: *Nun werden diese Juden Christen, und glauben der Lehre Jesu* um ihres erkannten bessern Inhalts willen. At, si placet, non est quæstio, annon Judæi, *qui Christiani facti erant*, doctrinæ Jesu crediderint ob præstantiora contenta; sed de eo, quibus & qualibus argumentis expugnati sint, *ut Christiani fierent?*

5) Ipse videat, annon nimis tenuiter & contra ipsam fidem historicam de Judæis illius temporis sentiat! Zachariæ certe, Simoni, Johanni, Nathanaëli, Nicodemo, aliis, ipsa Scriptura testimonium perhibet. An omnes enumerandi erant, qui Messiam exspectabant, qualis futurus erat? An eos, quos Spiritu S. impletos fuisse, ipsa Scriptura testatur, ipse ille Spiritus non recte erudivit? At pauci tamen illi sunt; immo pauciissimi, si ad universam gentem comparentur. Concedo; Græcia septem sapientes numerat; an præter hos neminem in Græcia sapuisse putemus? Mulier adeo Samaritana non plane ignoravit Christum, qualis futurus erat. Joh. IV. 25. At Pharisæi, quam perverse de Messia sentiebant? Quid? si Christianorum fidem ex Doctorum quorundam opinionibus metiri quis vellet?

b) Christum, & in prima Evangelii prædicatione Apostolos quoque, cum Judæis græcis præcipue egisse, nemo, quod sciam, dixit; quod ita-

que sine ullo argumento historico supponi non debebat: Historia certe Evangelica nihil ejusmodi suppeditat. At necesse erat id supponere, si *Clerici* inventum de methodo interpretandi scholæ Alexandrinæ ad universum Evangelii præconium extendi debebat.

7) Supponitur itidem, non probatur, vetus illa Socinianorum hypothesis, Christum & Apostolos adversus Judæos per meram συγκατάβασιν & nonnisi κατ' ἄνθρωπον argumentatos esse, ad præjudicia hujus gentis adeo se accommodantes; quod longe aliud quid est, quam ex concessis argumentari, quod factum esse nonnunquam haud negamus. Solidissima isti asserto argumenta oppossuit S. R. D. D. SARTORIUS in *Diss. de Utilitate LL. V. T. Historicorum apud Christianos.* Tub. 1772.

8) Diem in meridie negat, qui negat, Apostolos ad Gentiles quoque & conversos ex gentibus æque ac ad Judæos V. T. oracula citasse. En factum, toti isti hypothesi contrarium. cf. *supra dicta Cap. I. §. XI.*

9) Denique si hanc pro Evangelii veritate demonstrationem ex vaticiniis petitam, respuit Vir Eruditus, etiam alteram a miraculis desumtam respuere debet; quod & facit P. II. p. 21. Ecquod itaque Theologo restabit argumentum, si quem de Evangelii veritate dubium, non ex Judæis illis, qui Christi tempore vixerunt, sed liberalioris & cultioris ingenii hominem, ad saniorem certamque sententiam perducere velit? Attentum esse jubebit ad præstantiam doctrinæ Christi & ad vim illam divinam, quam in animum illius, eumque illustrandum, corrigendum & nobilissimis motivis ad virtutem incendendum exerceat. At vim illam non sentit dubitantius noster, & habet nonnulla, habere certe sibi videtur, quæ contra ipsam doctrinam opponat. Quid hic consilii? Abeat in pace, & dubitet, dum lux isti oriatur in tenebris. Et hoc tandem tanto apparatu tantaque cum invidia confectum esse, equidem miror.

§. XXVIII.

Ultimo demum loco etiam GUIL. WHISTONI, Angli, mentio facienda est, qui multum ac valde operosum studium in nostris Allegatis eorumque cum V. T. oraculis conciliatione collocavit, at diverso plane ac omnes, quos adhuc recensuimus, instituto ac scopo. In animum quippe induxerat Vir eruditissimus „ masorethicum V. T. textum corruptionis arguere, quam sub initium Sec. II. Judæi ipsi intulerint, cum istis Allegatis nimium se premi urgerique a Doctoribus christianis sentirent. Edidit hunc in finem 1722. sermone anglico *tentamen, tradens modum restituendi genuinum V. T. textum & vindicandi citationes inde in N. T. factas.* Putavit quippe Whistonus, se non fortioribus armis textum nostrum hebraicum invadere posse,

se, quam si, post alia argumenta, etiam hoc urgeat, quod, cum sine dubio Christus & Apostoli V. T. dicta exactissime allegaverint, uti in fonte hebræo non minus ac in Versione LXX. tum temporis lecta fuerint, quia alias apud Judæos Allegationibus suis fidem nullam invenissent; hodie vero tantum discriminis inter V. & N. T. dicta observetur, ut in eorum conciliatione frustra hactenus desudaverint Theologi; concludi inde necessario debeat, nos non amplius habere neque sincerum & integrum V. T. textum hebraicum, neque Versionem LXX. talem, qualis Christi & Apostolorum tempore fuerit x); debere itaque & illum & hanc ex Allegatis N. T. in istis locis corrigi, atque suæ sinceritati restitui. Huic Whistoni conatui ex professo & omnibus sanioris critices subsidiis adhibitis obviam ivit JOH. GOTTL. CARPZOVIUS *in P. III. Crit. S. V. T.* quam integram *contra Pseudocriticam Whistonianam* inscripsit.

§. XXIX.

Directe & generatim nihil contra Allegata N. T. molitus est Whistonus, quæ potius regula ipsi sunt & norma, secundum quam V. T. loca mutari voluit; Veteris potius T. textui manus violentas intulit. Peccavit vero multoties in singulorum locorum conciliatione, vel supervacua plane, vel ab ipso inimica mente, nec meliore methodo, tentata. Nostri vero instituti non sunt, quæ ad singulorum locorum interpretationem & conciliationem pertinent. Ut veritas Allegatis sua constaret, opus non erat, ut singulis verbis singula responderent; neque etiam tanta est inter utriusque fœderis dicta differentia, quanta Whistono videbatur; omnium vero minime conciliationem istam adornare debebat, ipsum V. T. textum incusando, convellendo & nefario ausu immutando. Qui plura desiderat, *Carpzovium* adeat.

CAPUT V.

QUINAM V. T. DICTA IN NOVO ALLEGAVERINT?

§. I.

Breviores erimus in sequentibus; partim ne in librum excrescat *commentatio praeliminaris*, libro non magnæ molis præfigenda; partim quod ea, quæ difficultatem maxime habent, in prioribus sint expedita. Primum nunc est, ut videamus, *per quos V. T. dicta in Novo fuerint citata & allegata?*

x) Idem Whistoni argumentum dudum a Pontificiis adhibitum fuisse, ut fontes corruptos esse probarent, inter omnes constat. cf. CARPZOVIUS *in Crit. S. p. 858.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0075
DFG

§. II.

Optimus Servator ipse non una vice ad V. T. oracula provocavit, eoque ipso de divina istorum librorum auctoritate divinum testimonium edidit. Is, qui testimonium ab hominibus non accipiebat Joh. V. 34. qui miraculis suis abundantissime demonstrabat, se esse a Deo missum, & Christum Matth. XI. 3 - 5. Joh. III. 2. V. 36. ad ipsa quoque vaticinia de se olim edita recurrere, & testimonium exinde sibi petere, adeo non superfluum aut inane reputabat, ut sæpius id faceret. Ita discipulos erudivit Prophetarum oraculis tam de sua passione & morte, & antequam pateretur Luc. XVIII. 31. Matth. XXVI. 24. 31. Marc. XIV. 21. & postquam victor resurrexisset Luc. XXIV. 26. 27. 44. 45. ne scandali quid in ea re deprehenderent; quam de futura Hierosolymorum eversione Matth. XXIV. 15. Ita Nazarethæ publice docens, quis sit & quis haberi velit, allegato vaticinio pronunciavit Luc. IV. 17. sqq. Ita adversarios V. T. dictis instituit, vicit, confudit, ad silentium redegit Matth. IX. 13. XII. 3. sqq. XXI. 16. 42. XXII. 31. 33. 44. Joh. X. 34. &c. Ita ipsum Satanam tentatorem allegatis V. T. dictis repulit Matth. IV. 4. 7. 10. Et præter hæc, quæ proprie Allegata dicuntur, alias quoque sæpenumero ad legem, Psalmos & Prophetas, sive generatim ad Scripturas provocavit Matth. VII. 12. XXII. 29. 40. XXVI. 54. Joh. V. 39. VIII. 17. &c. y)

§. III.

Non est animus repetere, quæ supra diximus. At liceat tamen eos hic iterum compellare, qui haud verentur dicere, Christum in his Allegationibus ad Judæorum præjudicia se accommodasse, Judæos vero, per allegoricum interpretandi genus, ad Messiam suum traxisse, quæ de subjecto longe alio agerent: quo pacto Jesus erroneas & omni fundamento destitutas gentis judaicæ opiniones in rem suam vertisset, & recte quidem adversus Judæos, re autem vera nonnisi κατ' ἄνθρωπον, disputasset. Ergo, ut in uno tantum alterove exemplo subsistamus, si Jesus dixit Luc. IV. *Hodie scriptura hæc impleta est coram oculis vestris;* potius dicere debebat, & sub ista hypothesi vere dixit: Ista quidem Scriptura nihil ad me spectat, nihil de me Jesaias; sed quia vos istum locum pro vaticinio habetis, & de Messia aliquo explicatis, ego illum jam mihi vindico, vobisque dico, stare hic coram vobis aliquem, cui apprime conveniunt, quæ Jesaias dixit de alio. Ergo, si Jesus inquit Joh. V. 46. *Moses de me scripsit;* hoc tantundem est, ac si dixisset: Moses quidem nihil unquam de me; at vobis certe persua-

y) Vid. Ven. D. Superint. ROOSIUS *im christl. Glaubensbekäntniß oder überzeugenden Beweiß von dem göttlichen Ursprung und Ansehen der Bibel p. 16. sqq.*

ſuaſum eſt, ut perverſe interpretati eſtis Scripturas, Moſen ſcripſiſſe de me: Et quoniam vos ita putatis; ipſe quoque affirmo, Moſen de me ſcripſiſſe. Horret animus, inventos eſſe inter Chriſtianos, qui artes plus quam ſophiſticas, & ab omni tum veracitate tum honeſtate alieniſſimas, Chriſto, divino ac veraciſſimo Doctori, tribuere haud vereantur. Talia Mühammedem decebant, vel alium quemcunque impoſtorem, non vero ſanctiſſimum religionis noſtræ Auctorem. Quid tandem erit Filium hominis blasphemare, ſi hoc non eſt? z)

§. IV.

Multo tamen frequentius ad V. T. oracula provocarunt Evangeliſtæ & Apoſtoli: illi quidem; ut confirmarent, eum fuiſſe Jeſum, quem Prophetæ prædixerant, eamque ab ipſo doctrinam fuiſſe prædicatam, quæ ſecundum vaticinia prædicari debebat; non habere itaque Judæos, cur eum rejicerent, etiamſi vanis eorum opinionibus hic Meſſias non ſatisfaciat. Apoſtoli vero duo inprimis urgebant ſuis Allegatis: alterum, ut ſcandalum crucis Chriſti Prophetarum prædictionibus tollerent, eumque pati quidem & mori, verum etiam reſurgere debuiſſe, ſecundum Scripturas, probarent, a) ut cognoſcerent Judæi, non novam ipſis religionem Patribus & Prophetis incognitam prædicari. Vid. Act. II. 16. ſqq. 27. ſqq. III. 18. 22. b) 24. XXVI. 22. Alterum erat, ut gentibus non minus ac Judæis ſalutem in Chriſto paratam eſſe docerent. Act. X. 43. XXVI. 23. Rom. XV. 9. ſqq. Gal. III. 8. Inter ipſos vero Evangeliſtas ea ſe prodit differentia, ut plurima Matthæus allegaverit durante ipſo præconio & miniſterio Chriſti; Johannes autem ea, quæ Chriſto patienti acciderunt, magis quam reliqui tres Scripturarum teſtimonio confirmaret, quo idem,

z) Gravius & vere *Cenſor Gedanenſis in den Danziger Berichten A. 1771. p. 402.* pronunciat: *Daß Jeſus und die Apoſtel in ihren Allegationen die Stellen* nicht ſelbſt nach eigenem Urtheil, nach eigener gewiſſen Erkänntniſs, ſondern nur nach der gemeinen Meynung angeführt haben, *diß taſtet die höchſte Wahrhaffigkeit des Erlöſers an, die ihm als dem weſentlichen Sohne Gottes auch weſentlich eigen iſt; und iſt noch überdem ein ſehr gefährlicher Lehrſatz, der den Menſchen die Reden Jeſu und ſeiner von dem H. Geiſt getriebenen Zeugen nicht nur verdächtig zu machen, ſondern ihnen auch zuletzt allen Troſt aus denſelben zu rauben vermögend iſt.*

a) Hoc ipſi prius a Chriſto didicerant Luc. XVIII. 31. XXIV. 26. 27. Qualis ergo Chriſti interpretatio & applicatio vaticiniorum, talis quoque Apoſtolorum fuit.

b) Grotianæ hujus loci expoſitioni recentiſſime quoque adſtipulatur Ill. MICHAELIS *in der Einleitung p. 76.* At nihil proficiunt diſſentientes, donec docuerint, ex quonam alio V. T. loco *magnum illum Prophetam* exſpectaverint Judæi Joh. I. 21. VI. 14. Non pendemus a Judæorum interpretationibus, ſed ſumimus illam univerſæ gentis perſuaſionem ut factum hiſtoricum, & quærimus, quonam tandem V. T. loco, præter moſaicum illum, fundari illa potuerit? cf. *Cap. antec. §. XX. nr. 3).*

quod Apoſtoli, ut modo diximus, intendebat, ne ſcilicet mors Chriſti ignominioſa ſcandalo cuiquam eſſet. Pauca quædam Allegata omnis quatuor Evangeliſtis communia ſunt. e. g. Matth. III. 3. ſqq. coll. Marc. I. 3. Luc. III. 4. ſqq. & Joh. III. 23. Matth. XIII. 14. 15. coll. Marc. IV. 12. Luc. VIII. 10. & Joh. XII. 39. 40, quod idem etiam Paulus citat Act. XXVIII. 25. ſqq. & Rom. XI. 8. Alia quædam in tribus e. g. Matth. XI. 10. coll. Marc. I. 2. & Luc. VII. 27. Matth. XII. 3. 4. coll. Marc. II. 25. & Luc. VI. 34. Alia in duobus tantum leguntur e. g. Matth. VI. 4. 7. 10. coll. Luc. IV. 4. 12. 8. Matth. XV. 7. ſqq. coll. Marc. VII. 6. ſq. Alia denique ſingulis ſunt propria, e. g. quæ Cap. I. & II. Matth. citantur, penes nullum alium inveniuntur. Illa ipſa vero varietas, quam in Allegationibus Evangeliſtarum unius ejusdemque hiſtoriæ Scriptorum deprehendimus, argumento nobis eſt, nullum eorum ex compoſito cum altero egiſſe, vel alterum deſcripſiſſe, & cum nihilominus tanta inter ipſos conſenſio ſit, jure exinde pro hiſtoriæ, quam tradunt, veritate concludimus.

§. V.

Allegarunt vero etiam Scripturas V. T. hoſtes & adverſarii Chriſti: Judæi indiſtincte Joh. VII. 42. ubi contra perſonam Chriſti excipiunt, Eum non ex Nazaretha, Galilææ urbe, ſed ex Bethlehemo oriri debere; Joh. XII. 34. ubi Meſſiam æternum manere debere, adeoque mori non poſſe contendunt; Phariſæi Matth. XIX. 7. divortium & libellum repudii defenſuri, & Sadducæi Matth. XXII. 24. reſurrectionem mortuorum per indirectum abſurditatis accuſaturi. In ſingulis oſtendi poteſt, eos, etiam ubi recte allegarunt, vel ſenſum dictorum non recte cepiſſe, vel non rite applicaſſe, ut eadem in omnes conveniat reſponſio, quam Chriſtus Sadducæis dedit: *Erratis, neſcientes Scripturas.* Matth. XII. 29.

§. VI.

Denique & ipſe Satanas Tentator Scripturam ſemel allegare auſus eſt. Verbum quidem Dei, ad Protoplaſtos dictum, etiam allegavit in eorum tentatione Gen. III. 1. coll. 11. 16. 17. Chriſtum vero, qui primum Tentatoris inſultum allegato Scripturæ loco refuderat, in altero ipſe ex Scriptura eo perducere tentabat, ut e pinna templi ſe demitteret Matth. IV. 6. Quis autem verus allegati dicti ſenſus ſit, ex alio ſtatim Scripturæ loco Chriſtus demonſtravit.

§. VII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0078
DFG

§. VII.

Archangelus quidem Gabriel, Chriſti conceptionem Mariæ annuncians, Luc. I. 32. 33. & poſtea Angelus, natum Chriſtum paſtoribus prædicans, Luc. III. 11. ad V. T. loca reſpexerunt & phraſes quasdam ex illo adhibuerunt: at hæc non ſunt, quæ proprie dicuntur, Allegata [c]).

CAPUT VI.

FORMULÆ ALLEGANDI.

§. I.

Magna in his Formulis varietas deprehenditur. Enumerabimus potiores: ἵνα (ὅπως) πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν Matth. I. 23. II. 23. ἡ γραφὴ Joh. XIX. 24. ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος Joh. XV. 25. τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν Matth. II. 17. ᾗ ἀναπληρῶται ἡ προφητεία Matth. XIII. 14. ὅτι σήμερον πεπλήρωται ἡ γραφὴ αὕτη Luc. IV. 21. ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφὴ Joh. XIX. 28. οὗτός ἐστιν ὁ ῥηθεὶς ὑπὸ Ἡσαΐου Matth. III. 3. τοῦτό ἐστι τὸ εἰρημένον διὰ τοῦ προφήτου Act. II. 16. καλῶς προεφήτευσεν περὶ ὑμῶν Ἡσαΐας Matth. XV. 7. ὅτι τὸ πνεῦμα ἅγιον ἐλάλησε διὰ Ἡσαΐου Act. XXVIII. 25. καθὼς προείρηκεν Ἡσαΐας Rom. IX. 29. προϊδοῦσα δὲ ἡ γραφὴ προευηγγελήσατο Gal. III. 8. οὕτω (ὡς) γέγραπται Matth. II. 5. Marc. I. 2. πορευθέντες δὲ μάθετε Matth. IX. 13. οὐκ (οὐδέποτε) ἀνέγνωτε; Matth. XII. 3. XXI. 16. οὐ γέγραπται; Marc. XI. 17. Τί οὖν ἐστι τὸ γεγραμμένον τοῦτο; Luc. XX. 17. οὐκ ἔστι γεγραμμένον Joh. X. 34. ὅτι (καθὼς) γεγραμμένον ἐστὶ Joh. II. 17. XII. 15. ἡμεῖς ἠκούσαμεν ἐκ τοῦ νόμου Joh. XII. 34. οὕτως ἐντέταλται ἡμῖν ὁ κύριος Act. XIII. 47. λέγει ἡ γραφὴ Joh. XIX. 37. κύριος Rom. XII. 20. Δαυὶδ Luc. XX. 41. Μωσῆς εἶπεν Marc. XII. 36. ἐμύνησεν Luc. XX. 37. γράφει Rom. X. 5. διεμαρτύρετο δέ που τις λέγων Hebr. II. 6. διὸ λέγει Eph. V. 14. ὅτως εἴρηκεν Act. XIII. 34. &c.

§. II.

Nemo dixerit, ſingulas has allegandi Formulas ſingularem quoque ſibique propriam vim habere atque emphaſin; at æque tamen erraret, qui præter variationem grammaticam ſeu rhetoricam nullam tantæ varietatis rationem agnoſceret. Potuiſſet ſemper ſufficere τὸ γέγραπται, vel λέγει ἡ γραφὴ, vel quæ his maxime ſynonyma ſunt: Cum itaque aliter viſum fuit Spiritui S. habuit ille procul dubio etiam rationes ſuas, ſed plu-

c) Num etiam hi Angeli ad perverſas Judæorum opiniones ſe accommodarunt, dum *Chriſtum*, *Dominum*, *Filium Davidis*, annunciant?

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0079
DFG

plurimam partem individuales, ab affectu Scriptorum vario, a materia ſubſtrata, & eorum, ad quos fiebat Allegatio, diverſa conditione repetendas, quas nobis perſcrutari non licet. Suppeditat tamen hæc formularum diverſitas, ſi adtentius illas conſideres, obſervationes nonnullas, neque fundamento neque uſu ſuo carituras [d]).

§. III.

Videmus, Jeſum utplurimum contra Adverſarios ſuos per interrogationem allegaſſe: οὐκ ἀνέγνωτε; οὐδέποτε ἀνέγνωτε; οὐκ ἔστι γεγραμμένον; ὡς γέγραπται; τί ἐστι τὸ γεγραμμένον τοῦτο; Quod cur factum ſit, malumus verbis BENGELII *ad Matth* IX. 13. exprimere, quam noſtris: Perquam plena decoris majeſtatisque & ab Apoſtolorum modo diverſa eſt ratio Jeſu Scripturas citantis. Id enim ita facit, ut non ipſe earum auctoritate nitatur, ſed ut auditores ex ea convincat: magisque ea ad Adverſarios, quam ad diſcipulos ei credentes utitur". Et ipſi illi formulæ, ad quam Bengelius hæc annotavit, πορευθέντες δὲ μάθετε, τί ἐστιν, ἔλεον θέλω &c. quanta ineſt gravitas? quanta vis? quanta auctoritas? jubet, objurgat, ignorantiam quaſi exprobrat, & quidem iis, qui in univerſa gente judaica honoratiſſimi erant, & piiſſimi ſapientiſſimique videbantur. Talia non auſus eſt, niſi qui *poteſtatem habebat* Matth. VII.". Quis itaque non miretur, poſt multa demum ſecula exſtitiſſe, qui iſta omnia quaſi e trivio dicta putarent? ὁ διδάσκων ὡς ἐξουσίαν ἔχων καὶ οὐκ ὡς οἱ γραμματεῖς, nunc demum docuiſſe, dixiſſe, allegaſſe dicitur ὡς οἱ γραμματεῖς, quicquid in contrarium dicat Scriptura.

§. IV.

Huic vero recentiorum quorundam opinatæ ſapientiæ ex ipſis quoque formulis allegandi argumentum opponi poteſt non contemnendum: Formulam ἵνα vel ὅπως πληρωθῇ deinceps plenius excutiemus. Conſiderentur vero attenta & pia mente ſequentes: οὗτός ἐστιν ὁ ῥηθεὶς ὑπὸ Ἡσαΐου, Καλῶς προεφήτευσε περὶ ὑμῶν Ἡσαΐας, Τί ἐστι τὸ γεγραμμένον τοῦτο; Τοῦτό ἐστι τὸ εἰρημένον διὰ τοῦ προφήτου, Οὕτως ἐντέταλται ἡμῖν ὁ κύριος, Καλῶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐλάλησε διὰ Ἡσαΐου, Καθὼς προείρηκεν Ἡσαΐας, Προϊδοῦσα δὲ ἡ γραφὴ προευηγγελίσατο. Nolo multis verbis ex his elicere, quæ inde fluunt,

d) SURENHUSII Inſtitutum, ſingulas has formularum ſpecies ex Scriptis Talmudicis derivantis, nulla prorſus ratione probabili ſe commendat. Chriſtus profecto, & Apoſtoli quoque, ſenſu veritatum cœleſtium perfuſi, & amore eorum, quibus illas prædicatur, incenſi, opus non habebant, ad Talmudiſtarum formulas recurrere, ſi apte & perſpicue cogitata ſua exprimere volebant.

fluunt, & fluere debent. Unum dicam: Aut Spiritus S. e) vim verborum, quibus usus est, non vidit; aut voluit nos inducere in errorem, qui verbis Ejus tribuere tenemur sensum, quem manifesto præ se ferunt; aut veri nominis vaticinia ex V. T. allegata sunt in Novo, & hic impleta; adeoque nec ad Christum & res N. T. translata & accommodata tantum fuerunt, quæ de personis rebusque Prophetarum tempore præsentibus unice agebant. Ego certum habeo, quod assumam.

§. V.

Non fortuito has illas allegandi formulas calamo Scribentium quasi excidisse, etiam illa egregie probat: καὶ ἀναπληροῦται αὐτοῖς ἡ προφητεία Ἡσαΐου ἡ λέγουσα &c. Indubium est, id, quod Jesaias Cap. VI. 9. sq. eloquitur, jam impletum fuisse in illis ipsis Judæis, ad quos Propheta sermonem suum tum dirigebat. At idem impletum Christus dicit in Judæis sui temporis. Quid ita? Si Propheta ad suos Auditores ista verba dixit, non sunt prophetica, sed de re præsenti agunt. Ergo Christus, quæ de aliis dicta erant, ad suos quoque auditores applicat, accommodat, ob convenientiam, quæ inter utrosque est? Minime vero; Servemus vim vocis: ἐπληρώθη *impletum est* dictum Jesaiæ in Judæis illius temporis, & ἀνεπληρώθη *iterum impletum est* in auditoribus Jesu. Ergo nulla hic translatio, deflexio, accommodatio; utrumque æque involvebant verba Prophetæ, & hinc ille vocabuli delectus f). Verum est, hic idem locus Jesaiæ sæpius in N. T. allegatur, & nullibi cum voce ἀναπληροῦται; sed semel id observatum esse, sufficere poterat; neque reliquorum locorum contextus id æque admittebat. Parvi videatur hæc observatio etymologica, quibus volupe est. Cum Deus in uno dicto prophetico & instantia intueri & ad futura prospicere potuerit, de quo supra, prospexisse quoque jure dicitur, ubi verba ipsa id tam clare insinuant. Vid. BENGELIUS *in Gnom. ad h. l.*

§. VI.

Cumprimis vero dicendum videtur de Formula allegandi ἵνα vel ὅπως πληρωθῇ, ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφὴ, ᾗ ἐπληρώθη &c. g). Non dicemus de sensu Con-

e) Si quis Apostolos substituendos putet & Evangelistas; tantundem ad minimum illis tribuat, quantum sapienti Scriptori profano tribuimus.

f) Inesse vero hunc sensum isti compositioni, vel unus locus abunde probat Hebr. VI. 6. ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, *iterum crucifigentes* sibi Filium Dei.

g) Singulari plane modo occurrit hæc formula Jac. II. 23. ubi quod prius refertur in Scriptura Gen. XV. 6 Abraham Deo credidit, & hoc reputatum ipsi est in justitiam; postea

Conjunctionis ἵνα vel ὅπως, quæ, suppoſito, præſto fuiſſe vaticinia, quæ debebant impleri, indubiam certitudinem, immo neceſſitatem conſequentiæ ſeu eventus, quæ hypothetica eſt, non poteſt non involvere. Sed de hoc potius agemus, num ex hac ipſa Formula certo concludi poſſit, omnem locum V. T. in quo allegando illa adhibetur, ſive litteraliter, ſive myſtice certe ac typice, de ea ipſa perſona ſeu facto intelligendum eſſe, cui in N. T. ille applicatur? Fuerunt, qui quæſtionem ſimpliciter affirmarent, e. g. CALOVIUS [h]), a quo non abludere videtur OPORINUS in *Diſſ.* ſæpius laudata, *p. 32. ſqq.* quamvis ſub reſtrictione aliqua, ad ea præciſe loca, quæ ad Apodixin Jeſu & Evangelii propheticam pertineant. Idem vero GUSSETIUM & WAGENSEILIUM ibidem reprehendit, quod ſtatuant, dici in N. T. *impleri*, non tantum ea, quæ vel litteraliter vel myſtice in V. T. de Chriſto fuerunt intellecta, ſed etiam, quæ vel ſimilitudinem aliquam habent cum iis, quæ in N. T. facta ſunt; vel, uti olim facta ſunt, ſic iterum & magis etiam evenerunt in Novo Teſt. quæ quidem eadem pene ſunt, quæ CHEMNITIUS jam tradidit in *Harm. Evang.* [i]). Scilicet, quatuor modis Scripturam V. T. in Novo dici impletam: 1) quando illud fiat, quod Scriptura proprie & ſimpliciter prædixit: 2) quando *ſimile aliquid fiat*, quod cognationem habet cum re præterita [k]): 3) quando generalis doctrina in exemplo verificetur ſeu confirmetur; & 4) quando, quod de membris ſcriptum eſt, explicetur de Capite, vel contra. Alii deinceps, qui nonniſi per accommodationem, ſeu meram argumentationem κατ' ἄνθρωπον omnia ex V. T. in Novo applicata eſſe dixerunt, omnem prorſus vim peculiarem huic Formulæ denegarunt, & denegare quoque debuerunt; ac plus ei non tribuerunt, quam ſi quamcunque Gnomen vel ſententiam generalem a veteribus enunciatam ad rem præſentem aliquam transferimus; quem in finem a Scriptoribus etiam non ſacris eandem loquendi formam uſurpatam eſſe monſtrarunt, qui nil minus quam Prophetiam poſtea impletam illa indicare voluerint [l]).

§. VII.

impletum, declaratum & confirmatum fuit per obedientiam ipſius in immolando filio Gen. XXII. 10. De hoc enim expreſſe Jacobus v. 21. Vid. KESLERI *Diſſ. cit.* §. 37. & BENGELIUS *in Gnom. ad h. l.*

h) Vid. v. g. *Bibl. Illuſtr.* ad Pſ. LXXVIII. 2.

i) Citante KESLERO *Diſſ. cit.* §. 36.

k) Ita quoque CARPZOVIUS *Crit. S. p. 861.* ait: Atque ſic impleri nonnunquam dicitur V. T. in Novo, in quantum ſimile quid in Novo patratur.

l) Vid. Ill. MICHAELIS *Einleitung* T. I. p. 77.

§. VII.

Nos, uti ex una parte facile concedimus, ita comparatam esse hanc formulam, ut de alio allegati dicti sensu vix cogitari posse videatur[m]; atque ex altera quæcunque a profanis petita exempla parum curamus, quia in his, prophetandi dono destitutis, ne possibilis quidem sit alia hujus formulæ interpretatio, præter eam, quam sermone adeo quotidiano usurpamus[n]: ita tamen & hic medium tenendum putamus[n], ut non ex sola Formula, sed collato prius & probe ponderato textu V. T. & adhibito insuper judicio, num ad ipsam Evangelii Demonstrationem proxime faciat Allegatum, sententiam ferendam esse dicamus. Jam supra Cap. III. §. IX. exemplum rei dedimus, ubi, non obstante hac Formula, in loco Matth. XIII. 35. coll. Ps. LXXVIII. 2. Accommodationem tantum dicti Assaphici, sed bene fundatam, agnovimus. Singula huc pertinentia ut excutiamus, Institutum nostrum haud patitur. Unum tamen addimus, ut contrarium priori, & quidem primum, quod N. T. offert, scil. Matth. I. 23. coll. Jes. VII. 14. Dixerat Matthæus, Angelum Domini Josephum monuisse, nolit dubitare, desponsatam sibi Mariam in matrimonium ducere, quia a Spiritu S. sit Filius, quem illa sit enixura. Atque his jam Historicus subjicit: *Omne hoc factum est, ut impleretur dictum Domini per Prophetam* &c. Quis hic Formulæ sensus? Ego quidem sic cogito: Virginem parere sine exemplo est: hoc itaque primum erat, quo offendi, & in quo christianam religionem fraudis incusare possent increduli: At non possent amplius, si vaticinio Deus expresso, facto tam singulari & sui generis unico dudum cavisset. Regredior itaque ad Prophetam, & hunc ipsum dicti sensum esse posse non invitus persuadeor, quia hoc modo verborum Prophetæ significatus proprius optime servatur; Video etiam, scopo Prophetæ, per hanc interpretationem nihil decedere, vim potius & pondus addi. Disco præterea, veteres Judæorum Interpretes dictum Prophetæ de Virgine paritura explicasse; & novi, Christianos omnes in eo consentire, Jesum esse Virginis Filium. Cur itaque dubitem, hanc allegandi Formulam strictissime accipere, & post authenticam Spiritus S. interpretationem tanto confidentius affirmare, eundem dicti prophetici & allegati verum & unicum esse sensum?

m) SMALCIUS adeo, Socinianus, adv. FRANZIUM in *Refut. Thes. de Justif. p. 148.* professus est: Allusionem neutiquam fieri, quando isthæc verba reperiantur: *Hoc factum est, ut impleretur, quod dictum est.* Apud OPORINUM *l. c. p. 34.*

n) E. g. *Da wird erfüllt: Untreue schlägt seinen eigenen Herrn*, & similia.

§. VIII.

At ipsæ hæ allegandi Formulæ nos quoque docent, quam varia ratione eum, qui allegatur, vel id, ex quo fit Allegatio, N. T. Scriptores exprimant [o]). Allegant nimirum nunc *Scripturae Auctorem* ipsum, *Deum*, e. g. Matth. XXII. 31. *Spiritum S.* Hebr. III. 7. nunc *Ministros*, quorum opera Deus usus est, vel *indefinite* Hebr. II. 6. vel *definito munere* Matth. XXI. 4. etiam numero plurali, tum ubi unus tantum innuitur Act. XIII. 40. [p]) tum ubi plures idem dixisse censendi sunt Matth. II. 23. *Nomine* [q]), & quidem *Mosis* Act. III. 22. *Davidis* Matth. XXII. 42. *Jesaiae* Matth. XV. 7. *Jeremiae* Matth. II. 17. *Danielis* Matth. XXIV. 15. *Hoseae* Rom. IX. 25. *Joëlis* Act. II. 17. & *utroque simul* Matth. III. 3. nunc *Scripturam* ipsam, sub generali nomine γραφῆς Marc. XV. 28. vel γραφῶν Matth. XXI. 42. vel νόμε, latius sumta voce pro universa Scriptura Joh. X. 34. sive strictius pro Libris Mosis seu Pentateucho Matth. XII. 5. sic quoque Librum Psalmorum citant Luc. XX. 42. & quotum inter eos Act. XIII. 33. [r]) vel alia ratione citati Libri locum designant Marc. XII. 26. [s]) Jungunt vero etiam Allegantes *Deum* & *Ministrum*, *Prophetam* Matth. I. 22. *Deum* & *Scripturam* Act. III. 33. 34. *Scripturam* & *Ministrum* Luc. III. 4. *Deum*, *Scripturam* & *Ministrum* Act. I. 16. Sæpius quoque subintelligunt Auctorem, & tantum dicunt λέγει Rom. XV. 10. vel *scriptum est* Matth. IV. 4. vel *dictum est* Luc. IV. 12. quæ duo ita usurpantur, ut quod *scriptum* exstat, æque

o) Copiosissime hæc persequitur KAYSERUS in *Diss. cit.* §. 2-4.

p) Omnes XII. Prophetæ, quos *Minores* appellare consuevimus, pro *uno libro* reputabantur: hinc quod l. c. dicitur ἐν τοῖς προφήταις, Act. VIII. 42. dicitur ἐν βίβλῳ τῶν προφητῶν.

q) Ipsa quoque Prophetarum Nomina permutata fuisse, quidam probare voluerunt ex Matth. XXVII. 9. ubi *Jeremiæ* adscribitur, quod *Zachariæ* est. Sed sine dubio intrusum est in Textum *Jeremiæ* nomen; quod contra Augustinum & Eusebium, qui Evangelistam memoria lapsum fuisse putarunt, tutus jam est DRUSIUS *in Parall. S. Can. V.* Quomodo respondeant, qui lectionem textus rite se habere existimant, vide apud CARPZOVIUM *in Crit. S. p. 856.*

r) Si quidem vulgaris Lectio defendi potest. Allegatur Ps. nobis & Hebræis & LXX. secundus; legitur vero h. l. ab aliis ἐν ψαλμῷ τῷ πρώτῳ, ab aliis ἐν ψαλμῷ τῷ δευτέρῳ. Obtinet quidem discrimen inter ordinem & numerum Psalmorum Masorethicum & græcum LXX. quod vero non ad duos primos Libri Psalmos extenditur, sed a Ps. IX. demum incipit: qua de re plura diximus in *Demonstr. Evang. Alleg.* XIX. §. I. *not.* x. Recte itaque procul dubio Bengelius utramque lectionem pro spuria habet, & Lucam ἐν τῷ ψαλμῷ tantum scripsisse putat in *Gnom. ad h. l.* & in *App. Crit. p. 622.* Sed vid. quoque *Neueste Theol. Bibl.* P. I. p. 497.

s) Ἐπὶ τᾶ (τῆς) βάτα *locum Exodi*, ubi hæc verba exstent, designare, existimat JABLONSKI: in *Bibl. Hebr. Præf.* §. 37. *not.* t. quem plures secuti sunt. *Demonstr. Evang. Alleg.* XXVII. §. II.

æque possit citari ut dictum, sed non semper, quod *dictum* dicitur, etiam scriptum sit Matth. II. 23. Quibus omnibus tandem ut plane singularem allegandi modum addit KAYSERUS *l. c.* Quando ipsius argumenti Prosopopœia oculis mentique subjicitur, quo refert Rom. X. 6. 8.

§. IX.

Plerumque facile invenitur, quis V. T. locus sit allegatus, etiam libri vel auctoris nomine non expresso; nonnunquam tamen id dubium videri potest. e. g. Joh. XV. 25. coll. Ps. XXV. 19. XXXV. 19. LXIX. 5. quod fieri necesse est, si plura loca in unum Allegatum coaluere, uti Joh. VII. 38. [t]) Allegata Matth. II. 23. Jud. v. 14. &, secundum quosdam, 1 Tim. V. 18. quoad posterius membrum, optime ex traditione allata dicuntur. Num ex libris quoque apocryphis quædam in N. T. allegata fuerint, sub judice lis est. Vellent id Pontificii, ut eandem apocryphorum, quæ canonicorum est, auctoritatem ita stabilirent. Respondit vero illis CHRIST. SONNTAGIUS [u]), & ostendit, ex XXXII. Allegatis, quæ proferri a Pontificiis solent, nullum ex apocryphis revera desumtum esse. Immo si ostendi id non posset, nihil tamen lucrarentur Pontificii, uti nec illi, qui negant, ex libri cujusdam V. T. allegatione in Novo ad ejusdem divinam originem concludi posse. Neque enim nos ex Allegatione simpliciter concludimus, nisi etiam Poëtas quosdam græcos libris divinis adscribere velimus. [x])

CAPUT VII.

UTRIUSQUE TESTAMENTI CONSENSUS IN ALLEGATIS.

§. I.

Huic quæstioni ut satisfacere possimus, ante omnia videndum est, num ex fonte hebræo, an ex versione græca LXX. Interpretum potius allegaverint N. T. scriptores. In asserendo enim & accurate definiendo isto consensu cum ad fontem, tum ad versionem illam potest ac debet respici.

§. II.

SURENHUSIUM negasse, & vi instituti sui negare debuisse, quod N. T. scriptores ullum V. T. locum ex versione græca LXX. allegaverint, su-

t) cf. CARPZOVII *Crit. S.* p. 856. sq.
u) In *Diss. de Allegatis Apocryphis in Codice IV. Evangelistarum.* Altd. 1716.
x) cf. Ven. Dnus ROOSIUS l. c. p. 138.

pra audivimus Cap. IV. §. XXII. Alios præterea viros eruditos, licet non ex eadem ratione, eandem foviſſe ſententiam, docet CARPZOVIUS in *Crit. S. V. T. P. II. Cap. II. p. 526.* à quibus non multum diſſentire videtur S. R. D. D. ERNESTI in *Exerc. Flav. prima de Fontibus Archaeologiae §. 9.* [y]) „ Sunt loca in N.T.e Vetere commemorata, quæ iisdem verbis ſunt in græcis V. T. exemplis. Ergo Spiritus S. iſta ſumſit e verſione illa græca. Belliſſima concluſio! Enimvero ſi quis ſummæ locorum omnium detrahat, primum ea, quæ ſunt diverſa, & vel preſſius ad hebraicum exemplum expreſſa, quod maxime fit in libris eorum, qui inter græcos non ſunt verſati, ut Johannis; vel ab utrisque exemplis, hebraicis græcisque diverſa; deinde quæ plane ad verbum hebraica exprimunt, in quibus vertendis quisque ſua ſponte conſentiat cum verſione Alexandrina, etiam nunquam lecta aut inſpecta; parvæ reliquiæ fuerint: & in his ipſis reſtet dubitare, annon exempla τῶν LXX. ſubinde ad N. T. lectionem conformata a librariis chriſtianis inter deſcribendum fuerint, quod nullo modo abhorret. „ Idem tamen Vir doctiſſimus mentem poſtea mutavit, cum in *Interpr. N. T. P. II. cap. 7. §. 20.* hæc ſcripſerit: Tamen haud paucis in locis clarum eſt, verba e verſione græca depromta eſſe, hoc eſt, in iis, ubi non modo nihil ab hac, ſed etiam ab hebraico perſpicue diſcrepant, qui diſſenſus ſæpe ſententiam afficit, eſtque interdum ejusmodi, ut ſupra fidem ſit, duobus eadem verba in vertendo veniſſe in mentem, ut Hebr. X. 38. XI. 21. In quibus locis ſi Apoſtolos ipſos ex hebraico vertiſſe dicamus, aut lapſos eſſe interpretando ſequetur, aut textum noſtrum hebraicum in iis locis vitioſum eſſe: quorum neutrum probari poteſt.' Mediam itaque ſententiam, quæ plurimorum eſt, noſtram quoque facimus, ac pro certo habemus, Evangeliſtas & Apoſtolos modo ex fonte hebræo, modo ex verſione græca allegaſſe; utrumque vero diverſimode factum ab ipſis eſſe, ex ſeqq. patebit.

§. III.

Videmus nimirum, in Allegationibus his ſequentes modos fuiſſe obſervatos: [z])

I. Interdum & verſio græca, & Allegatio N. T. cum fonte hebræo utraque conſentit. e. g. Matth. IV. 4. coll. Deut. VIII. 3. Matth. XXI. 42. coll. Pſ. CXVIII. 22. 23. Matth. XXII. 42. 43. coll. Pſ. CX. 1. &c. In his perinde erit, ſive ex Fonte, ſive ex Verſione allegatum fuiſſe dicas.

II. Interdum convenit quidem Textui hebræo cum Verſione græca, neutri vero cum Allegato e. g. Matth. II. 6. coll. Mich. V. 1. 1 Cor. X. 8. coll. Num. XXV. 9. Act. VII. 43. coll. Amos V. 27. &c.

III.

y) Vid. Ill. MICHAELIS *in der Einleitung p. 85. not.*
z) cf. CARPZOVIUS *in Crit. S. p. 528.*

III. Interdum Versio a Fonte hebræo, & Allegatum ab utroque dissentit e. g. Matth. IV. 16. coll. Jes. IX. 1. Matth. XII. 18. sqq. coll. Jes. XLII. 1. sqq. &c.

IV. Interdum Allegatum Versionem deserit, a fonte aberrantem, & textum hebræum exacte sequitur e. g. Matth. II. 15. coll. Hos. XI. 1. Matth. VIII. 17. coll. Jes. LIII. 4. Joh. XIX. 37. coll. Zach. XII. 10. Rom. IX. 15. coll. Exod. XXXIII. 19. &c.

V. Interdum Allegatum cum Versione consentit, etiamsi ipsa à Fonte dissentiat Act. VII. 14. coll. Gen. XLVI. 27. Act. XIII. 41. coll. Hab. I. 5. Act. XV. 17. coll. Amos IX. 12. Rom. IX. 33. coll. Jes. XXVIII. 16. Hebr. X. 38. coll. Hab. II. 3. 4. Hebr. XI. 21. coll. Gen. XLVIII. 16. &c.

Plures his quinque modos nemo eruet. Etenim aut in omnibus tribus, Fonte hebræo, Versione Græca & Allegatione, est consensus, qui est modus I. aut in omnibus tribus dissensus; qui est modus III. Aut in binis consensus est, in tertio vero dissensus; ita quidem, ut vel Fons & Versio Græca consentiant, dissentiat Allegatum; en modum II. vel Fons & Allegatum, dissentiente Versione; de quo modus IV. vel Versio & Allegatum consentiunt, dissentiente Fonte, qui est modus V. In modo I. & IV. nemo hærebit; difficultatis nonnihil inest in modo II. Plurimum vero negotii faceſſunt Interpretibus modi III. & V. quod in his ipsa Scriptura Scripturæ videtur contrariari. Neque negari potest, in ejusmodi locorum conciliatione non raro multum laborasse Interpretes. Cum singulorum locorum discussio & conciliatio hujus loci non sit, quod abunde, &, quantum judicare valemus, felici cum successu factum est in *Demonstratione Evangelica*, cui hæc præmittimus: nos acquiescere hic possumus in Observationibus quibusdam generalibus ad hanc causam pertinentibus.

§. IV.

Mirum sive Scriptoribus Θεοπνεύστοις N. T. indignum nobis videri non debet, quod non immediate ex ipso Fonte hebræo omnia V. T. dicta, propria Versione græce reddenda, sed ex Versione ab humano ingenio profecta, citarunt [a]). Quicquid sit de vera hujus Versionis Origine atque ætate, de qua post immensos Virorum doctissimorum labores nondum composita lis est; hoc tamen extra controversiam positum est, duo vel tria forte secula ante Christum natum illam confectam fuisse, singulari prorsus Dei providentia, ut, cum Fons hebræus præter Judæos nemini, vel paucissi-

a) Recentissime Vir cl. TYCHSENIUS *in Tentam. de Variis Codd. Hebr. Mss. Generibus* omnia Citata primitus ex Textu originali facta, & postea demum secundum Versionem LXX. mutata fuisse asseruit. Vid. *Neueste Theol. Bibl. P. II. p. 380.*

ciſſimis certe, intelligeretur, græca vero lingua tum ubivis terrarum floreret, hac ratione Verbum Dei pluribus innoteſceret, & paganis quoque hominibus lucis nonnihil impertiretur, donec dies ipſe in Evangelii prædicatione illis illuceret. Ita factum eſt, ut hæc Verſio non tantum Judæis ipſis extra Palæſtinam verſantibus familiaris eſſet, & in maximo pretio haberetur, ſed etiam a gentilibus, qui vellent, legi atque intelligi poſſet. Atque hanc ipſam ob cauſam ab ejusdem uſu plane abſtinere non poterant Evangelii Præcones, tum quod ſcandalo fuiſſent iis, apud quos illa in magna auctoritate hactenus fuerat, tum quod ad ignotum fontem ablegaſſent converſos ex Judæis non paucos, ex gentibus vero pene omnes, quod ipſius Evangelii incremento remoram debuiſſet injicere b).

§. V.

Decebat itaque Spiritum S. & Viros, Ejus Amanuenſes, uſurpare hanc Verſionem, prout res exigebat; ita tamen, ut, ne propriæ auctoritati quodammodo derogarent, ei ſe non plane alligarent, quaſi nefas fuiſſet, ab eadem recedere. Receſſerunt vero ſæpiſſime, & novam textus hebræi Verſionem dederunt, quæ vel ipſis verbis illius inhæret, vel ſenſum certe exprimit. Uti vero miſſam facere Verſionem illam ſuo jure liberum ſibi eſſe ducebant; ita quoque ſapientiſſime id faciebant, quod in loco non uno monſtrari poteſt. Nunc illa Verſio nullum prorſus ſenſum perſpicuum fundebat e. g. Jeſ. IX. 1. coll. Matth. IV. 15. 16. nunc diverſum e. g. Zach. XII. 10. coll. Joh. XIX. 37. nunc aperte falſum e. g. Jeſ. XLII. 1. coll. Matth. XII. 18. Dan. IX. 27. coll. Matth. XXIII. 15. c). Quæ pauca exempla merito nobis perſuadeant, ut in aliis quoque Apoſtolos ſufficientes rationes in deſerenda Verſione LXX. ſecutos eſſe credamus.

§. VI.

At, inquis, cur non deſeruerunt in omnibus, ubi Verſio vitioſa eſt, & ſenſum ipſa non exprimit, quem Textus originalis ſibi vindicet? Cur non æqualiter iſta ſua libertate ſunt uſi? Pene iniquum eſt, rationes ſpeciales poſcere ejus, quod factum, vel non factum eſt aliis, & nobis ſecus fieri debuiſſe videri poſſet. Sufficere poteſt, ſi dicamus, ſatis cautum eſſe Scri-

b) cf. Ill MICHAELIS *Einleitung p. 79. ſq.*

c) Eſt quidem hoc Allegatum non ex LXX. ſed ex Verſione Græca Theodotionis; & nondum ſcimus, num eadem ſit lectio Verſionis Græcæ Danielis, ex LXX. proxime in lucem prodituræ. Si vero ſit; exemplum hoc præ multis aliis probat, quam graves rationes ſubeſſe potuerint, quando Allegatum cum Verſione Græca non conſentit. Tum enim ne quidem locus amplius erat fugæ, cum βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως ἐπὶ τῷ ἱερῷ, ut Græcus habet, ſtaret. cf. omnino *Demonſtr. Evangelica*, *Alleg.* XXIX. §. I. not. p.

Scripturæ S. etiam in illis locis, quod nullam interpretationem ex LXX. assumserunt Apostoli, quæ vel nullum sensum, vel incommodum, vel a re præsenti alienum insinuaret [d]). Responderi præterea potest:

1) Ratio generalis, cur nimis sæpe a LXX. recedere, adeoque eam continue quasi taxare, noluerint Apostoli, etiam huc facit. Cum ex V. T. aliquid probandum esset, illi, ad quos vel dicebatur, vel scribebatur, certi esse debebant, revera adduci locum, qui in Scripturis contineatur. Hoc vero ita esse, plerique nonnisi ex Versione ista nosse poterant. Turbati itaque fuissent homines, si quavis data occasione Versio ista mutata, & textus ipsis propositus fuisset, quem legere se non meminerant. Facile quoque in suspicionem induci potuissent, fucum facere Apostolos, oracula citantes, quæ cum aliter sonarent, videri poterant in suam sententiam detorsisse [e]).

2) Tum temporis non tam prompte dictum aliquod V. T. allegatum a curiosis & plenioris cognitionis cupidis evolvi, ac ulteriori meditationi subjici poterat, ac nos quidem id facimus, Libris in Capita & versus distinctis. Ergo memoriæ etiam istorum hominum consuli oportebat, quod factum, si, quantum fieri poterat, ipsa LXX. verba retinebantur [f]).

3) Vero id ipsum in insigne sapientiæ divinæ documentum nobis propositum est, quod Deus in Libris N. T. etiam ea in commodum atque ædificationem Ecclesiæ vertere noverit, quæ per se hominum sive ignorantiæ sive incuriæ debebantur. Non semper expresserunt LXX. sententiam Spiritus S. per Prophetas locuti, & nihilo minus Apostoli illam versionem nonnunquam retinuerunt: at illa tamen dicta in loco, ubi allegantur, sensum habent verum, congruum, divinum, nec probare desinunt, cujus probandi gratia afferuntur. Itaque recesserunt a Versione LXX. Allegantes, ubi ex illa probari non amplius poterat, quod Textus hebræus probatum volebat; ab eadem non recesserunt, etiamsi falsa esset, ubi error probandi vim non infringebat. Num sapientius versari poterant in usu hujus Versionis, quam plane negligere vel abjicere ob rationes gravissimas non licebat?

§. VII.

His præmissis de ipso illo *Utriusque Testamenti in Allegatis consensu*, quali & quanto? Qua quidem de re duplici ratione tractari posset, primo, num eodem

d) conf. CARPZOVIUS *Crit. S. p. 526. sqq.*

e) Ita jam FRANZIUS *de Interpr. Scr. p. 38.* Noluerunt ex levioribus suspicionem quamcunque apud infirmos movere, aut sperarunt ista errata a confirmatis postea facile posse ex fontibus agnosci & tolli. Vid. KESLERI *Diss. cit.* §. 29.

f) cf. Ill. MICHAELIS *Einleit. p. 80.*

eodem sensu, quem V. T. oracula antiquitus habuerunt, etiam in N. T. a Christo & Apostolis illa usurpata sint? & deinceps, num quoad materiam, seu verba & dictionem Citationum, ea, quæ desiderari posse videtur, harmonia deprehendatur atque consensio? Cum vero de priori sufficienter egerimus Cap. II. de solo altero hic dicendum restat.

§. VIII.

Summa rei, cum ad finem nobis properandum sit, huc redit: g) Non uno loco Scriptores N. T. ipsa verba retinuisse, quæ sive Fons hebræus, sive Versio LXX. sive & ille & hæc dictabant, supra §. III. exemplis probavimus, quibus addi possunt Marc. XV. 24. coll. Jes. LIII. 12. Rom. IV. 3. coll. Gen. XV. 6. &c. Quandoque vero etiam leviſſimam quandam mutationem in verbis fecerunt, e. g. Matth. IV. 7. coll. Deut. VI. 16. ubi *non tentabis* pro *non tentate* legitur; Matth. XXVI. 31. coll. Zach. XIII. 7. ubi imperativus הַךְ & apud græcum πάταξον mutatur in futurum πάταξω &c. At valde morosus sit oportet, qui ob hujusmodi mutationes Allegatorum sinceritatem in dubium vocare velit.

§. IX.

Non raro autem Allegantes etiam solum sensum exprimunt, de verbis non adeo soliciti, quibus vel addunt aliquid, e. g. Matth. XIX. 5. 6. coll. Gen. II. 24. ubi οἱ δύο inseritur; Matth. XV. 9. coll. Jes. XXIX. 13. ubi μάτην additur; 2 Cor. VI. 17. coll. Jes. LII. 11. ubi integra propositio καὶ εἰσδέξομαι ὑμᾶς adjicitur h): vel detrahunt aliquid, e. g. Matth. IV 15. coll. Jes. IX. 1. ubi nihil est in græco N. T. textu, quod respondeat hebraicis וְאַחֲרוֹן הִכְבִּיד & הֵקֵל Matth. XII. 18 - 20. coll. Jes. XLII. 1 - 4. ubi pro לֶאֱמֶת יוֹצִיא מִשְׁפָּט לֹא יִכְהֶה וְלֹא יָרוּץ עַד־יָשִׂים בָּאָרֶץ מִשְׁפָּט tantum legitur, ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν, &c. ubi vero sæpius, quod in una ejusdem dicti allegatione omissum est, compensatur, & suppletur in alia, e. g. Matth. III. 3. Marc. I. 1. Luc. III. 1. sqq. Joh. I. 23. coll. Jes. XL. 3. sqq. Matth. XIII. 14. 15. Joh. XII. 40. Act. XXVIII. 26. Rom. XI. 8. coll. Jes. VI. 9. 10. i). vel commutant etiam tum seriem verborum variando k), tum verba verbis sub-

g) cf. CARPZOVIUS p. 857. sqq.

h) Plures ejusmodi additiones etiam Librariorum Scholia vel Glossemata e margine in textum illata esse posse, e. g. καὶ προφητεύσασι Act. II. 18. coll. Joel III. 2. opinatur DRUSIUS *in Parall. S. Car. XI.* cf. quoque Illust. MICHAELIS *Einleit. p. 117.*

i) Hæc uti probant, Evangelistas se non descripsisse in vicem, ita quoque *Whistoni* Tentamen V. T. textum hebraicum ex Allegatis restituendi plane prosternunt. Dum enim ejusdem dicti allegationes differunt, nemo dixerit, quænam sit illa, secundum quam restituendus sit textus hebr. Cf. CARPZOVIUS *l. c. p. 865.*

k) Trajectionem sive verborum sive membrorum vocat DRUSIUS *l. c. Can. XIII.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0090
DFG

ſubſtituendo, eo fine, ut id, quod minus clarum erat, clarius exprimatur vel quod olim dictum erat, ad rem præſentem magis flectatur. e. g. Matth. XXI. 8. & Joh. XII. 15. coll. Zach. IX. 9. ubi Matthæus pro צַדִּיק וְנוֹשָׁע הוּא עָנִי unum ponit πραΰς, & Johannes pro גִּילִי מְאֹד הָרִיעִי habet μὴ φοβοῦ, & reliqua prædicata omnia omittit; uterque præterea *Filiam Sionis* alloquitur, neuter vero *Filiam Hieroſolymæ*. Matth. IV. 11. coll. Deut. VI. 13. ubi, pro תִּירָא legitur προσκυνήσεις. Matth. XXI. 16. coll. Pſ. VIII. 3. ubi hebræum עז *robur* redditur per αἶνος, *laus*. &c.[l]). Denique videri poſſent Allegantes alium plane dicto V. T. ſenſum tribuere, quem revera non tribuunt, ſed rem tantum ſub alia relatione conſiderant, cujus illuſtre exemplum exſtat Matth II. 6. coll. Mich. V. 1. Plura huc pertinentia vide apud CARPZOVIUM *l. c. p. 859.* & KESLERUM *in Diſſ. cit.* §. 31.

§. X.

Neque ſemper unum tantum V. T. oraculum allegatur, ſed duo interdum vel plura conjunguntur, & in unum quaſi conflantur, vel nullo, vel uno tantum V. T. Scriptore nominato[m]). e. g. Marc. I. 2. 3. coll. Mal. III. 1. & Jeſ. XL. 3. Matth. XXI. 5. coll. Zach. IX. 9. & Jeſ. LXII. 2. Luc. III. 4-6. coll. Jeſ. XL. 3-5. & LII. 10. Rom. IX 27. coll. Jeſ. X. 22. 23. & Hos. II. 1.[n]). Matth XXI. 13. coll. Jeſ. LVI. 7. & Jer. VII. 11. Act. I. 22. coll. Pſ. LXIX. 29. & CIX. 8. Dubium adeo in ejusmodi Allegatis compoſitis fieri poſſe, quinam V. T. locus potiori jure innuatur, ſupra obſervavimus, Cap. antec. §. IX.

§. XI.

Qui nimiam dixerit libertatem, quam in omnibus his N. T. Scriptores ſibi ſumſerunt, is neſcire debet, etiam homines, quando aliorum cogitata & dicta in ſuam rem allegando vertunt, non iisdem ſemper verbis inhærere, nec eapropter tamen gravius compellari, modo ſenſum Auctoris, quem allegant, accurate exprimant. Cur non multo potius Scriptoribus Sacris id concedatur, quos unus idemque Spiritus S. in V. & in N. T. edocuit, adeoque ut ſuorum verborum optimus Interpres, alia quoque aliis ſubſti-

 tuere

l) Audacius commutantur voces Βαβυλῶνος & Δαμασκῦ Act. VII. 43. coll. Amos. V. 27. quod Scribæ mendum eſſe putat DRUSIUS *in Parall. S. Can. VI.* BENGELIUS Stephanum per ampliationem allegaſſe ait *in Gnom. ad. h. l.* Aliter reſpondet Vir Ill. MICHAELIS *in der Einleitung p. 81. ſq.* Sunt ejusmodi loca omnino ex difficillimis.

m) cf. CARPZOVIUS *in Crit. S. p. 856.* & imprimis KESLERUS *in Diſſ. cit.* §. 49-52. qui quatuor hujus allegandi modi genera diſtinguit.

n) cf. ad hæc loca BENGELIUS *in Gnom. ad Marc. l. a.* atque ad ipſum hunc Marci locum MICHAELIS *l. c. p. 586.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0091
DFG

tuere potuit o)? Id ipsum enim per inductionem ostendi potest, factas esse istas mutationes tum illustrationis gratia, ut, quæ obscurius olim dicta videbantur, adjecta ἐπεξηγήσει aliqua clariora fierent, & sic quoque N. T. claritatem referrent; tum applicationis causa, ubi præsens negotium aliquam verborum inflexionem suadebat, ut fortius concluderet, & penitius in animum illaberetur argumentatio. Qui itaque τὸ γέγραπται urgent, non habent, cur ad ipsissima illud verba extendant: servatur vis formulæ, modo idem sensus, qui olim dicto adscriptus fuit, etiamnum retineatur; & nullum adhuc exemplum prolatum fuit, quod probasset, ejusmodi mutationibus sensum dicti perversum, vel argumenti nervum incisum fuisse. Neque omnia dicti alicujus vocabula æque ad rem faciunt, cur itaque singulis insistendum erat? Bene VITRINGA ait p), distinguendum esse inter *transscriptionem grammaticam*, & eam Apostolorum *allegationem paraphrasticam*, qua simul interpretati sunt. Ipsi optime norunt, quæ servari deberent, quæ transponi, mutari, omitti possent. Servarunt, quæ nobis omitti potuisse videntur: omiserunt, quibus nos maxime inhærendum esse putassemus. Ita citant, inquit BENGELIUS *in App. Crit. P. I. §. I.* Apostoli Scripturam V. T. ut sæpe conclusiones ipso mundo ponderosiores ex Epitheto, ex Accidente grammatico, ex Adverbio &c. deducant 1 Cor. XV. 26. sq. Gal III. 16. Hebr. II. 3. IV. 7. VII. 17. sqq. VIII. 13. XII. 17. Jure itaque istæ mutationes neminem de Allegatorum veritate ac sinceritate dubium reddere possunt, qui debitam Scriptoribus N. T. reverentiam exhibet. Tantum abest, ut cum HIERONYMO q) dicamus, Allegantes memoria lapsos esse, vel omnes istas discrepantias Librariorum statim incuriæ seu inimicorum fraudi adscribamus. Quod vero Antiscripturarii nescio quod desperatæ suæ causa præsidium in illis quærunt, nemo mirabitur. Nam qui divinam sapientiam agnoscere nolunt, ad humanæ sapientiæ leges exigere illam debent, ut habeant; quod calumnientur.

CAPUT

o) cf. CARPZOVIUS *in Crit. S. p. 858.*

p) *In Comm. in Jes. Cap. LXIV. 4. coll. 1 Cor. II. 9.* Locum jam supra dedimus *Cap. IV. §. XXIII. not.* Adde DRUSIUM *in Parall. S. Can. I. & VII.* qui etiam in conciliandis ejusmodi Allegatis *Enallagen, Periphrasin, Tmesin & Scriptionis compendium* in subsidium vult vocari. *Can. VIII. & IX.* & quandoque totam discrepantiam in *Hebraismi explicatione* ponit. *Can. XII.* Nos, in generalibus versantes, tot Allegatorum classes modosque ea conciliandi cumulare hic noluimus.

q) A quo nescio an multum absit Ill. MICHAELIS *Einleit. p. 83. Wann die Apostel den LXX. folgen, so binden sie sich nicht immer gar zu genau an die Worte, sondern verändern sie bisweilen nach derjenigen Freyheit, die man den Alten gönnen muß, weil sie aus Mangel der Bücher häufig aus dem bloßen Gedächtnis Stellen anführeten. Siehe Hebr. I, 6. Ps. XCVIII, 5.* und Hieronymum *bey Eph. V. 31.* Adde Eundem p. 600.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0092
DFG

CAPUT VIII.

PRÆCEPTA HERMENEVTICA.

§. I.

Ut in unam Summam colligamus, quæ ſparſim in hac *Commentatione* monita dedimus, & facem aliquam præferamus ſtudioſis, qui in conferendis, conciliandis & interpretandis Allegatis vires ſuas experiri ipſi volent; *Praecepta* nonnulla ſubjungimus, iis forſan haud inutilia, qui has Scripturæ particulas pia mente, ut Dei verbum, reverentur. Qui enim de hoc dubitant, ii periculoſe faciunt, ſi per difficiliora, & unde ipſi Antiſcripturarii tela depromunt, ad certitudinem contendunt. Dubius & ſuſpenſus animus in leviſſimis hæret; occupatus vero magnam etiam illis vim ineſſe credit, quibus alii ne moventur quidem. Judæi, qui Allegatis his ad amplectendum Evangelium debebant perduci, de divina origine & auctoritate librorum, qui illa continebant, non dubitabant.

§. II.

Ad duo vero redeunt, quæ hic obſervari debent: Unum eſt, ut Allegatum cum dicto V. T. conferamus, &, ubi opus eſt, conciliemus; alterum, ut V. T. dictum recte in Novo applicatum eſſe oſtendamus. Teneantur ſequentia:

I. Conferatur accurate Allegatum cum V. T. loco, tam in Fonte hebræo, quam in verſione græca LXX. ut ſenſus identitas eruatur.

II. Si in verbis nulla diſſenſio; nulla opus eſt Conciliatione. Itaque omnia redeunt ad Applicationem.

III. Sin adeſt diſſenſio in verbis; videatur, annon Synonyma illa ſint, vel ſe mutuo explicent. Hoc etiamnum caſu ſenſus identitas facile oſtenditur.

IV. Ubi major ſe prodit differentia, & conciliatio difficilior; inquiratur in ſcopum, cujus gratia ad V. T. dictum provocavit Scriptor N. T. quem contextus dabit.

V. Quo gravior & ſublimior ſcopus, eo magis premenda eſt Allegatio. Primas tenent Perſona, Status & Officium Chriſti; Criteria Meſſiæ, Judæorum præjudiciis contraria; Gentium & Judæorum in unam Eccleſiam collectio; Cultus cerimonialis abolitio.

VI. Hoc invento diſpiciatur, annon idem quoque apud Scriptorem V. T. ſcopus eſſe *debeat* dicti, litteraliter de eodem ſubjecto intelligendi; vel eſſe *poſſit*, per typicam & myſticam interpretationem?

VII. Prius evincitur, si prædicata dicti prophetici simul sumta aliud subjectum omne respuunt. In his accedens Allegatio summam certitudinem gignere, & Demonstrationis loco esse debet.

VIII. Posterius locum habet, si omnia, quæ textum V. T. circumstant, aliud subjectum aperte innuunt. Hic, ne fundamento careat interpretatio mystica, rationes sedulo investigentur, cur, quod de uno dictum fuerat, ad alium potuerit transferri?

IX. Uno alterove sensu & scopo eruto, iterum conferatur textus cum textu, & probe adtendatur, num differentia inter utrumque observata, summam rei tangat, ipsamque argumentationem infringat, nec ne?

X. Si posterius est; non minus anxie laborandum est de Conciliatione. Non enim adstricti fuerunt Allegantes ad recitanda singula oraculorum V. T. verba.

XI. Sin prius; omnia adhibenda sunt subsidia, tam grammatica, quam critica, donec appareat, hoc etiam in loco Scripturam sibi constare.

XII. Si sensus neque litteralis, neque mysticus obtinere possit, reliqui modi examinentur, de quibus supra Cap. II. §. VI.

XIII. Si neque hos applicare queas; non habes Allegationem, quæ vim probandi habeat, sed Accommodationem, quæ tantum illustrat.

XIV. Accommodationes omnes noli negare. Peccari potest in utroque extremo, & plus obsunt bonæ causæ, quam prosunt, qui sine certo fundamento vaticinia cumulant.

XV. Audiantur etiam Adversarii, quorum varium & multiplex genus est. Ergo uno eodemque modo omnibus satisfieri non potest.

XVI. Contra Judæos & Antiscripturarios ex fide Librorum Sacrorum historica & prædictorum eventorumque harmonia, etiam in iis, quæ homines pro viribus impedire voluerunt, maxime pugnandum est.

XVII. Præter hos non dantur, qui non aliquem Allegatorum usum concedant. His ostendendum est, verum, legitimum & bonis viris dignum usum Allegantibus adscribi non posse, nisi vere probaverint, ubi probandi gratia allegarunt.

XVIII. Iisdem jure obvertis, quod ipsi adeo inter se dissentiant, in eorum dictorum expositione, quibus vaticinia contineri negant. Non omnis adversariorum dissensus nostram causam juvat: At vero, historice interpretari velle, quibus omnis Historia certum subjectum non suppeditat, ut alius hoc, alius aliud accersat, absonum est, & causæ non bonæ indicium.

XIX. Qui in unius tantum alteriusve dicti applicatione errant, & Christum non vident, ubi videre possent; eos gravius incusare noli. Veritatem non, uti decet, defendis, quando eam defensurus in charitatem peccas.

DEMON-

DEMONSTRATIO EVANGELICA

TOMUS PRIMUS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0095
DFG

DEMONSTRATIO EVANGELICA

TOMUS PRIMUS

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0096
DFG



I. ALLEGATUM.

MATTH. I. 22. 23.

Τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ προφήτου, λέγοντος· Ἰδοὺ, ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει, καὶ τέξεται υἱὸν, καὶ καλέσουσι τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ· ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον· Μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός.

JES. VII. 14.

לָכֵן יִתֵּן אֲדֹנָי הוּא לָכֶם אוֹת הִנֵּה הָעַלְמָה הָרָה וְיֹלֶדֶת בֵּן וְקָרְאת שְׁמוֹ עִמָּנוּ אֵל׃

VERSIO LXX.

Διὰ τοῦτο δώσει Κύριος αὐτὸς ὑμῖν σημεῖον· Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει, καὶ τέξεται υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ·

§. I.

Nemine refragante Evangelista allegatum hic Jesaiæ locum citavit. Nam in aliis quibusdam Allegatis hæsitari quodammodo potest ac solet, an ex hoc aliove loco petita sint, ob similitudinem locorum, vel veram vel apparentem; uti e. g. contingit circa Allegata Matth. II. 15.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0097
DFG

Hebr. I. 6. &c. Sed hoc quidem loco *Jesaiam* à Matthæo excitari, nemo est, qui vel per somnium dubitare possit, cum alibi in Vet. Test. nil tale occurrat.

§. II.

Judaei [a]) hic omnes adhibent machinas, ut Allegationem hanc falsitatis convincant: Exprobrant enim Matthæo I. quod male *allegaverit*, & II. quod male *applicaverit* dictum hoc Jesaiæ: Et quidem I. quoad *Allegationem* sollicitant 1) Versionem vocis עַלְמָה per παρθένος *Virgo;* contendunt enim, עַלְמָה non notare præcise *virginem*, sed *puellam quamcunque*, sive virum expertam, sive intactam; sive nuptam, sive innuptam. Sic R. DAVID KIMCHI in *Libro Radicum*, qui & עַלְמָה nihil differre ait à נַעֲרָה, qua dictione puella quæcunque, sive integræ virginitatis, sive imminutæ, vulgo significetur. Quæ vero *Virgo* sit, eam proprio vocabulo בְּתוּלָה exprimi prætendunt, ita ut עַלְמָה *aetatem* indicet, בְּתוּלָה *virginalem* corporis *integritatem*; unde & Interpretes Græci, AQUILA, THEODOTION & SYMMACHUS, עַלְמָה verterint per νεάνιδα, *juvenculam*, non per παρθένον, *virginem.*

§. III.

Habent vero & Christiani, quæ ad hæc respondeant. Urgent a) vocis *Etymon* seu proprietatem, cujus optima index est origo ejus, nisi quidem constans & apertus usus obstet. Indubie scilicet descendit ab עָלַם, *abscondidit*, quod habet in Niphal נֶעְלַם, *absconditus fuit*, & in Participio נֶעְלָם, נַעֲלָמָה *absconditus, abscondita:* Hinc עֶלֶם *adolescentem* notat, qui domi in parentum cura latitat, & עַלְמָה *Virginem* seu *puellam*, pariter adhuc domi latitantem, neque nuptum propalam eductam; hunc enim

a) Easdem *Judæorum* objectiones, & circa hoc Allegatum & circa sequentia, suas etiam faciunt *Antiscripturarii* & Religionis Christianæ Adversarii recentiores. Neque enim haberent hi homines, litterarum sacrarum plerumque imperiti, quod dicant, nisi ex Judæis saperent, sibi alias adeo despectis. Eminent inter illos ANTONIUS COLLINS & SAMUEL PARVISH, quibus, seriem vaticiniorum percurrendo, obviam ivit *S. Rev. D.* LILIENTHALIUS *in der Guten Sache der Offenbarung P. II.* Ablegabimus quandoque Lectorem ad Eundem. Addi quoque potest OPORINUS *in Diss. de Firmit. Dem. Evang. p. 35.*

enim morem Veterum, filias suas innuptas studiose occultandi (conf. Esth. II. 11. 15. 2 Marc. III. 19. 3 Macc. I. 18. ubi habetur vox κατάκλειστος, & quæ GROTIUS *ad h. l.* nec non HUETIUS *in Dem. Evang. p. 763.* ex Antiquitate hanc in rem profert,) nomenclaturæ huic originem dedisse, nullum est dubium. Si vero cum GUSSETIO *in Comm. L. H. p. 608.* virginem עַלְמָה *velatam* dici statuas, in oppositione ad illum actum, quem Scriptura sacra pro verecundia sua dicit גַּלֵּה עֶרְוָה, *pudorem retegere;* magis adhuc nomen hoc virginibus proprium erit: Denotabit enim tales, quæ ἄνδρα οὐκ ἔγνωσαν Luc. I. 34. Prius tamen jure magis placet VITRINGÆ *Comm. in Jes. p. 185.*

§. IV.

b) Ab origine vocis non recedit usus, quem penes loquendi norma est. Nimirum præter hunc Jesaiæ locum sexies adhuc in V. T. occurrit vox עַלְמָה scil. 1) Gen. XXIV. 43. ubi de Rebecca *Virgine* usurpatur, LXX. quoque ibi vertentibus per παρθένον, & *Aquila* ἀπόκρυφον, *absconditam;* 2) Exod. II. 8. ubi de Mirjam, juvencula Mosis sorore, usurpatur; 3) Ps. LXVIII. 26. עֲלָמוֹת תֹּפְפוֹת itidem sunt *Virgines*, pulsantes tympana; 4) Cant. I. 3. עֲלָמוֹת *Virgines* sunt emblema castarum animarum, quæ se a mundi commercio puras servarunt; (conf. Apoc. XIV. 4.) 5) Cant. VI. 8. ubi *Virgines* expresse opponuntur maritatis; Denique 6) Prov. XXX. 19. inter quatuor imperscrutabilia refertur דֶּרֶךְ גֶּבֶר בְּעַלְמָה *Via viri in Virgine.* Ac de hoc quidem loco mire triumphant Judæi, ABARBANEL inprimis & KIMCHI, quia inveniisse in eo sibi videntur, quod עַלְמָה etiam puellam prostituti pudoris, sive meretricem denotet; stringunt quoque argumentum ex versu seq. ubi de *adultera* est sermo. Sed in vado res est: Nolim quidem contra Judæos α) urgere mysticam illam interpretationem hujus oraculi, qua ad *Christum*, & quidem *via aquilae in cœlo* ad ascensionem ejus in cœlos; *via colubri super terram* ad reditum ejus ex morte in vitam; *via navis in medio mari* ad mirabilem ejus inter homines & mundi tempestates vitam; & *via viri in Virgine* ad miraculosam ejus conceptionem & nativitatem applicatur. Placuit illa PETRO GALATINO *de Arc. Cath. Verit. L. VII. cap. 15.* RAYM. MARTINI *in Pug. Fid. P. III. dist. 3. cap. 7.* NIC. LYRANO *in Comm. ad Prov. XXX. 19.* & ALPH. SALMERONI *Tr. 31.* Sed exsibilat illam ABARBANEL, ideo maxime, quia non quadret, quod sequitur: *Ita via mulieris adulterae.* cf. SPANHEMII *Dub. Evang. P. I. p. 302. seq.* Nolim β) בְּעַלְמָה cum LXX. accipe-

re *in abstracto*, & vertere ἐν νεότητι, ut sensus sit, viam viri *in adolescentia* sua adeo esse incertam & versatilem, ut difficulter cognosci possit. Nam עַלְמָה omnino est Nomen *concretum*, & עֲלוּמִים in Scriptura significat *adolescentiam*. Optime sine controversia γ) *via viri in virgine* intelligitur de singularibus motivis & incitamentis, sæpenumero, ut ita dicam, infinite parvis, nec facile explicandis, quibus vir juvenis inducitur, ut hanc, nec aliam, puellam matrimonio sibi jungi cupiat. Matrimonia certe non ad hominum plane arbitrium transmissa, sed regimini superiori subjecta esse, cui nostras rationes, non raro inscii pene ac inviti, accommodamus, dies docet. Quis itaque neget, *imperscrutabilem esse viam viri in virgine?* Hoc si modo accipias h. l. עַלְמָה, non potest non denotare *virginem*. Versus seq. 20. כֵּן *sic via est adulterae*, adeo non obstat, ut priora potius confirmet: כֵּן enim meram similitudinem significat, non identitatem, ideoque necesse est, ut hoc exemplum differat à priori.

§. V.

c) Significatus trium vocabulorum נַעֲרָה, בְּתוּלָה & עַלְמָה ex usu Scripturæ sacræ melius ita determinatur: נַעֲרָה solum ætatis respectum habens, *puellam*, seu adolescentulam, significat, tam virginem, quam corruptam aut maritatam. Ruth. IV. 12. בְּתוּלָה ad virginitatem duntaxat respectum habens, *virginem* significat, sive adolescentula sit, sive anus; עַלְמָה autem ad utrumque respectum habens, nimirum ad adolescentiam & virginitatem simul, *virginem adolescentulam* designat. Quapropter mulier, sive juvencula sit, sive annosa, quamdiu virgo est, בְּתוּלָה appellari potest; quamdiu autem juvencula est, sive virgo sit, sive corrupta, sive maritata נַעֲרָה nuncupatur; עַלְמָה vero nulla vocari potest, nisi & juvencula sit, & virgo intacta simul. Ita GALATINUS *l. cit.* conf. WAEHNERI *Diss. Jesus Christus Immanuel ex Jes. VII. 14. Gœtt. 1755. p. 22. seqq.* qui vero sensum harum trium vocum paulo aliter definit.

§. VI.

d) Quod עַלְמָה apud Jesaiam *Virginem* significet, probant quoque plures versiones. Licet enim *Aquila*, *Theodotion* & *Symmachus* per νεάνιδα *juvenculam* verterint, in favorem Judæorum, tanquam apostatæ; *virginem* tamen reddunt LXX. Chaldæus uterque, ONKELOS & JONATHAN, nec non versio Syriaca, quæ habet בְּתוּלָה. e) Si vox עַלְמָה *Virginem* haud desi-

designet in hoc oraculo, nemo dixerit, quid illud sit in hac prophetia, quod mereatur appellari אות, *signum*. Par est enim credere, Prophetam hac voce v. 14. eodem sensu uti, quo eam usurpaverat v. 11. ubi manifeste sumitur de *signo* aliquo *prodigiali*; non memoriali, seu verbali, seu quocunque alio. Quis autem *miraculi* aut *signi prodigialis* loco habeat, parere fœminam ex congressu viri, & illi imponere nomen, quale vult, magnificum etiam & glorioſum? Judæorum Magistri in angustias hic se redactos sentiunt, ac proinde in varias se induunt formas. Diversas eorum sententias se invicem destruentes recensetVITRINGA *loco cit.* Sed omnes sunt frigidæ, futiles ac longe quæsitæ; majorem speciem habet, quod GROTIUS & ex parte etiam ABEN-ESRA ait: scilicet, *signum* fuisse in eo, quod Propheta ipse circa id tempus congrederetur cum fœmina, quæ tum adhuc *Virgo* esset, sed, nupta Prophetæ, partum ederet *masculum*, qui *symbolicum* ferret nomen *Immanuel* & מַהֵר שָׁלָל חָשׁ בַּז, in signum instantis liberationis. Verum & hoc nimis frigide dicitur, & longe erat infra exspectationem, quam Propheta magnificis verbis Achazo & populo fecerat. Stat itaque firmum, vere *Partum Virgineum* hic prædici & *in Signum* proponi.

§. VII.

Pergimus 2) ad alteram objectionem Judæorum, qua evincere volunt, Matthæum male citasse. Concernit illa vocabulum הָרָה, *gravida est*, quod *praeteriti* præ se ferat significationem, adeoque à Matthæo, in gratiam religionis christianæ, male redditum sit per ἐν γαστρὶ ἕξει, quasi de *futuris* ageretur. Probare vero id conantur ex Gen. XVI. 11. ubi Angelus Hagari ait: הִנָּךְ הָרָה וְיֹלַדְתְּ בֵּן *Ecce tu gravida es, & filium paries.* Sed respondetur: a) vox הָרָה est *Adjectivum*, atque idcirco significare potest præsens, præteritum & futurum tempus, prout scilicet verbum substantivum הָיָה ei jungitur, quod, ex usu Linguæ hebraicæ frequentissime omittitur. Si ergo adjectivo הָרָה addatur תִּהְיֶה, *eris*, designatur tempus futurum; si vero הָיְתָה, tempus præsens ac præteritum. b) Quod ad loca spectat, in quibus הָרָה in sensu præteriti vel præsentis occurrit; distinguendum est inter *Historiam*, rem factam enarrantem, & *Prophetiam*, rem futuram prænunciantem. *Loco cit.* Gen. XVI. narratur historia facti, apud Prophetam vero res futura; propterea vocabulo הָרָה addendum est verbum תִּהְיֶה, ac si legeretur הָרָה תִּהְיֶה, *gravida erit*, quod proinde Matthæus cum LXX. recte vertit in futuro, pro λήψεται, quod hi habent, saltim

aliud futurum ponens, ſcilicet ἕξει. c) Si vero maxime concederemus, vocem הָרָה in tempore præſenti vel præterito accipiendam eſſe; notum tamen omnino eſt omni, qui Prophetas vel a limine ſalutavit, eos plerumque in præſenti & præterito tempore, *futurum praeſagiente*, loqui, ad indicandum, rem tam certo futuram eſſe, ac ſi jam eſſet facta. Unde & RASCHI τὸ הָרָה *h. l.* de tempore futuro intelligendum eſſe agnoſcit, ac ſi eodem modo, quo Jud. XIII. 3. ſcriptum eſſet וְהָרִית וְיָלַדְתְּ בֵּן *Et concipies & paries filium.*

§. VIII.

3) Tertia objectio, qua Judæi Matthæum malæ fidei in vertendo poſtulant, hæc eſt, quod vocabulum וְקָרְאָת male reddiderit καὶ καλέσουσι. Illud enim eſſe aiunt ſecundam perſonam ſingul. fœm. præteriti Kal, ita ut nominis impoſitio per Apoſtrophen referatur ad Matrem Immanuelis; hoc vero, ſcilicet καλέσουσι, eſſe tertiam perſonam pluralem. R. וְקָרְאָת vel eſt *ſecunda* perſona fœminini generis, non adverſante Grammatica; unde & LXX. SYMMACHUS, AQUILA, THÆODOTION & R. KIMCHI verterunt *& vocabis*; vel eſt *tertia* perſona fœminini generis, ut ponatur pro תִּקְרָאנָה *vocabit*, velut נִפְלָאת pro נִפְלָאָה, contracte, Pſ. CXVIII. 23. conf. etiam וְקָרְאָת b) *& accidet* Deut. XXXI. 29. וְעִשְׂתֶּם *& faciet* Lev. XXV. 21. Vid. CARPZOVII *Crit. Sacr. p. 890.* & SAUBERTI *Pal. p. 152. ſeq.* Jam ſi *impersonaliter* ſumas hoc illudve, utrumque commode reddi poterit καλέσουσι, ut ſenſus ſit: *vocabitur nomen ejus*, ſcilicet ab omnibus, qui dicent *Nobiscum Deus.* conf. GROTIUS *ad h. l.* qui plura hujus Enallages perſonarum exempla etiam ex aliis linguis adducit. b) Si cui neutra harum expoſitionum arrideat; in eo is poterit acquieſcere, quod non neceſſe fuerit, ut Evangeliſtæ in Allegationibus ſuis *ad verba* Prophetarum *ſe adſtringerent*, verbotenus omnia deſcribendo; ſed ſuffecerit cavere, ne ſenſui quid decedat. Id quod omnium minimæ dæos male habere debet, cum & ipſos ſuos Rabbinos id multoties feciſſe negare nequeant. Vid. SURENHUSIUS *in* Βιβλ. Καταλλ. *p. 163.* Immo Scriptores N. T. quandoque ea, quæ Prophetæ reſtrictius dixerant, è plenitudine complementi amplificare quodammodo, bona fide ac ſine piaculo, potuiſſe, quis dubitet? Ita cum Propheta hic prædixerit, Matrem Immanuelis Filio ſuo id nominis impoſituram eſſe, Matthæus contra e plenitudine N. T.

b) Eſt quidem hoc a הָרָה, non a הָרָא; ſed & plures alias formas hæc duo verba ab ſe invicem mutuantur.

N. T. plus potuit dicere, scilicet omnes fideles eum ita appellaturos esse: Neque enim Mariæ tantum dictum fuit Luc. I. 28. *Dominus Tecum*; sed omnes quoque fideles N. T. dixerunt dicentque *Dominus Nobiscum*.

§. IX.

II. Pergimus ad alteram classem dubiorum, quibus Judæi *Applicationem* dicti Jesaiani à Matthæo factam infestant; ubi 1) Palmarium eorum argumentum hoc est: In quocunque oraculo agitur de ejusmodi partu, qui signum esse potuit paulo post secuturæ liberationis Judæorum a duobus Regibus, Rezin & Pekah, illo Syriæ, hoc Israëlis Rege; illud non debet applicari ad puerum, multa post secula demum nasciturum. A. Oraculum Jes. VII. &c. E. non potest nec debet applicari ad Jesum, Mariæ Filium. *Majorem* probant ex eo, quod *signum* debeat antecedere *rem signatam*, adeoque & nativitas pueri, de qua Jesaias loquitur tanquam signo, antecedere debuerit liberationem Judæorum à duobus istis Regibus, cujus illa signum erat: uti e. g. Signa Gedeoni & Hiskiæ data, fuerint actu exhibita ante complementum promissionum.

§. X.

Respondent Nostri, a) falsam esse Hypothesin, quod omne Signum *Confirmativum* semper debeat præcedere, tempore & complemento, executionem actualem promissionum, quarum gratia signa offeruntur: Contrarium docere loca Ex. III. 12. 1 Sam. II. 34. X. 2. Jes. XXXVII. 30. 1 Reg. XXII. 25. 2 Reg. VII. 2. Jer. XLIV. 29. Deut. XVIII. 21. 22. Luc. II. 12. Matth. XII. 39. 40. Vid. SPANHEMIUS *p. 315. seq.* b) Prophetia hæc non ad Achazum, nec ad istam ætatem solum pertinuit, sed ad totam *Domum David*, cujus expressa mentio fit v. 2. & 13. cap. & ex qua post VII. Secula Messias nasci debuit; ut adeo ex hoc signo concludere potuerit *Domus David*, se neutiquam deletum iri ab hostibus suis: id quod pluribus deducit SPANHEMIUS *l. c. p. 287. seqq.* §§. V - VII. & contra exceptiones Judæorum vindicat *p. 289. seq.* c) Addunt alii, omnino etiam dici posse, quod Achazo quoque & reliquis istius ætatis hominibus Partus Immanuelis, post VII. Secula futurus, certa ratione signum esse potuerit instantis liberationis à duobus illis Regibus, scilicet per *Argumentum à Majori ad Minus*, hoc modo: Si Deus vobis aliquando daturus est, quod *Majus* est, quod difficilius, quod stupendum prorsus & inauditum, ut Virgo concipiat & pariat Immanuelem: quanto magis

Deus

Deus vobis daturus est, quod *Minus* est, quod facilius, nimirum ut liberemini a manu duorum Regum, qui vos jam vexant. Vid. SPANHEMIUS *p. 318. seq.*

§. XI.

Neque d) obstat v. 16. Cap. nostri, ubi terra dicitur deserenda a duobus Regibus, antequam Puer ille perveniat ad annos discretionis. Respondetur enim *α)* Subjectum comm. 14. aliud esse ab eo, quod innuitur comm. 16. Duo scilicet Propheta v. 14-16. signa affert; primo *commune* illud signum & promissionem de Christo v. 14. dein *singulare* ac proprium præsentis liberationis signum, vel *individualiter* in *Schear-Jaschub*, Prophetæ filio, quem secum adduxerat Jesaias, ex mandato divino, v. 3. vel *specifice* & distributive de quibusvis, qui illa ætate pueri erant, quo sensu τὸ הַנַּעַר etiam sumitur Cap. III. 5. Utro modo sumas, sensus hic erit: Non est, quod diffidatis Deo de conservatione Urbis vestræ & Domus David; tandem nascetur ex ea Messias, & quidem miraculose ex Virgine: Nec hostes illi, quos jam metuitis, nativitatem Illius impedire poterunt, exscindendo Urbem & Domum David: Antequam enim *hic meus Schear-Jaschub*, vel in genere *Pueri nostri*, perveniant ad annos discretionis, peribunt illi; multo magis, antequam exhibeatur Messias. Ornavit hanc sententiam inprimis OPORINUS *in Diss. de Firmit. ac Inspir. Div. Demonstr. Evang. p. 36. seq.* *β)* Ii quoque qui v. 16. æque ac v. 14. 15. ad Immanuelem referunt, inveniisse sibi videntur quandam istius expositionem, quæ optime possit consistere cum sententia recepta, oraculum v. 14. de Christo interpretante. Tentavit hujusmodi quid VITRINGA *in Obs. Sacr. L. V. cap. 2. toto;* ubi statuit, Prophetam brevitatem temporis, quo deserenda erat Judæa, comparare cum tempore, quod interceſſurum sit inter Immanuelis nativitatem & pueritiam, adeoque hunc v. 16. sensum esse; non majus temporis intervallum effluxurum esse usque ad interitum amborum illorum Regum, quam effluxurum sit à tempore Immanuelis *Infantis* ex Virgine nati, usque ad *aetatem* ejus *puerilem.* Sed vereor, ut omnibus tam solida videantur hæc cogitata, quam ingeniosa & subtilia: *aliud* omnino sonant verba, *antequam* puer iste sciat reprobare malum & eligere bonum, terra derelicta erit ab hostibus suis; *aliud* vero ea, quæ VITRINGA Prophetæ suggerit. Tutius itaque subsistitur in priori sententia.

§. XII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0104
DFG

§. XII.

Reliquæ Judæorum objectiones non tanti sunt, ut diu nos morari debeant; ut cum 2) urgent voculam הִנֵּה. *Ecce*, inquit ABARBANEL, innuit *rem factam statim in praesenti*, ut Gen. XV. 4. Jes. XXI. 9. quomodo igitur diceret Scriptura *Ecce Virgo* de eo, quod futurum esset in extremitate dierum? R. Negando, quod הִנֵּה tempus præsens aut valde propinquum semper & ubique denotet; contrarium docent loca, quæ ipsorummet Judæorum confessione de re multis post seculis eventura agunt. e. g. Jes. XLII. 1. ad verba הֵן עַבְדִּי *Ecce servus meus* ipse ABARBANEL, postquam varias sententias enarrasset atque confutasset, tandem concludit וְזֶה הַמָּשִׁיחַ *Et hic est Messias*. Adde Jes. LII. 13. Jer. XXIII. 5. XXXIII. 14. Zach. III. 8. VI. 12. 3) Æque ficulneum est, cum eorum aliqui urgent ה emphaticum, Rabbinis ה הַיְדִיעָה *He Cognitionis* seu *demonstrativum* dictum, voculæ עַלְמָה heic præfixum, quod vel *subjectum* connotet coram adstans, quod exserto quasi digito monstretur; vel *rem* cujus in antecedentibus facta sit mentio. R. He emphaticum non semper indigitare rem, quæ coram oculis sit, neque necessario requirere mentionem in antecedentibus; sed non raro designare Individuum aliquod certum, κατ' ἐξοχήν intellectum, etiam longe remotum, sed ex specula divinæ præscientiæ digito quasi monstratum. Urgent 4) diversitatem nominis: Filium enim, de quo Jesaias, appellandum fuisse *Immanuel*, filium vero Mariæ appellatum fuisse Jesum; nec uspiam legi, Jesum Nazarenum vel a matre sua, vel ab aliis vocatum esse *Immanuel*. R. a) Æquipollentia esse nomina *Immanuel* & *Jesus*, non quidem *sono*, sed *sensu*, uti TERTULLIANUS jam in *Libro adv. Judaeos* monuit. conf. BENGELIUS *in Gnom. ad Matth.* I. 21. & 23. & loca V. T. Jes. I. 26. IX. 5. Jer. III. 17. XXXIII. 6. Zach. VIII. 3. b) Ne hoc quidem verum est, Jesum nunquam appellatum fuisse *Immanuel*, tanquam nomine proprio; contrarium patet ex Jes. VIII. 8. & revera hodienum inter Christianos Servator appellatur *Immanuel*, tanquam nomine proprio. conf. SPANHEMIUS *l. c. p. 312. sqq.* & SAUBERTUS *l. c. p. 151. seq.* Obiter hic notamus, Judæos, Nomen *Jesu* scribentes, non scribere יְהוֹשֻׁעַ nec יֵשׁוּעַ, sed יש', ut sic per obliquum anathemate illum feriant, alludendo ad id, quod legitur Ps. CIX. 13. & subintelligendo יִמַּח שְׁמוֹ *Deleatur nomen Ejus.*

§. XIII.

5) Urgent, Signum Jes. VII. non posse referri ad Jesum Nazarenum, cum Propheta expresse dicat: Deus signum dabit לָכֶם *Vobis*; isti vero

vero Judæi, quibus hoc dictum fuit, pridem extincti fuerint, cum Jesus nasceretur. R. a) Vox לָכֶם non est restringenda ad illos præcise, quos coram se tum habuit Propheta, sed ad totam בֵּית דָּוִד, Domum Davidis, pertinet, v. 13. b) In Scriptura multis ea promittuntur, quæ in posteritate illorum demum completa sunt. e. g. Gen. XIII. 15. XXVII. 29. 6) Objiciunt, nec Achazum, nec Judæos, hoc vaticinium de Messia intellexisse. R. a) Non constat ex Textu, utrum intellectum fuerit, an secus; eadem igitur facilitate id affirmari potest ac negari. b) Neg. Conseq. Quasi vero Achazi & impiorum Judæorum intellectus mensura foret veritatis propheticæ, & non scopus potius ac verba Prophetæ. 7) Urgent v. 15. & Puerum inquiunt, de quo vaticinatur Jesaias, debuisse butyro & melle educari; non constare vero, an Jesus Nazarenus hoc modo enutritus fuerit. R. a) per Instantiam: Vicissim scilicet à Judæis poscimus, ut nobis ostendant, unde ipsis constet, vel Hiskiam, vel alterum illum Achazi filium, vel Schear-Jaschub, filium Prophetæ, vel quemcunque alium istius ætatis puerum, butyro & melle fuisse educatum potius quam Christum. Eadem ergo illis difficultas solvenda est. b) Descriptio illa Prophetæ nil aliud innuit, quam puerum istum, etsi miraculose conceptum ac natum, consueto tamen more educandum, cibisque communibus & ordinariis nutriendum fore, quales erant in terra Canaan lac & mel, quibus abundabat illa. 8) Urgent Cap. VIII. 4. ubi dicatur: Antequam puer sciat vocare *Pater Meus* &c. hinc enim arguunt, talem intelligi puerum, qui *Patrem* habuerit in terris, quod de Messia nostro nos negemns. R. Distinguendum esse puerum e Propheta & Prophetissa natum ab Immanuele. Discrimen patet c) ex diverso nomine; *ille* enim appellatur *Maher-Schalal Chasch-Baz; hic* vero *Immanuel; ille* dicitur filius *Prophetissae*, *hic* בֶּן הָעַלְמָה; *hic* vocatur *Dominus terrae*, quod de *illo* falsissimum esse in confesso est. d) *Hic* promittitur in signum *conservationis Domus David*, *ille* fuit Symbolum *destructionis Damasci & Samariae.* e) Ipse ABARBANEL binos hos pueros distinguit. Vid. SAUBERTUS *l. c. p. 156.*

§. XIV.

Vindicavimus hucusque contra objectiones *Judaeorum* sententiam communem & receptam, quæ in oraculo Jesaiano Christum proxime & immediate intendi statuit, ita ut litteraliter de Isto sermo sit. Jam & eorum Interpretum mentio facienda est, qui ad expugnandum Judæorum pervicaciam aliam sibi ineundam esse viam arbitrati sunt. Vid. SPANHEMIUS *l. c. p. 294. sq.* Concedunt hi, Oraculum Jesaiæ *litteraliter & proxime* de Puero *Jesaiae tempore nascituro* agere; sed contendunt simul, eundem *Typum* fuisse Christi

Christi post VII Secula nascituri, ut itaque Matthæus *Typum* recte applicaverit ad *Antitypum*. Typus ex illorum sententia hic est: Promitti à Deo per Prophetam *puerum aliquem* tum temporis nasciturum, ex puella juvencula, licet per congressum viri, cui imponendum esset Nomen *Immanuel*, & qui esset tuto & frugaliter educandus, ut sic & nomine illius admonerentur, Deum illis adfuturum contra duos Reges, à quibus vexabantur, & symbolum haberent ac Typum, & suæ liberationis in præsens, & futuræ per Messiam: Ne vero promissio hæc videretur dubia, & objicerent Judæi, obstiturum complemento illius duorum Regum furorem, vaticinari Prophetam, illos ante perituros, quam ætatem discretionis puer ille attingeret. Hujus Typi Antitypum demum faciunt *Christum*, ut in quo omnia illa modo longe excellentiore fuerint adimpleta, ita quidem, ut non secundum consuetum naturæ ordinem, sed ex עַלְמָה, *Virgine*, non antecedenter tantum, sed & consequenter tali, natus sit, præter & supra naturæ ordinem, *Immanuel* appellandus, non indirecte, imperfecte & Symbolice, sed directe, perfecte, realiter & effective, tum ratione Personæ, tum Officii Sui. Hanc interpretationem confirmant a) Auctoritate aliorum in Matthæo locorum, ubi pari ratione proponantur varia ejusmodi oracula typica, composita, geminum complementum habentia, unum in typo, alterum in antitypo. e. g. Matth. II. 15. & 18. b) Ideo vero maxime reliquis præferendam putant, quia per eam Judæis aliisque Antiscripturariis cavillandi ansa præcidatur, & innumeræ difficultates felicissime evitentur. Ubi vero c) illis opponitur, Virginem maritatam non potuisse typum esse δειπαρθένε, nec merum hominem veri Immanuelis; respondent, non quærendum esse in typis, ut omnia ad unguem respondeant; Typum *partem* indicare, non *totum*; (secundum *Hieronymum*) quodsi enim totum præcedat in typo, jam non esse typum, sed Historiæ veritatem. c)

§. XV.

Enimvero his non obstantibus, aliis tutius videtur, totum hoc oraculum ad *solum* Messiam referre; ob sequentes potissimum rationes: 1) Quia de Im-

 manuele

c) Primus eorum, qui hanc viam ingressi sunt, fuit procul dubio ille, de quo HIERONYMUS *in Comm. in Jes. Cap. VII.* ait: Quidam de nostris *judaizans* Jesaiam Prophetam duos filios habuisse contendit, *Jasub* & *Emmanuel*; & Emmanuel de Prophetissa, uxore ejus, esse generatum *in Typum Domini Salvatoris* &c. VITRINGA *in Obss. S. L. V. cap. I. §. 3.* nominat GROTIUM, PELLICANUM; ex Pontificiis TIRINUM, & ex Socinianis CRELLIUM. Ex nostris eandem sententiam adoptavit BENGELIUS, cujus verba satis expressa *in Gnom. ad h. l.* hæc sunt: Innuitur aliqua Jesaiæ tempore, quæ ex Virgine (de cujus fœcunditate naturaliter minus constabat) Mater, eaque filii, erat futura: sed eadem uti verborum sublimitas docet, *Typus* erat Virginis, quæ Virgo Messiam peperit. Recentius illis obviam ivit S. R. PFEIFFERUS *in Progr.* sub tit. *Immanuel non geminus, sed unicus, Jesus Christus, ex Jes. VII. 14. & Matth. I. 22. 23. Erlangæ* 1762. Vid. S. R. Dni. ERNESTI *Neue theol. Bibl.* P. IV. p. 91.

manuele Cap. VIII. ea dicuntur, quæ non possunt referri, nisi ad Regem aliquem, vel Regni hæredem: statuitur enim *Dominus Judaeae*; hic vero puer non potuit esse filius & successor Achazi, cum is fuerit Ezechias, jam ante natus; nec alius quidam tam natus ex alio patre, utpote cui dominium illud in Judæam non obtigit. 2) Quia non valeat conseq. à locis allegatis ad hoc oraculum, cum illa certam *Historiam* contineant, quæ omnino suam habere sensum typicum possit; hoc vero merum *vaticinium*, cujus etiam sensus satis constet, tametsi haud recurratur ad Typum. 3) Quia, cum oraculum non quadret in Ezechiam, nec in Schear-Jaschub, nec in Maher-Schalal Chasch-Baz ob rationes supra allegatas; fictione opus est, eaque plane precaria, nec ullo in contextu vestigio nixa, quod scilicet alia quædam illius ætatis Virgo innuatur, quæ filium erat paritura, cujus tamen partus nulla in Scripturis mentio fit. 4) Quia sic enervatur *Signum*, quod Jesaias hic, Deo jubente, proposuit; frigidum enim foret, signum in eo saltim quærere, quod partum *masculum* prædixerit. 5) Quia hoc modo non parum obscuratur eximium illud Messiæ privilegium, quo solus ille e virgine nasci debebat. Si enim Typus illius non fuit vere partus virgineus, male Matthæus inter alia & hoc ex oraculo Jesaiæ probare instituit: Voluisse vero & miraculosam Jesu conceptionem inde probare, contextus docet; nam v. 18. de Maria dicitur εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐκ πνεύματος ἁγίου, quod & Angelus v. 20. suo testimonio confirmat: Postea vero Matthæus addit, *hoc omne factum esse, ut impleretur* &c. Plura in hanc rem dabit CALOVIUS *in Bibl. Illustr. ad Jes. VII. 14.*

§. XVI.

Nos id unum jam addimus, præter rem tam Gentiles quam Judæos nostram de Messia, Partu virgineo, doctrinam adeo abhorrere. Gentilibus enim incredibile visum non est, quod de Homeri, Platonis aliorumque simili ortu venditatum fuit; & HIERONYMUS *adversus Jovinianum L. I. c. 26* scribit, creditum, Buddam, Gymnosophistarum principem, e latere virginis prodiisse; neque Minerva se natum credi voluisset Domitianus, si hujusmodi Genealogia suæ ætatis hominum fidem superasset. Vid. HUETIUS *Dem. Evang. p. 771.* Recte etiam ORIGENES *L. I. adv. Celsum* Gentilibus objicit, quod plerique Græcorum Philosophi mundum factum crediderint, adeoque & necesse habuerint statuere, primos homines sine Patre & Matre editos fuisse; id quod minus adhuc credibile sit, quam ex Matre tantum, sine Patre, Christum prodiisse. Quod *Judaeos* attinet, optime JUSTINUS *Martyr* contra TRYPHONEM Judæum provocat ad fœminas illas steriles annosque genitales transgressas, Saram, Hannam, Elisabetham, quæ Dei beneficio fœcundæ exstiterint. Quin Judæi ipsi in *Midrasch Echa* futurum tradunt, ut Redemtor à se exspectatus sine Patre nascatur. Idem habet R. SIMEON BEN JOCHAI *in Genesin*, & R. MOSES HADARSAN *in Bereschit Rabba*.

II. AL-

II. ALLEGATUM.

MATTH. II. 5. 6.

Οὕτω γὰρ γέγραπται διὰ τοῦ προφήτου, καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα. οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα. ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ.

MICH. V. 1.

וְאַתָּה בֵּית־לֶחֶם אֶפְרָתָה צָעִיר לִהְיוֹת בְּאַלְפֵי יְהוּדָה מִמְּךָ לִי יֵצֵא לִהְיוֹת מוֹשֵׁל בְּיִשְׂרָאֵל׃

VERSIO LXX.

Καὶ σὺ Βηθλεὲμ, οἶκος τοῦ Ἐφραθὰ, ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν Χιλιάσιν Ἰούδα. ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται ἡγούμενος τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα ἐν τῷ Ἰσραήλ.

§. I.

Controversa est in hoc loco *I. Allegatio* ipsa à Matthæo facta, & *II. Applicatio* ad Christum, quarum utramque nunc vindicare, operæ pretium erit. Quod I. ad *Allegationem* attinet, in collatione utriusque loci multiplex se offert discrepantia inter *Michaeae* & *Matthaei* verba, sic ut Evangelista citans peccasse videatur *mutando, demendo & addendo.* 1) Quidem *mutando:* Michæas enim a) dicit *Bethlehem Ephrata;* Matthæus autem *Bethlehem* γῆ Ἰούδα. b) Michæas utitur positivo צָעִיר *parvus;* Matthæus superlativo ἐλαχίστη. c) Michæas *affirmat* Bethlehem parvum esse; Matthæus *negat*, & quidem emphatice: οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ. d) Michæas habet בְּאַלְפֵי יְהוּדָה *in Millibus Judae;* Matthæus ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδ *inter Duces Judae.* e) Michæas ait יֵצֵא לִהְיוֹת מוֹשֵׁל, *egredietur, ut sit Dominator;* Matthæus ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ, *Dux, qui pascet.* Quomodo hæc conciliantur, ut sua Prophetæ & Evangelistæ, quorum utrumque credimus θεόπνευστον constet harmonia; cum præsertim difficultatem augere videatur, quod Matthæus h. l. non dici possit secutus esse LXX?

§. II.

Dantur solutiones nodi hujus α) *Generales*, ubi א) Nolim cum iis, quorum HIERONYMUS *ad Cap. V Mich.* jam meminit, asserere, Evangeli-

gelistas & Apostolos, interdum memoria lapsos, citasse testimonia ex V. T. non prout exstabant in Libris sacris, sed prout memoriæ scribentium se offerebant, quæ nonnunquam falli soleat. Nam 1) AUGUSTINUS ad Hieronymum bene monuit, hac rima semel data, continuo ruere totam scripturæ auctoritatem. 2) Falso supponitur, Matthæi verba esse: οὕτω γὰρ γέγραπται; cum potius Concilii Hierosolymitani sint. Nolim 3) etiam cum ipso HIERONYMO aliisque eo me recipere, quod Matthæus nonnisi Historicum hic agat, nec tam Prophetæ verba, quam Sacerdotum & Scribarum referat, eoque ipso illorum sive oscitantiam sive ignorantiam notet [d]). 1) Enim vix videntur Scribæ & Sacerdotes justæ hic censuræ patere, cum substantia Oraculi prophetici satis superque ab ipsis referatur, ut ostendetur in seqq. Illud vero illorum laudi cedat, tum, quod de loco Natali Messiæ sententiam rogati ad scripturas propheticas confugiunt; tum quod testimonium rei, de qua quærebatur, designandæ aptissimum deligant; tum quod suis verbis lucem inferant oraculo prophetico; ut patebit ex seqq. 2) Si minus fide allegassent scribæ; aut notasset id Matthæus, aut e Codice hebræo genuina verba posuisset; non vero Citationem a Scribis factam suo silentio quasi comprobasset. Nolim 3) cum Quibusdam ad Versionem aliquam syriacam confugere, quæ tum plerisque præ manibus fuerit, & hæc ipsa verba expresserit, unde deinceps Scribæ illa depromserint. Nam precarium prorsus est, & fundamento caret, exstitisse tum ejusmodi Versionem Prophetarum. Nolim 4) cum RICHARDO SIMONIO suspicari, Doctores judaicos retulisse hoc comma *secundum Glossas*, quæ eo tempore populo prælectæ fuerint, nulla habita ratione Textus hebraici, quem nonnisi Docti intellexerint; quam suam conjecturam inde firmari opinatur, quod pro vocibus *Et Tu Bethlehem Ephrata*, sequentia vocabula, tum magis cognita, reposuerint: *Et Tu Bethlehem, Terra Judae*. Nam 1) certum est, *Simonium* in gratiam Traditionum non scriptarum (quibus stabiliendis in *Critica* sua omnem impendit operam) hæc excogitasse. 2) Expresse ad id, quod scriptum est, provocant Scribæ: οὕτω γέγραπται. 3) Ipse Textus hebr. per nomenclaturam *Bethlehem Ephrata* ipsis suggessit interpretationem *Bethlehem Juda*, non vero Glossa aliqua chimærica. Præstat ergo 5) ad ἐναντιοφανείας istas generatim ita respondere, quod Evangelistæ & Apostoli non *se anxie adstrinxerint ad verba* scripturæ V. T. sed *saepe* satis habuerint, *sensum* referre; *saepe* LXX. secuti sint, & *saepe* illa tantum verba expresserint, quæ ad insti-

d) Recentius hanc responsionem in subsidium quoque advocavit R. S. DIETELMAIR *in den Anmerk. zum engl. Bibelwerk* ad Mich. V. 1. qui cæterum in ipsa dicti interpretatione plane nobiscum facit.

institutum suum facere intelligebant; immo quod *saepe* verba eo saltim fine mutaverint, ut ne *Interpretes* tantum, sed etiam *Exegetae* simul essent, & ipsa eorum Versio lucem N. T. referret.

§. III.

Hisce præmissis jam β) *speciales* quoque dubiorum supra allatorum solutiones dabimus. א) Erat, quod Matthæus verba Michææ *Bethlehem Ephrata* mutaverit in *Bethlehem Terram Judae*. Sed non opus est, ut valde sudemus in conciliando utroque; verba enim diversa sunt, sensus idem, & eadem Bethlehem *Ephrata* dicta & *Terra Judae*: 1) *Ephrata* vel a singulari sua *fertilitate*, a verbo פָּרָה, *fructificavit*, geminata terminatione fœminina, ad augendum significatum; vel à *Conditore* suo. Nam 1 Chron. IV. 4. *Ephrata* dicitur *Pater Bethlehemi*; vel ab uxore Calebi, *Ephrata*, 1 Chron II. 19. Et sane tractus ille hoc nomen *Ephrata* jam antiquitus obtinuit, Gen. XXXV. 16. 19. XLVIII. 7. 2) Recte tamen Matthæus cum Scribis pro Ephrata dixit γῆ Ἰούδα: γῆ quidem per Synecdochen Totius pro parte, uti Luc. IX. 12. *ager* pro *pago* dicitur. conf. OLEARIUS *in Observ. Sacr. ad Matthaeum p. 44.* & WOLFIUS *in Curis ad h. l.* γῆ Ἰούδα vero dixit ad distinctionem hujus Bethlehemi ab alia urbe cognomine in Tribu *Zabulon*, adeoque in Galilæa. Jos. XIX. 15. Unde & alibi restrictio quædam additur, ut pateat, de quonam Bethlehemo sermo sit. Vide Joh. VII. 42. ubi additur ὅπου ἦν Δαυίδ. Quin jam in V. T. Bethlehemum *Juda*. Jud. XVII. 7 - 9. XIX. 1. 2. Ruth. I. 1. 1 Sam. XVII. 12. Egregie quoque hoc modo præter locum natalem Messiæ simul innuitur *Tribus*, e qua debebat nasci, scilicet *Tribus Juda*. ב) Secunda difficultas, quum positivus צָעִיר, apud Matthæum mutatur in superlativum ἐλαχίστη admodum levis est. Quum enim Hebræi superlativo careant, exprimere illum non raro solent per adjectivum regens ablativum cum præpositione ב, ut h. l. צָעִיר בְּאַלְפֵי *parvus in millibus* est *minimus millium*. Cant. I. 8. Jer. XLIX. 15. Jos. XIV. 15.

§. IV.

Majoris momenti ג) illa mutatio est, Michææ verbis, ut videtur, illata, quando scilicet apud Matthæum *negative* effertur, quod *affirmatur* apud Michæam. *Hic* minima esse asseritur Bethlehem in Millibus Juda; *ibi* vero negatur, quod minima sit, nec simpliciter tantum, sed cum emphasi οὐδαμῶς - *nullo modo es minima*. Dabimus ergo 1) Conciliationes spu-

rias

rias & ex parte etiam periculosas; 2) verisimiliores & magis innoxias, & 3) denique veram ac genuinam.

§. V.

I) Inter *spurias & periculosas* solutiones numeramus illas, quæ fontem hebræum *corruptionis* arguunt; qualis est a) illa, quam *Anonymus* quidam, cujus Epistolam *Criticae* suæ *Sacrae* subjunxit LUD. CAPPELLUS, temere conjectat, pro צָעִיר לִהְיוֹת olim scriptum fuisse צָעִיר לוֹ הָיִת *minima non est*; לוֹ enim non raro poni pro לֹא syrorum more, הָיִת autem cum simplici Jod legi etiam 2 Sam. X. 11. XV. 33. Hanc vero genuinam lectionem mutatam postea fuisse in צָעִיר לִהְיוֹת, transposita litera Vav in medium verbum הָיִת: Matthæum itaque illam in versione sua restituisse. Sed merito violentum hoc remedium respuerunt Viri, Verbi divini reverentiores: e. g. BUXTORFIUS *in Anti Critica* sua & FRISCHMUTHUS *in Dissert. de Harmonia Michaeae & Matthaei Cap. I. §. 3. 5.* Æque violenta est b) Conciliatio illa, quam NORT. KNACHTBULLUS excogitavit, pro צָעִיר contendens legendum esse צָעוּר, quod significet, *cum pompa*, (tu Bethlehem,) *progredere*. Solide confutavit eam GOD. OLEARIUS *in Observ. SS. in Matthaeum p. 50.* Uti nec c) temere quisquam largietur WHISTONO, Textum hebræum Michææ data opera a Judæis Sec. II. post C. N. ex odio Christianismi corruptum fuisse, adeoque ex Matthæo restitui debere.

§. VI.

Missis igitur hisce 2) ad alias progredimur *verisimiliores & minus noxias*; hucque pertinet a) ED. POCOCKII sententia, qui in *Not. Misc. cap. 2. p. 19.* Michæam & Matthæum optime conciliari posse existimat, si vox צָעִיר inter ἐναντιόσημα h. e. *vocabula contrarios significatus sustinentia*, referatur. Persuadere id conatur α) ex eo, quod omnibus Linguis perquam familiare sit, ut voces eædem diversos, immo e diametro sibi oppositos, significatus sustineant, quemadmodum e. g. *Altum* apud Latinos æque de *supra & infra* nos positis usurpetur, *hoch und tief*; apud Græcos καθαρίζειν de *pollutionibus* æque ac *consecrationibus*; apud Hebræos בָּרַךְ de *benedictione & maledictione*, חֶסֶד de *pietate & impietate*; per ἀντίφρασιν scilicet, de qua figura videatur GLASSIUS *in Phil. S. p. 1506 seqq. Edit. Nov. Arabum* præsertim linguam

linguam hujusmodi exemplis abundare asserit [e]). β) Vocabulum צָעִיר ejusdem indolis esse, א) suffragiis quorundam e Magistris Judæorum confirmat, nimirum R. EBN JANNACHI, qui in *L. Radicum* צָעִיר ut *parvum*, ita & *magnum* seu *excellens* significare dicat; nec non R. TANCHUMI, qui postquam dixisset, exponi a nonnullis verba Michææ, quasi ad contemtum urbis Bethlehemiticæ spectarent, quæ minor videretur quam ut imperio sit idonea; addit: צָעִיר rectius exponitur *princeps, illustris, primaria* Quin ב) & diserta exstare loca Scripturæ cum TANCHUMO existimat, in quibus צָעִיר non *parvum*, sed *principem* aperte significet, e. g. Jer. XLVIII. 4. & Zach. XIII. 7. Placuit hoc inventum HOTTINGERO *in Smegm. Orient. p. 73.* FRISCHMUTHO *in Diss. cit. cap. I. §§. 14 - 19.* MILLIO *in Not. ad h. l.* HAMMONDO *ad h. l.* FABRICIO *in Cod. Apocr. N. T. P. I. p. 114.* JO. FRID. SCHERERO, Philologo Argentinensi *in Diss. in h. l.* & PFAFFIO in *Diss. de Var. Lect. N. T. p. 197.* qui vero *in Notis ad Matth. p. 69.* hanc sententiam rursus deseruit. *Pocockio* ex professo se opposuerunt GUSSETIUS *in Lex. p. 719.* & OLEARIUS *l. c. p. 50. seq.* qui posterior א) recte contra eum urget communiorem vocis צָעִיר significatum in S. S. obvium, ubi semper *parvum* aut *exiguum* denotet. ב) Negat loca citata probare, quod probare de-

e) Non dicamus hoc loco de *Antiphrasi* in genere, cum nomine rei contrarium seu oppositum ejus, quod res est exprimitur. VOSSIUS *in Instit. Orat. L. IV. cap. 13. p. 219.* ait: Omnes Grammaticorum Antiphrases plane sunt nugales. Et QUINTILIANUS jam satis aperte easdem perstrinxit *in Inst. Orat. L. I. cap. 6. §. 34.* Adde SCHWARZII *Diss. de Fatis vocum quarundam p. 22. seqq.* Quod vero ad ipsa ista vocabula ἐναντιόσημα spectat, quorum significatus etiam *antiphrasticus* dicitur; equidem miror, potuisse unquam Grammaticos in istam sententiam descendere. Ipsa ratio, si tale quid occurrere videatur, omnia prius tentare nos jubet, quam credamus, opposita unquam homines eodem nomine insignire potuisse. Cum Lingua Hebr. præ reliquis ἐναντιοσήμοις his abundare censeatur, de quo GLASSIUS *l. c.* Laudabili prorsus opera SIMONIS *in Lex. suo Hebr.* ejusmodi significatus antiphrasticos eliminavit, monstravitque, sive a) significatum radicis primum, sæpe vero e Dialectis petendum, nonnunquam forte plane deperditum, esse tam generalem, ut, qui oppositi videntur, tanquam speciales & coordinati æque sub eo stare possint; quo etiam illæ voces omnes, quæ *medii* dicuntur significatus, pertinent: sive b) radices secundum elementa cognatas, significatione vero diversissimas, uti formas, sic etiam significatus miscuisse: sive c) pro vario ejusdem rei respectu varium quoque, immo oppositum vocis significatum esse posse. Vid. *Ejus Introd. in Ling. Hebr. p. 19.* & *Arcanum Form. pag. 16.* & *112. Hoch und Tief* non sunt ejusdem vocis *altus* significatus oppositi; sed ejusdem spatii eadem dimensio varie exprimitur, pro varia statione, ex qua illud intueris. καθαρίζειν proprie est *purgare*, deinceps purgandi sui causa *oblationem dare*, sive aliquid *consecrare*; sed qui purgatione eget, *pollutus sit* oportet. Est itaque in his Metonymia Anteced. & Conseq. non vero eadem vox per se res oppositas designat.

debeant, cum uterque de *parvulis* commode exponi possit. γ) Solide monet, quod Evangelistæ simplicitati minime convenire videatur, cum in textu, quem exprimit, inveniſſet *Princeps es in Millibus Judae* vertere ὀδαμῶς ἐλαχίστη εἶ, quodque ista vox ἐλαχίστη manifeste nimis receptissimum illum vocis צָעִיר significatum respiciat.

§. VII.

b) Alii proinde, hoc vocabulum in significatu suo ordinario relinquentes, statuunt, צָעִיר h. l. *adverbialiter* sumendum esse, vel saltim *neutraliter;* apud Hebræos enim nomina *adjectiva* sæpe pro *adverbiis* poni, quando cum verbis construuntur, eosque, quia *neutro* genere carent, pro vocibus neutralibus uti nominibus *femininis*, quandoque etiam *masculinis*, etsi rarius, uti h. l. quo pacto sensus hic foret: *Parum* est, vel *exiguum est, ut sis* &c. Videtur etiam hæc interpretatio probari posse α) ex verbis Prophetæ, quia צָעִיר est masculinum; subjectum vero antecedens *Bethlehem*, ut omnia urbium nomina, femininum, cui respondere debeat צְעִירָה, non צָעִיר: Cum vero צָעִיר dicatur, omnino vox hæc non ad urbem Bethlehem, sed ad sequens לִהְיוֹת בְּאַלְפֵי יְהוּדָה referenda videtur, adverbialiter vel neutraliter. β) Ex cohærentia, quia alias non cohærent inter se: *parvula es, ut sis* &c. & *ex te egredietur, ut sit Dominator* &c. Cum enim posterius membrum sit ratio prioris, nullus hoc modo dabitur nexus. Primus hanc conciliationem adinvenisse dicitur ANDR. OSIANDER *L. I. Harm. Ev. Cap. 10.* Sed LUTHERUS jam *Tom. IV. Jenensi fol. 558.* de illa, ut nota, loquitur; quod ad Grammaticam attinet, inquiens, non displicet, quod verbum צָעִיר exponitur *adverbialiter*, pro *parum*, ut conveniat hæc sententia cum Evangelista, qui dicit, *neutiquam es minima inter principes Juda:* Erit autem sic reddendus textus: *Parum est, ut sis inter Millenos Juda.* Quin & illa interpretatio, qua צָעִיר pro adjectivo neutro habetur, & *parvum est* notat, illi non incognita fuit, *l. c.* Hos Antesignanos postea magno numero secuti sunt Interpretes, JOH. FORSTERUS *Lex. Hebr. p. 708.* LUD. DE DIEU *in Crit. S. p. 317.* LIGHTFOOT *in Hor. Hebr. ad Matth.* ABR. SCULTETUS *in Exercc. Evang. L. I. cap. 57.* THEOD. HACKSPANIUS *in Not. Philol. theol. T. II. p. 1001.* AUG. PFEIFFERUS *in Dub. Vex. Loc. XCI.* SEB. SCHMIDIUS *in Vers.* CAR. *le* CENE *in Projecto novae Vers. Gall. Bibl. p. 165.* JOH. REINH. RUSIUS *in Harm. Ev. T. I. p. 249.* ζ) conf. FRISCHMUTHUS *Diss. cit. Cap. I. §. 7. seq.*

§. VIII.

ζ) Addi his quam maxime meretur JOH. RUD. OSIANDER *in Dissert. de Messia Bethlehemae nascituro, Tub. 1722. p. 9.*

§. VIII.

Etsi vero sua se specie commendet hæc sententia, est tamen in ea, quod assensum morari possit: א) Enim *parum est* ab Hebræis non exprimi solet per צָעִיר, sed per מְעַט Gen. XXX. 15. vel נָקֵל Jes. XLIX. 6. צָעִיר vero & fœmininum צְעִירָה semper *parvulum* notat, vel ætate vel dignitate, quæ ratio etiam valet, si vel maxime non adverbialiter, sed adjective sumatur τὸ צָעִיר. ב) Si hoc voluisset Propheta, mirum sane foret, neque LXX. neque Paraphrasten Chaldæum, neque ullum alium Interpretem, sive Judæum, sive Christianum, id vidisse; omnes enim τὸ צָעִיר ad Bethlehemum referunt, non ad seqq. ג) Si צָעִיר notat *parum est*, nullum omnino usum habet præfixum ל in לִהְיוֹת: neque ד) obstat, quod צָעִיר sit generis masculini, *Bethlehem* vero fœminini, adeoque illud adjectivum non queat ad hoc nomen referri; respicit enim masculinum צָעִיר implicite ad אַלְפֵי יְהוּדָה, quibus comparatur Bethlehemum. Vid. BENGELIUS *in Gnom. ad h. l.* & FRISCHMUTHUS *l. c. §. 2.* HILLERUS *in Onom. p. 462.* subaudit nomen אִישׁ *Vir S. Civis.* ה) Certum est, Matthæum non sic intellexisse locum Michææ, cum צָעִיר non verterit ἐλάχιστον, sed ἐλαχίστη.

§. IX.

c) Novam itaque alii excogitarunt conciliationem, Textum pronunciatione juvandum, & adjectivum צָעִיר subaudita littera ה, *interrogationis* nota, explicandum censentes, ut sensus sit: *Et Tu Bethlehem Ephrata,* הֲצָעִיר לִהְיוֹת *Tune parvula es?* h. e. parva nimis, quæ numereris in Chiliadibus Judæ? *Nequaquam; ex Te enim egredietur* &c. Certum est, hoc modo optime convenire Matthæo cum Michæa, unde & Eruditi hanc expositionem certatim amplexi sunt. e. g. LUD. VIVES, ISID. CLARIUS, CORN. JANSENIUS, DRUSIUS, RIBERA, COCCEJUS, GROTIUS, SPANHEMIUS, MARCKIUS, SURENHUSIUS, COLOMESIUS, GLASSIUS, CALOVIUS, JOH. TARNOVIUS, DANNHAUERUS, DANZIUS, WOLFIUS, OLEARIUS, THEOPH. ALETHÆUS, C. S. GEORGII, Prof. Vitemb. & alii. Rationes pro hac sententia sunt sequentes: α) Quia non desunt loca, ubi pariter deficit ה *interrogativum*, & tamen subaudiri debet. e. g. Gen. XXVII. 24. 2 Sam. XVIII. 29. coll. 32. 1 Reg. XXI. 7. Hiob XLI. 1. (aliis XL. 20.) Zach. VIII. 6. Jam vero interrogatio æquipollet negationi: Quid mirum itaque, Evangelistam directe negationem eloqui, quam per interrogationem insinuarat Propheta? β) Quia vestigia haud contemnenda super-

sunt, versionem LXX. quæ nunc habet ὀλιγοστὸς εἶ, primitus habuisse μὴ ὀλιγοστὸς εἶ, adeoque interrogationem Prophetæ directa negatione expressisse: א) enim HIERONYMUM meminisse *Codicum* istius versionis, in quibus enunciatio negativa æque reperiatur ac apud Matthæum; quin ב) in Cod. Barbarini Card. antiquo & bonæ notæ, nec non in Cod. quodam Bibliothecæ Augustanæ eandem lectionem hodienum reperiri. Unde & ג) *Patres* haud pauci, CYPRIANUS, TERTULLIANUS, ORIGENES, CHRYSOSTOMUS & AUGUSTINUS dictum hoc negative exprimant, intelligentes nimirum, non modo Prophetam interrogando fortius negasse, sed etiam LXX. particulam μὴ, ut notam interrogationis, adhibuisse, quo sensu & alibi occurrat in N. T. e. g. Matth. VII. 9. 10. IX. 15. Luc. XVII. 9. Joh. IV. 4. VI. 67. VII. 47. 52. 53. IX. 27. 40. X. 21. XVIII. 17. 25. &c. Quæ omnia sane haud sine specie dicuntur. Additur etiam γ) argumentum ex eo, quod ex altera parte gratis supponi videatur, urbem Bethlehem, tempore Michææ Prophetæ, pro minima habitam fuisse ἐν τοῖς χιλιάσιν Ἰούδα, cum illa potius *maximis Principibus* natales dederit, & eorum auspiciis haud dubie insigniter aucta fuerit.

§. X.

Atque sic dedisse me puto hanc sententiam omnibus suis præsidiis munitam; neque tamen vel sic assensum mihi extorquet. δ) Enim, licet in hebræo Interrogationes quandoque lateant, & ex sensu tantum eliciendæ sint, ut locis supra citatis; non tamen statuendæ sunt, nisi urgente summa necessitate, h. e. ubi absque illis sensus plane absurdus emergeret: hic vero non ita nos in angustias redactos esse, mox patebit. β) Si verba Prophetæ, omisso etiam interrogationis signo, interrogative sunt accipienda; mirum sane est, nullum Interpretum, neque Chaldæum, neque Græcum, neque Syrum (de hoc enim ipse id negat OLEARIUS *l. c. p. 49.*) neque latinum id expressisse: Quos enim RIBEIRA Codices Isidori Hispalensis Gothicos, & Biblia Gothica antiquissima in partes vocat, rem non conficiunt. γ) *Accentus* quoque in oratione Michææ nullam interrogationem requirere, BURCKIUS observavit *in Gnom. ad h. l.* δ) Quod de primigenia lectione LXX. μὴ ὀλιγοστὸς εἶ affert OLEARIUS, & de allegationibus Patrum, lubricum valde est. א) Enim major vis probandi inesset huic argumento, si & Codices, quos HIERONYMUS innuit, & *Patres* dictum hoc allegantes, in eo conspirarent, ut omnes haberent μὴ ὀλιγοστὸς: cum vero pro μὴ quidam habeant οὐκ, quod nunquam interrogandi signum est, quivis facile videt, nil inde certi colligi posse. ב)

Quod

Quod ad *Patres* speciatim attinet, allegationes isti suas forte inflexere modo ad verba Matthæi, ut textus hebr. Michææ & græcus τῶν LXX. melius cum iis conspiraret: quod si factum esse, vel saltim fieri potuisse concedatur, temere asseritur, eos suum μὴ vel ἐκ ex LXX. hausisse. Taceo, multos alios Patrum, diversitatem agnoscere inter enunciationem Michææ & Matthæi. Nec ε) deest, quod respondeatur ad argumentum tertium, scil. nulla ratione dici posse, quod Bethlehemum, Michææ temporibus, fuerit urbs Judææ ignobilissima; hicque ϛ) non quidem provocamus ad id, quod Jos. XV. Bethlehemum, cum terra Canaan distribueretur, ne in urbibus quidem habita fuerit, quia inter reliquas urbes nulla ejus mentio fit: Adhuc enim sub judice lis est, an non genuina sint ista verba, quæ Exemplaria quædam Versionis LXX. inter v. 58. & 59. exhibent: Θεκὼ, καὶ Ἐφραθὰ, αὕτη ἐστὶ Βηθλεέμ. Licet negativa sit probabilior, quia Textus hebræus illa non agnoscit. Fatemur etiam ζ) fieri potuisse, ut tanquam urbs patria Davidis, ejusque natalibus quasi nobilitata, a Regibus subsecutis incrementa quædam ceperit, quale quid de Rehabeami regno narratur 2 Chron. II. 5. 6. ubi Judææ urbes, quas inter Bethlehem *prima* numeratur, ædificasse & munivisse dicitur. Inde vero η) non sequitur, *nullo modo parvam* appellari illam potuisse tempore Michææ; potuit sane in comparatione cum reliquis urbibus Judææ e. g. cum Hierosolyma, *filia Zionis*, Cap. IV. 13. & magis adhuc cum *filia turmae* s. Babyloniis, de qua Mich. IV. 14. sermo erat. Sit ita, creverit Bethlehemum sub Regibus ex illa oriundis; non tamen protulit cives tanto numero, ut potuerint illi inter Millia Judæ censeri aliquo loco numerove spectabili. Vid. BURCKIUS *ad h. l.* Certe Joh. VII. 42. adhuc κώμη, *Vicus, ein Marktflecken*, nominatur, h. e. *oppidulum*, quemadmodum & LXX. עִיר quandoque verterunt κώμη, ut adeo κώμη h. l. temperet quasi nomenclaturam πόλις Δαυὶδ Luc. II. 4. coll. Jud. XVII. 8.

§. XI.

Sub Examen hucusque vocavimus varias Eruditorum sententias, quibus Michæam & Matthæum conciliare satagunt; quidque in unaquaque illarum desiderari queat, ostendimus. Nunc & danda est 3) quæ nostro judicio palmam reliquis præripit. a) Scilicet in memoriam revocanda sunt, quæ supra loco solutionis generalis annotavimus: Quod nimirum Evangelistæ & Apostoli in Allegationibus suis *sensui* magis, quam

verbis inhæserint, & verba sæpe mutaverint, eo fine, ut ne *Interpretes* tantum ac meri *Translatores*, sed etiam *Exegetae* simul essent, & ipsa eorum versio claritatem N. T. referret. Plane nostra facimus cogitata VITRINGÆ *ad Jes. LXIV. 4.* Allegationem istius dicti Paulinam 1 Cor. II. 9. ubi inquit: Paulus hoc dictum Prophetæ citans, non transcripsit illud *grammatice*, sed *paraphrastice*, sive *allegando interpretatus* est, *sensum* ejus sectatus, minus presse inhærens *verbis*, ut sæpe alias: Quem allegandi modum magni Apostoli, ab eodem Spiritu acti, *rebus*, non *verbis*, intenti, non opus est hic componere cum more allegandi dicta S. S. corruptæ Scholæ Judaicæ (his verbis *Surenhusium* pungit) quæ etiam nihil hic singulare habet; est enim mos omnibus Scriptoribus receptus.

§. XII.

His, fundamenti loco, præstructis b) merito nobis concedi postulamus, sensum, quem Matthæi referunt verba, Michææ quoque verbis revera inesse. Quamvis enim Propheta in primo commatis membro dicat, Bethlehem *parvam* nimis, h. e. ratione magnitudinis & ambitus sui, splendoris, opulentiæ ac numeri civium nimis exiguam esse, quam ut digna videri queat, quæ inter millia Judæ referatur; mox tamen in altero subjicit singularem hanc illius prærogativam: *Ex Te mihi egredietur Dux populi mei*; eoque ipso, vi oppositi, indicat, eandem Bethlehem, privilegio Nativitatis Messiæ, fore *maximam*, & omnibus reliquis Judææ urbibus illustriorem. Unde jam c) sponte consequitur, *non negare* Evangelistam, quod Propheta *expresse posuerat*, sed *exprimere* saltim, quod ille *obscure* significaverat, nec proinde ullam esse inter utrumque discordiam, cum *ille* Bethlehem *minimam* dixerit ratione status sui externi coram mundo; *hic* vero *nullo modo minimam* propter maximam gloriam nativitatis Christi, qua dignatus sit illam Deus. Ita optime BELLARMINUS *in Recognitione* Libb. Controvv. præmissa, mutata scilicet sententia, quam *L. II. cap. 12. de Verbo Dei* amplexus erat, ubi interrogative verba sumenda esse statuit.

§. XIII.

Inivere etiam hanc conciliandi viam CHRYSOSTOMUS, THEOPHYLACTUS, LYRANUS, ESTIUS, SANCTIUS, GUSSETIUS, MICHAELIS *in Bibl. Hebr. Hal.* aliique. Evangelista, inquit GUSSETIUS *Lex. Hebr. p. 920. magnam* prædicat urbem, sed nonnisi ob istam Nativitatem, quare pariter sup-

ſupponit illam *parvam per ſe*, & nonniſi dignitate ſuperaddita magnam eſſe. Eadem ergo mens eſt Evangeliſtæ & Prophetæ; differunt tantum declarandi modo. Idem quoque eſt ſignificatus צָעִיר, ut *parvum* notet, ſed parvitas *diverſo reſpectu* affirmatur ac negatur, ac proinde abſque contradictione. Huc etiam tendunt cogitata CARPZOVII *in Crit. S. p. 859. ſq.* *Michaeas*, inquientis, Bethlehemum ratione amplitudinis, formæ externæ & ædificiorum *exiguam* dicit, cæterisque Judææ urbibus non æquiparandam: *Matthaeus* vero, NB. *Complementum vaticinii* exponens, Bethlehemi decus ac ſplendorem omnes reliquas, & vel principes Judææ urbes, nato ibidem Soſpitatore Mundi, longe ſuperare docet, eo nimirum ſenſu, quo *Haggaeus* Cap. II. 10. gloriam templi poſterioris ſplendorem ac magnificentiam prioris longe ſuperaturam prædicit. *conf. p. 891. ſq.*

§. XIV.

Excipi poſſet: Sic quidem Bethlehem recte vocari *minimam* & *non-minimam;* difficultatem tamen ſemper manere, quomodo dici poſſit ab Evangeliſta, ſcriptum eſſe apud Prophetam, quod ſcriptum apud eum non reperitur? Sed R. explicite & ἀυτολεξεὶ quidem enunciationem Prophetæ non eſſe *negativam*, uti Evangeliſtæ; nec Evangeliſtæ *affirmativam*, uti Prophetæ: interim ſi in membro poſteriore ſubintelligatur particula adverſativa כִּי אִם, vel ſimilis alia, ſenſum utrobique eundem eſſe, h. m. Et Tu Bethlehem Juda parva (ſcilicet videris vel haberis) ut ſis in Millibus Juda; ex Te *tamen* egredietur mihi &c. hoc eſt, *minime parva es*, quia ex te prodibit Meſſias. Exempla Adverſativæ illius omiſſæ multa adduci poſſunt e S. S. e. g. Pſ. CXIX. 141. 157. Joh. IX. 30. Conſenſus KIMCHII & ABARBANELIS videatur apud FRISCHMUTHUM *in Diſſ. cit. Cap. I. §. 11. 12.* Hæc expoſitio mihi videtur omnium maxime nativa, & talis, in qua tuto liceat acquieſcere.

§. XV.

Pergimus ר) ad quartam mutationem, quando ſcilicet Michæas habet בְּאַלְפֵי יְהוּדָה *in Millibus Judae*, Matthæus vero ἐν ἡγεμόσιν Ἰούδα *inter Principes Judae.* Videri ſane hic poſſent LXX. felicius vertiſſe, quam Matthæus. Vertunt enim ἐν χιλιάσιν Ἰούδα. Jam vero אֶלֶף, nomen ſex puncto-

punctorum, proprie χιλιάδα notat, אַלּוּף vero *Ducem*. Sunt 1) quibus Matthæus apud Michæam legisse videtur אַלְפֵי, quod ἡγεμόνας *Chiliarchas* significet; non אַלְפֵי S. *Chiliadas*, uti hodie legatur, & LXX. legerint; frequentem enim esse ellipsin τοῦ *Vav*. Ita CAMERO *ad h. l.* vel אַלְפֵי, uti GROTIUS vult, littera *Vav* euphoniæ ergo in Kübbuz mutata; quod cum sit vocalis, & Judæi plerumque Codicibus, nullis vocalibus instructis, uti soleant, pro אַלְפֵי facile Matthæus legere potuerit אַלְפֵי. Vid. SURENHUSIUS *p. 174*. Sed temere hoc modo vel Matthæo παρόραμα in legendo, vel Textui sacro corruptio assingitur. Unde 2) alii confugiunt ad ambiguitatem vocis אֶלֶף, ut quæ significet non *Chiliadem* modo, sed etiam eum, qui *Chiliadi praeest*. Ornavit hanc sententiam KEUCHENIUS *in Annot. ad N. T. p. 8. sq.* laudante ipsum Wolfio *in Curis p. 35*. Viam præivere CORN. à LAPIDE *in Comm. ad h. l.* & LUD. *de* DIEU *in* POLO *ad Matth.* II. 6. *p. 53*. *Ille* generatim eo provocat, quod voces regimen & dominium exprimentes, Rabbinis & Scriptoribus sacris non tantum imperium ipsum, sed etiam eum, qui imperio præest, denotent; idque dein probare satagit exemplo vocabuli Rabbinici אַרְכִי, quod idem est cum græco ἀρχὴ, & *principem* æque ac *principatum* designat; item hebr. שֵׁבֶט quod *tribum* significet 2 Sam. VII. 7. in loco parallelo vero 1 Chron. XVII. (germ. XVIII. 6. exponatur per שֹׁפֵט *judicem*; concludens hinc: Cum שֵׁבֶט non modo *tribum*, sed etiam *judicem* seu tribus Præfectum, notet, idemque obtineat in aliis vocibus, quæ ad Regimen spectant; cur idem de voce אֶלֶף dicere gravabimur? *Hic* vero speciosius adhuc allegat locum Ps. VIII. 8. ubi אֲלָפִים, quod est pluralis τοῦ אֶלֶף, *boves* notet, cum tamen alias אַלּוּף proprie *bovem* significet, uti & *Ductorem* seu *Principem*: quo jure ergo *cit. loco* אֲלָפִים per *boves* interpretari liceat, eodem & licere hoc loco per אַלְפֵי יְהוּדָה intelligere *Principes Judae*.

§. XVI.

Ac sane lubens & ego in hanc sententiam concederem, si modo locus e V. T. produci posset, in quo אֶלֶף *Principem* necessario designaret. Cum vero אֶלֶף & אַלּוּף revera distincta sint apud Hebræos nomina, & illud semper *Chiliadem* notet, hoc vero *Chiliarcham*; & Scriptura, cum de Ducibus χιλιάδων loquitur, eos distincte שָׂרֵי אֲלָפִים appellet e. g. Ex. XVIII. 25. Unde & LXX. diversimode reddunt illas voces, dum אֶלֶף illis

illis est χίλιοι, χίλιας, μύριοι; אלוף autem ἡγούμενος, ἡγεμών, χιλίαρχος: tutius hactenus 3) subsistitur in eo, quod Matthæus pro χιλιάσιν dicat ἡγεμόσιν, per *Synecdochen* partis potioris pro toto; vel, uti alii rem exprimunt, per *Metonymiam* subjecti pro adjuncto. (vid. GLASSIUS p. 1470.) Nimirum populus judaicus inde à Mosis tempore distributus erat in *Centurias* & *Chiliadas*, quibus præfecti erant *Centuriones* & *Chiliarchae*. Vid. Exod. XVIII. 21. & de Chiliadibus in specie Jud. VI. 15. 1 Sam. X. 19. (sec. text. hebr.) Erant ergo hæc duo, *Chilias* & *Chiliarcha*, θετικὰ, mutuo se ponentia & tollentia, ita ut Chilias *parva* nonnisi Chiliarcham parvum habere potuerit; adeoque Bethlehemum, quod vix Chiliada producere poterat, Chiliarcham quoque habuerit reliquis, plures Chiliadas regentibus, inferiorem. Quis igitur ægre ferat, Matthæum pro χιλιάσι, quod est apud Prophetam, posuisse ἡγεμόσι? cum præsertim scopo illius hoc fuerit convenientius; non enim Propheta & Evangelista Chiliada Chiliadibus, sed Ducem e Bethlehem egressum cunctis reliquarum Judæ Chiliadum Ducibus anteponunt: Consequenter & his in verbis Matthæus Exegetam potius agit verborum Michæ, quam Translatorem.

§. XVII.

Supereſt ה) illa mutatio, quam Michææ verba à Matthæo passa videntur, cum pro verbis יֵצֵא לִהְיוֹת מוֹשֵׁל *egredietur, ut sit dominator* habet ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ *egredietur Dux, qui pascet.* Verum & hic utrinque idem est sensus: 1) Enim *subjectum egrediens*, quod Michæas prædicato involvit verbis לִהְיוֹת מוֹשֵׁל, recte Matthæus expressit per ἡγούμενος. Licet enim LXX. vertant per ἄρχοντα; iidem tamen מוֹשֵׁל alibi ἡγούμενος reddunt. 2) Quam per ἐπεξήγησιν Matthæus subjungit ὅστις ποιμανεῖ; verbis hisce declarat a) quo sensu Messiam מוֹשֵׁל vocaverit Propheta, & *qualis* ei *dominatio* tribuenda sit, scilicet non politica, sed *pastoralis*; non violenta, sed *suavis* & *utilis* iis, quibus esset imperaturus: verbum hebræum enim *durum* quoque & *tyrannicum* imperium denotat Ps. CVI. 41. Jud. XIV. 4. Jes. XLIX. 7. Unde & Gentiles, bonos Reges descripturi, ποιμένας λαῶν vocarunt eos e. g. *Homerus* Agamemnonem Il. α. *conf.* RAPHELII *Notas Xenoph. p. 6.* &

THEOPH. ALETHÆUM *T. II. p. 103. not. f.* b) id vel maxime obſervandum eſt, quod Matthæus verbo ποιμανεῖ reſpiciat v. 4. Michææ, ubi LXX. eodem verbo utuntur. Non ergo eſt, cur anxie inquiramus, unde Evangeliſta hoc additamentum habeat. KEUCHENIO aluſiſſe inſuper videtur ad locum 2 Sam. V. 2. ubi LXX. habent: Σὺ ποιμανεῖς τὸν λαόν μȣ τὸν Ἰσραὴλ, καὶ σὺ ἔσῃ εἰς ἡγούμενον ἐπὶ γαόν μȣ Ἰσραήλ.

§. XVIII.

Diſcuſſis jam potioribus dubiis circa Allegatum noſtrum, paucis, quæ reſtant, expediri poterunt. Nimirum uti mutando, ita etiam 2) *Omittendo* ſive *demendo* peccaſſe videtur Matthæus. a) Enim Propheta habet מִמְּךָ לִי יֵצֵא Ex te *mihi* egredietur, quod pronomen emphaticum etiam LXX. expreſſerunt, ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται: Matthæus autem omiſit. Nolim hic α) provocare ad *Codices* quosdam, qui τὸ μοὶ habeant, quosque dabit BENGELIUS *in App. Crit.* ſunt enim pauci, nec optimi, ita ut omnino videatur hoc pronomen ex Micha in eos illatum fuiſſe. Nolim etiam β) eapropter à Matthæo omiſſum dicere, quia per *Pleonaſmum* quandoque ponatur particula לִי. e. g. Num. XXII. 34. quem locum FRISCHMUTHUS allegat *Diſſ. cit. cap. 2. §. 2.* Omnino enim in hoc loco ἔμφασιν habet, & א) vel Deus Pater, in hoc oraculo loquens, Meſſiam illa, ut Filium *ſuum ſibi* aſſerit; nec de nihilo eſt, cum aliqui, e. g. MARCKIUS *in Comm. ad h. l. pag. 560.* b. huc conferunt loca, in quibus filii *Patribus ſuis* naſci dicuntur, Gen. XXI. 2. XXIV. 24. &c. vel ב) hoc quaſi *Dativo commodi* utitur, ut innuat quoque, magnas *ſibi* eſſe deſtinationes, quas *in* hoc ſuo filio & *per* ipſum exſecuturus ſit. Præſtat ergo γ) dicere, quia quæſtio tantum erat de *loco natali Meſſiae*, reliquæ Textus prophetici circumſtantiæ non quidem poterant *negari*, ſed *praetermitti* tamen, ut nos ſæpe ex Auctorum Scriptis illa tantum edecumamus, quæ ad inſtitutum noſtrum pertinent: Sive enim τὸ לִי exprimatur, ſive omittatur, res eodem redit, & Meſſiæ nativitas urbi Bethlehemo aſſeritur. Taceo, Matthæum hanc particulam reſarcire quaſi per additum λαόν μȣ; *Deo* enim natus eſt, qui populum *Dei* paſcit ac regit. b) Ægre quis etiam ferre poſſit, in Textu Matthæi omiſſa eſſe illam

illam

lustria Prophetæ verba: *Et egressus ejus ab initio, a diebus Seculi.* Sunt, qui Scribas hanc particulam vaticinii truncasse censent, vel quod Herodes, rerum hebraicarum imperitus, non posset capere, vel quod ipsi non intelligerent momentum ejus. Verum probabilius videtur, quandoquidem de loco tantum nativitatis quæstio erat, ea, quæ ad illam haud magnopere pertinebant, personæ saltim descriptionem continentia, fuisse omissa.

§. XIX.

Restant 3) *Additiones* à Matthæo factæ. Addit scilicet a) particulam γὰρ, ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται, cum tamen nec LXX. illam habeant, nec in Textu hebr. illi quicquam respondeat. R. α) Matthæus connexionem ostendere voluit, cur Bethlehem non sit censenda minima, *quia* nimirum ex ea proditurus esset & actu prodierit Messias; β) apud Michæam post verba: *Et Tu Bethlehem Ephrata minima es inter Millia Judae* subaudienda est particula adversativa, *Enimvero* ex Te mihi egredietur &c. Cum autem Matthæus dixisset: *Non es minima*, non potuit non sequentia his subnectere per particulam ætiologicam γάρ. b) Quod Matthæus subjecto *Israël* addit τὸν λαόν μου, itidem sensum non mutat, sed explicat: implicite enim hoc prædicatum jam continetur in subjecto *Israël*, & explicite passim apud Prophetas reperitur. Immo supra jam monuimus, Matthæum hic forte λαόν μου addidisse, ut sarciret omissionem particulæ לִי.

§. XX.

Dedimus hucusque Vindicias *Allegationis* à Matthæo factæ. Jam & vindicanda esset II. *Applicatio* hujus oraculi in *Thesi* ad Messiam, & in *Hypothesi* ad Jesum Nazarenum. GROTIUS enim frigidam hic suffundit Judæis, de *Zorobabele* exponens hoc oraculum, qui tamen haud natus erat Bethlehemi, immo ne in Judæa quidem, sed in *Babel*, & longe inferior est magnificis istis prædicatis, quibus subjectum hujus oraculi ornatur. Unde & Magistri Judæorum haud pauci in Thesi saltim ad Messiam applicant, e. g. JONATHAN, Paraphrastes

phraſtes Chaldæus, qui loco מָשִׁיחַ *Meſſiam* ſubſtituit. *Ex Te coram me egredietur Meſſias;* R. SALOMO, cujus hæc eſt Gloſſa: *Ex Te mihi egredietur Meſſias, filius David;* R. KIMCHI, etſi in hypotheſi ſtrenue neget, pertinere hoc dictum ad Jeſum Nazarenum, addit tamen: *Et hic eſt Rex Meſſias, qui de ſemine David natus egreſſurus eſt.* Plures dabit PET. GALATINUS *de Arc. Cath. Ver. L. IV. cap. 13.* Cum vero hæc magis ad ſphæram exegeticam ſpectent, ablegamns Lectores ad CALOVIUM *in Bibl. Illuſt.* & ad SPANHEMIUM *in Dub. Evang.* qui plenis cyathis iſta propinabunt. g)

g) In nervo rem exhibet S. R. D. LILIENTHAL l. c. p. 901. ſqq.

III. AL-

III. ALLEGATUM.

MATTH. II. 15.

Καὶ ἦν ἐκεῖ ἕως τῆς τελευτῆς Ἡρώδου· ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ Κυρίου διὰ τοῦ προφήτου, λέγοντος, Ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου.

HOS. XI. 1.

מִמִּצְרַיִם קָרָאתִי לִבְנִי׃

VERSIO LXX.

Καὶ ἐξ Αἰγύπτου μετεκάλεσα τὰ τέκνα αὐτοῦ.

§. I.

Diſpiciendum hic eſt I. *Unde* Matthæus hoc teſtimonium depromſerit, & num revera Hoſeas, cujus locum appoſuimus, ſit ille *Propheta*, cujus verba excitaverit Evangeliſta, tanquam prædicentia id, quod ille ut factum narrat. Deinceps II. videndum eſt, num recte ad Chriſtum *applicaverit* hæc Prophetæ verba Matthæus.

§. II.

Ad I. quod ſpectat, 1) plane non audiendus eſt WHISTONUS, quando *in Conatu* ſuo *reſtituendi genuinum Text. V. T. p. 91.* temere conjectat, citari a Matthæo verba Dei Jeſ. XLI. 8. 9. utque verba וּמֵאֲצִילֶיהָ קְרָאתִיךָ trahere huc poſſit, Textum hebræum corruptionis arguit, & pro מֵאֲצִילֶיהָ *è ſelectis ejus* legendum cenſet מִמִּצְרַיִם *ex Ægypto*; ſed contra omnium Codicum fidem, & Verſionum omnium, LXX. quoque, teſtificationem. Vid. contra eum CARPZOVIUS *in Crit. S. p. 866.* & WOLFIUS *in Curis p. 38.* Majorem ſpeciem habet, quando alii 2) per Prophetam hic intelligunt *Bileamum*, qui tale quid vaticinatus ſit Num. XXIV. 7. 8. ubi textus hebræus v. 8. habet אֵל מוֹצִיאוֹ מִמִּצְרַיִם, quod LXX. vertunt: Θεὸς ὡδήγησεν αὐτὸν ἐξ Αἰγύπτου, *Deus eduxit illum ex Ægypto.* Meminere jam olim hujus ſententiæ ORIGENES *ad Num. XXIV. 8.* EUSEBIUS *in Dem. Evang.*

L. VIII. p. 423. & HIERONYMUS *in Comm. ad Matth.* E recentioribus vero illam amplexi sunt IS. VOSSIUS, COLOMESIUS, & e nostris GOD. OLEARIUS, qui omni illam studio ornare conatus est *in Obss. in Matth. p. 59. sqq.*

§. III.

Enimvero gratis a) supponitur, Bileamum Num. XXIV. 7. 8. æque ac v. 17. de Christo vaticinari, ita ut Matthæus ad Eum referre potuerit tanquam historice & litteraliter impletum in vocatione Ejus ex Ægypto: Certum potius est, Bileanum ibi de *Populo Israëlitico* loqui, & beneficio illi præstito in eductione ejus ex Ægypto, uti antecedentia v. 2. 5. & consequentia docent, & locus parallelus Cap. XXIII. 22. ubi eadem prorsus verba leguntur, nisi quod *affixum plurale* occurrat מוֹצִיאָם pro מוֹצִיאוֹ quod habetur Cap. XXIV. 8. manifesto indicio, verba hæc de eductione plurium agere, & singularem, loco posteriore, *collective* sumendum esse de Populo Israël, non de Individuo aliquo. b) Locus Num. XXIV. non ita respondet verbis Matthæi, ut dicere hic potuerit, *factum id esse, ut impleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam.* Aliud enim est, in genere & indefinite dicere: *Deus eductor ejus ex Ægypto;* aliud: *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Cætera nolim c) cum SPANHEMIO *in Dub. Evang. p. 478.* & hoc urgere contra hanc sententiam, quod durum sit, *Pseudoprophetam*, qualis *Bileamus*, *Prophetam* dici sine limitatione: Nam & 2 Pet. II. 16. Propheta audit. Biga rationum ante adducta satis evincit, omni modo consultius esse, oraculum a Matthæo citatum 3) ex Hos. XI. 1. repetere; cum in universo codice non reperias verba, quæ Matthæi verbis ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου exactius respondeant.

§. IV.

Quare, ut II. dicamus de *Applicatione* dicti prophetici a Matthæo facta, 1) neque ipsi *hostes Religionis christianae* negant, ex Hosea Matthæum sua hausisse, sed id saltim contendunt, sinistre hoc dictum abs Matthæo referri ad *Christum.* Quin PORPHYRIUS & JULIANUS Matthæum eapropter vel ἀβλεψίας & oscitantiæ, vel, quod gravius, malæ fidei reum peregerunt, quod simplicitati gentium citatione ejusmodi oraculorum illuserit, quibus minus comperta fuerint scripta prophetica & genuinus eorum sensus. Objiciunt vero a) *Subjectum* oraculi esse manifesto *Populum Israël*, qui appelletur a Deo נַעַר & בֵּן *puer* & *filius; puer* respectu temporis, quo beneficium a Prophetamemoratum huic populo obtigit; *filius* vero ob peculia-

culiare fœdus cum populo Israëlitico initum: atque sic etiam *praedicatum* male aliorsum trahi, quam ad solenne istud beneficium genti Israëliticæ a Deo exhibitum per eductionem ejus ex Ægypto, cum apud Prophetas mentione illius nil sit frequentius. R. Eos saltim premere hanc difficultatem, qui oraculum hoc *litteraliter & solitarie* de Christo exponunt; non vero illos, qui pro oraculo *composito* istud habent, cujus gemina est impletio, una in *Typo*, altera in *Antitypo*, quarum una non evertit alteram, sed ducit ad alteram, & completur per alteram. Sed plura de hoc inferius. Obj. b) LXX *Interpretes* diserte hoc vaticinium ad populum Israëliticum referre, quum vertant: ἐξ Αἰγύπτου μετεκάλεσα τὰ τέκνα αὐτοῦ. R. Male eos vertisse, docet inspectio textus hebraici; per incuriam forte pro בְּנֵי legerunt בְּנָיו. Melius AQUILA vertit υἱόν μου. Obj. c) Prophetam in *praeterito* loqui, קָרָאתִי, non in *futuro*; sermonem itaque illi esse de Eductione ex Ægypto præterita & tempora Prophetæ antegressa, non de futura quadam. R. α) Frequentem esse apud Prophetas Enallagen temporum, futuri præsertim & præteriti, ac decantatam satis Regulam Rabbinorum: Linguam propheticam loqui de futuro tanquam de præterito, & *Dictum* Dei haberi pro *Facto*. β) Præteritam eductionem ex Ægypto ii tantum excludunt, qui oraculum hoc litteraliter de Christo exponunt.

§. V.

Obj. d) Inepte prorsus allegari hoc oraculum à Matthæo ad probandam Christi in Ægyptum fugam & commorationem Ejus in ista terra usque ad mortem Herodis, cum illud nec de ingressu, nec de mora in Ægypto, sed de reditu ex illa loquatur. R. Committi fallaciam divisionis: quasi vero cum mentione ingressus & commorationis Christi in Ægypto usque ad mortem Herodis non simul connotetur Ejus eductio ex Ægypto. Matthæus sane, non tantum dicit, Christum secessisse in Ægyptum, & aliquandiu ibi fuisse, sed etiam tempus definit illius moræ in Ægypto, verbis: ἕως τῆς τελευτῆς τοῦ Ἡρῴδου; atque his demum verbis subjicit: *sic impletum fuisse dictum Prophetae*. Obj. e) Apud Prophetam unum idemque subjectum esse, ad quod pertineant prædicata v. 1. & quæ deinde sequuntur v. 2. &c. Quodsi ergo ille versus de Christo intelligatur, ubi de vocatione ex Ægypto sermo est; reliquos etiam versus, Israëli ex Ægypto evocato turpissimam ingratitudinem erga Benefactorem suum exprobrantes de Eodem interpretandos fore, quod nostra ipsorum sententia impium dictu futurum sit. R. Laborare hoc argumentum *falla-*

fallacia Compositionis, quasi ea, quæ connecti debent ratione *Typi*, necessario connectenda forent quoque respectu *Antitypi*. Tenenda hic sunt sequentia: α) Talia sunt prædicata, qualia permittuntur a suis subjectis, & v. v. *Typi* vero & *Antitypi* ratio diversa est; nec, quæ conferuntur in *uno* prædicato, conferuntur in *omni*: immo non possunt non esse diversa, cum se habeant ut *figura & res figurata*. Quærenda ergo conformitas in *formali*, in quo conferuntur, non in *materiali* & ejus appendicibus, in quibus neutiquam conferuntur: Et in omni collatione Typi & Antipi quædam utrique competunt, quædam Typo, non Antitypo; quædam Antitypo, non Typo: unde nunquam quærenda Harmonia in omnibus prædicatis, sed in iis tantum, in quibus conferuntur. β) Quam solemne est Prophetis, jam de Typo & Antitypo *conjunctim*, jam *separatim* loqui; sæpe transire à Typo ad Antitypum, sæpe regredi ab Antitypo ad Typum. Sic ipsi Judæi fateri coguntur, multa de Davide, Messiæ Typo, dici, quæ tamen ad Messiam referri nequeant; multa de liberatione Ægyptiaca seu Assyriaca, quæ non sint applicabilia ad liberationem, quam exspectant a suo Messia. Sic etiam Gen. III. 15. in maledictione serpenti denunciata quædam Diabolo conveniunt, v. g. *ponam inimicitiam inter te & mulierem &c.* quædam serpenti, e. g. Gradieris super *ventrem*, *& comedes pulverem*. Damus ergo ultro, ea, quæ habentur vv. seqq. scilicet expostulationem Dei cum populo, commemorationem ingratitudinis ejus, comminationem de pœnis immittendis, & alia id genus, tantum pertinere ad Typum, non ad Antitypum.

§. VI.

2) *Interpretes Christiani* in eo omnes consentiunt, quod vaticinium Hoseæ *jure* ad Christum relatum fuerit abs Matthæo [h]); dissentire vero illos videmus *circa modum rei*, quo sensu scilicet ad Christum applicari possit? Sunt a) qui *in defectu peccent*, per meram *accommodationem* seu *allusionem* hoc oraculum de Christo exponi statuentes. Ita MART. BUCERUS, JANSENIUS, MERCERUS, aliique [i]). Sed recte contra hos urgetur: α) Cita-

h) Qui tamen nil nisi *nudam accommodationem* hic agnoscunt; iis Matthæus non meliori *jure* allegavit Hoseam, quam quo etiam non allegare potuisset. Per se enim, si valere hæc hypothesis debeat, dictum Prophetæ & secundum intentionem Spiritus S. nihil ad Jesum spectabat.

i) Accensendus his omnino videtur S. R. D. ERNESTI. Vid. *Neue theol. Bibl. P. VI. pag. 497.* ubi post exhibitam Cl. HASII sententiam, qui utrumque, & *litteralem* de Israële, & *mysticum* de Christo, dicti Hoseani sensum adoptavit, ita pergit: *Dieses läßt sich wohl hören:*

α) Citationes, quæ Messiam concernunt, studiose a Matthæo congestas esse, non *illustrationis* modo gratia, sed etiam *probationis* ergo, atque ad demonstrandum, hunc Jesum Nazarenum esse verum Messiam, eo quod *ab Illo, in Illo & circa Illum* omnia ista adimpleta sint, quæ de Messia in V. T. prædicta fuerint. Ubi vero mera sit allusio, mera accommodatio sive comparatio rerum similium, & quidem præter mentem Spiritus sancti, ibi nulla locum habet solida probatio. β) Si res, quam factam narrat Evangelista, nullo modo prædicta fuisset à Propheta, haud sane dicturus fuisset iste, factam esse eandem, ut impleretur dictum Prophetæ. Supponit enim hæc assertio, intendisse omnino Prophetam de Christo loqui, vel saltim Dominum per Prophetam. Sunt vero b) alii, qui *in excessu peccant*, oraculum Hoseæ *litteraliter* de Christo agere, ac *simpliciter & proprie* nihil aliud, quam de *solo* puero Jesu, vocato ex Ægypto, vaticinari, contendentes. Atque hi rursus mire inter se dissentiunt, manifesto documento, non inveniisse illos, ubi pedem tuto se figere posse crediderint. α) *Quidam* enim totum Hoseæ comma primum de Christo interpretantur, vel hoc sensu: *Quia puer Israëlis est* (scil. Messias) *& ego diligo eum, & ex Ægypto vocavi filium meum.* Ita FR. JUNIUS, PISCATOR, aliique; vel sic: *Cum puer sive infans esset Christus, dilexi eum, & evocavi eum ex Ægypto.* β) *Alii* vero primum hujus V. Membrum de Populo Israël, & posterius solum de Christo exponunt, ut sensus sit: *Quamquam Israël* נַעַר *puer est* & manet, nempe rudis, præcipitans in actionibus, excutiens jugum, & transgressor; *tamen dilexi eum*, & ob amorem, quo eum complector, *evocavi filium meum ex Ægypto*, ejus in gratiam, ut erudiat ipsum, in ordinem redigat & emendet. Nam particulam כִּי reddi nonnunquam debere *quamquam*, probare volunt ex Exod. XIII. 17. Jos. XVII. 18. conf. BUXTORFII & SIMONIS *Lexx. ad hanc voc.* k) Placuit hæc sententia e Nostris

hören: Im übrigen aber kann man auch mit andern eine blosse Anwendung *annehmen, ohne doch, daß es ein* blosses jüdisches Wortspiel *sey. Dann das muß man doch einräumen, daß es Anführungen von Stellen des A. T. gibt, welche nur* geschikte Anwendungen *derselben sind, und theils zur Erläuterung dienen, theils Schlüsse vom Kleinern auf das Grössere abgeben; u. s. w. Und so hat es hier gar keine Unbequemlichkeit., wann man es so nehmt:* Hier konnte man mit noch grösserm Rechte sagen, was der Prophet von Israël sagt: Aus Egypten &c. *Und hieraus kan man auch bey andern solchen Stellen urtheilen.* Add. *Theol. Bibl.* T. VII. p. 581. & P. VIII. p. 234.

k) Multo pluribus exemplis hunc particulæ כִּי significatum adstruit NOLDIUS in *Concord. Partic. Ebr. Chald. p. 371. Edit. Tymp.* ubi tamen dubitare possis, num allata loca Scripturæ *omnia* id probent, quod probare debebant.

ſtris TARNOVIO, CALOVIO, SEB. SCHMIDIO, GRÜNENBERGIO, THEOPH. ALETHÆO *T. I. p. 707.* nec alienus eſt CARPZOVIUS *in Crit. S. p. 861.* E Reformatis autem RIVETO, aliisque. Sed vereor, ne contortæ nimis & in gratiam hypotheſeos effictæ videantur hujusmodi interpretationes Adverſariis. Videantur, quæ SPANHEMIUS *l. c. p. 488.* contra illas diſputat, cui & CALOVIUM *in Bibl. Ill.* neutiquam, quod ſatis eſt, feciſſe exiſtimo.

§. VII.

Acquieſco potius c) in ea ſententia, quæ *medium tenet* inter memorata duo extrema, & oraculum controverſum *litteraliter* de *Iſraële*, *myſtice* vero, & quidem etiam ex intentione Spiritus S. de *Chriſto* agere ſtatuit. Nam Liber Scripturæ habet hoc ſpeciale, quod ejus Auctor, Deus, non tantum utatur *vocibus* ad aliquid ſignificandum, ſed etiam *rebus*, per voces ſignificatis, ad ſignificandum *res alias*. Commune eſt omnibus Libris, quod voces aliquid ſignificent, ſed ſpeciale eſt huic Libro, quod etiam res per voces ſignificatæ uliud ſignificent. (Vid. SPANHEMIUS *l. c. p. 505. §. III.*) A ſignificatione, quæ *vocum* eſt, accipitur ſenſus *litteralis*, vel hiſtoricus; a ſignificatione vero, quæ *rerum* eſt, accipitur ſenſus *myſticus*, ſeu ſpiritualis. Atque ita *hoc loco* ſenſus litteralis quidem populum Iſraël reſpicit, ſed qua Typum, adeoque myſtice ſimul Chriſtum innuit. Quam interpretandi rationem ipſimet Judæi in multis admittere coguntur. Fatentur enim v. g. multa de *Davide* & ejus Regno dici, quæ pertineant ad *Meſſiam*; & alia id genus, de liberatione populi Dei, de exaltatione Hieroſolymæ, litteraliter & hiſtorice de geſtis in V. T. intelligenda eſſe, & tamen ſimul ad Meſſiæ tempora referenda. Fateri itaque etiam neceſſe habent, non abſurde *h. l.* id fieri, quod ipſi ſæpe faciendum contendunt; ac tota proinde lis in eo verſatur, utrum *jure* id fiat *circa hoc oraculum*, an vero aliquid obſtet, quo minus fieri poſſit vel debeat? Nil obſtare ſupra oſtendimus, cum obviam iremus objectionibus Judæorum contra applicationem abs Matthæo factam; juſtam vero & fundatam eſſe eandem, nunquam non tuiti ſunt magni hominis Viri: HIERONYMUS *in Cap. II. Matth. & in Hoſ. XI.* THEOPHYLACTUS, DIONYSIUS CARTHUSIANUS, LYRANUS, MALDONATUS, EMANSA, FR. RIBERA, OECOLAMPADIUS, PAREUS, SPANHEMIUS, MARCKIUS, LUTHERUS, HUNNIUS, GERHARDUS, GLASSIUS, WOLFIUS, quibus & *in ſumma rei* adſtipulantur BENGELIUS *ad Matth. II.* & BURCKIUS *ad Hoſ. XI. In ſumma rei*, inquam: Licet enim cum laudatis auctoribus

ribus in eo consentiant, quod oraculum hoc *primo* quidem in populo Israëlitico, *dein* vero & *excellentius* quidem in Christo impletum sit, adeoque Typum & Antitypum involvat; Typum tamen non, ut illi, proprie ac directe quærunt in *eductione Israelis ex Ægypto*, sed *in appellatione Filii*, ut sensus sit: *Tum, quum puer erat Israël, dilexi eum; & ex quo in Ægypto erat, filium vocavi meum.*

§. VIII.

Quæ omnia ut clarius pateſcant, dabimus α) Argumenta eorum, qui Typum in *Eductione Israëlis ex Ægypto* quærunt: א) *Generalia* hæc sunt: 1) quia verbis prophetæ vis infertur, si aliorsum trahantur, quam ad populum Judaicum & beneficium illi collatum in eductione ejus ex Ægypto. Mox enim v. 2. sequitur gravis reprehensio ingratitudinis eorum, & v. 5. dilucide respicitur exitus ex Ægypto. 2) Quia, ut jam monuimus, familiare est scriptoribus V. T. Messiæ tempora, personam, officium, beneficia, actiones, passiones &c. typis exprimere, ita ut ipsimet Judæi suo dictorum gestorumque externorum cortice sæpissime Messiam quærant. 3) Quia & alia loca dantur, quæ de Typo & Antitypo simul intelligi debent, & geminum habent complementum, e. g. quod Exod. XII. 46. de ossibus agni paschalis non comminuendis, typice dictum est, id in Christo Antitypo impletum dicitur Joh. XIX. 36. conf. 2 Sam. VII. 14. coll. Hebr. I. 5. Elegans quoque est simile, quo SPANHEMIUS p. 503. seq. illustrationis ergo utitur ex 1 Sam. XX. ubi de symbolico sagittarum jactu Jonathanis sermo est. ב) Argumentum vero *speciale*, quo probare volunt, eductionem Israëlis ex Ægypto Typum fuisse Vocationis Christi ex Ægypto, peti solet a multiplici convenientia inter utramque. Mutuam κρίσιν per 14. puncta exponit SPANHEMIUS *l. c. p. 502. seq.* conf. etiam OPORINUS *in Diss. de Firm. Dem. Evang. p. 39 seqq.*

§. IX.

β) Eorum vero argumenta, qui Typum *in appellatione Filii* potius quærunt, quam in eductione ex Ægypto, huc redeunt: א) quia מִמִּצְרַיִם מִצְרַיִם ipsi Hoseæ Cap. XII. 10. & XIII. 4. significet *inde ab Ægypto*, hoc est, inde a tempore, quo in Ægypto fuisti; quapropter & hic v. 1. Cap. XI. מִמִּצְרַיִם recte sic vertatur, ut non tam *locum*, unde egressus sit Israël, quam *tempus*, quo in illa terra fuit, designet. ב) Quia revera inde a tempore Ægyptiaco Israël cœptus est *dici Filius Dei.* Exod. IV. 22. 23. ut adeo

& hiſtoria huic expoſitioni reſpondeat. γ) Quia eductio Iſraëlis ex Ægypto nunquam per verbum קָרָא, ſed ſemper per הוֹצִיא exprimitur. δ) Quia Matthæus dictum allegatum ad commorationem potius Chriſti in Ægypto refert, quam ad reditum ejus ex Ægypto; cum itaque Iſraël in Ægypto adhuc commorans *Filius Dei appellatus* fuerit (vid. l. c. Exod. IV.) hoc potius a Matthæo reſpici videtur, quam *eductio ex Ægypto*.

§. X.

Ingenioſam eſſe hanc expoſitionem, quis neget? Affinia quoque ſunt, quæ WOLFIUS *in Curis p. 40.* ex ALTINGIO *Opp. Tom. V. p. 67.* profert, nullam tamen ἐπίκρισιν ſubjungens. Dicam vero, quæ me dubia arceant, quo minus iſtam amplectar: 1) Verbum קָרָא mox v. 2. apud Hoſeam recurrit, ſed non in eo ſenſu, quo notat *appellare, einen etwas nennen- oder heiſſen, oder ihm einen Nahmen geben;* verum in ſignificatu *advocandi, arceſſendi, einem rufen, daß er komme.* Quamquam ergo Hebræoum קָרָא æque ac Latinorum *vocare* & Græcorum καλεῖν alias utrumque notet; hic tamen prorſus non videtur veriſimile, Hoſeam unum idemque verbum unica modo interjecta vocula in diverſo ſenſu adhibuiſſe, cum præſertim τὸ *vocare* v. 1. & τὸ *vocare* v. 2. mutuo ſe reſpiciant. 2) Verbum קָרָא quidem ſæpiſſime conſtruitur cum ל, etiam quando ſignificat *appellare*, e. g. Gen. I. 5. וְלַחשֶׁךְ קָרָא לָיְלָה *& tenebras vocavit noctem;* Jeſ. I. 26. יִקָּרֵא לָךְ *vocabitur tibi* id eſt *vocaberis;* Jeſ. LXII. 2. וְקָרָא לָךְ *& vocabitur tibi* i. e. *nomen indetur tibi:* Sed probe notandum, τὸ ל in his locis non præfigi *nomini*, quo appellatur alterum, ſed ipſi *ſubjecto*, quod illo appellatur. E. g. non dicitur Jeſ. I. תִּקָּרֵא לְעִיר הַצֶּדֶק *vocaberis urbs juſtitiae*, ſed יִקָּרֵא לָךְ עִיר הַצֶּדֶק. Ubi vero קָרָא ſignificat *advocare, einem rufen*, tum ל præfigitur ſubjecto, quod vocatur, e. g. Gen. XII. 18. וַיִּקְרָא פַרְעֹה לְאַבְרָם Gen. XX. 8. 9. Exod. XXXIV. 15. Sæpe etiam loco ipſius ל ponitur præpoſitio אֶל ſeu עַל. Omnino itaque præfixum ל & hic in לִבְנִי indicio eſt, non notari illo *nomen, quo* appellavarit Deus Iſraëlem, ſed *ſubjectum, quod* vocaverit ex Ægypto. conf. etiam mox v. 2. קָרְאוּ לָהֶם.[1]) 3) *Eductio Iſraëlis, filii Dei*, ex Ægypto, propius cohæret cum ſcopo Evangeliſtæ, quam id, quod in Ægypto jam *appellatus* fuerit *filius Dei*, adeoque Typus in illo magis quærendus videtur quam in hoc. Obſcurior ſane hic nexus foret: Joſephus cum puerulo Jeſu & Matre

1) Idem ſibi volunt verba S. R. D. ERNESTI *Neue theol. Bibl. P. VII. p. 582. Nach dem ſo gewöhnlichen paralleliſmo membrorum ſteht* לִבְנִי *für das im Anfang vorkommende* יִשְׂרָאֵל. Utroque itaque ſubjectum exprimitur.

Matre ejus seceſſit in Ægyptum, ibique manſit usque ad mortem Herodis, ut impleretur, quod dictum eſt: Inde ab Ægypto Iſraëlem vocavi filium meum. Clarior vero emicat hoc modo: Deus Iſraëlem, cum in infantia ſua in Ægypto eſſet, dilexit, & hunc ſuum filium inde evocavit, ut rediret in terram promiſſam: hic Typus impleri debuit in Chriſto: Nutu divino in Ægyptum venit, nutu divino inde evocatus fuit; & ſi Iſraël, quia Deus illum dilexit ut filium ſuum, redire debuit in terram promiſſam; multo magis hic, cui ſoli id debuit Iſraël, quod Deus illum dilexit, & tanquam filium ſuum ex Ægypto vocavit, immo quo duce exiit, & in terram promiſſam venit. 4) Admiſſa hac interpretatione minus ſane Antitypus congruit Typo. Qui enim de Chriſto dici poteſt, eum inde ab Ægypto, ſive ex quo fuit in Ægypto, *Filium Dei* appellatum fuiſſe, uti Iſraël inde ab ægyptiaco tempore cœptus eſt dici Filius Dei? Jam enim a Nativitate, immo a conceptione ſua Luc. I. 32. 35. filius Dei & erat & appellatus fuit. Et hæc quidem dubia acquieſcere me jubent hactenus in priori ſententia, quæ Typum in *eductione Iſraëlis ex Ægypto* quærit.

§. XI.

Supereſt d) ut & occurramus dubiis, quæ contra utramque ſententiam §§. V. & VI. expoſitam moveri ſolent. Objicitur α) ſic plures unius ejusdemque dicti ſenſus ſtatui, quod alias negemus contra Pontificios. R. ad α) aliud eſt, ſtatuere plures ſenſus *ejusdem generis* v. g. *litterales*; aliud vero, *diverſi generis*, v. g. *litteralem & myſticum*. Prius qui ſtatuit, ſcripturam reddit æquivocam, dubiam, incertam ac obſcuram, (quod ipſum Pontificii intendunt) & fibulam laxat prurigini humanæ, Scripturam pro lubitu torquendi, & quidlibet ex quolibet fingendi: Poſterius vero innoxie poteſt dici, ſcilicet unum idemque dictum poſſe habere duplicem ſenſum, *litteralem*, qui ex Spiritus S. intentione immediate, per ipſa Scripturæ verba, ſive proprie ſive figurate accepta, lectoribus inſinuatur; & *myſticum*, qui non proxime per verba, ſed per res vel perſonas, verbis deſignatas, à Spiritu S. intenditur. Si cui vero hoc non placeat, uti ſane quidam e Theologis noſtris, e. g. CALOVIUS, AUG. PFEIFFERUS, alii, nonniſi unicum Scripturæ S. ſenſum, eumque litteralem admittunt; quem vero alii ſenſum myſticum vocant, nonniſi ſenſus litteralis ad aliam rem ſpiritualem accommodationem, quam tamen Spiritus S. revera intenderit, appellari volunt: tum β) ſenſu eodem, licet aliis verbis reſponderi poteſt: Senſum Scripturæ ſacræ revera eſſe unicum tantum, ſi vocem *ſenſus* accipias in ſignificatu *latiore* pro omni eo, quod a Spiritu S. in Scriptura intenditur, ſive pro integro conceptu, quem Spiritus S. non ſolum

per verba, sed etiam *per res* verbis expressas, significare voluit. Sic in hoc nostro loco Hos. XI. 1. *unus* reapse est sensus litteralis, sed *bis impletus*, in Typo primum, deinde in Antitypo, quæ sane combinatio duplicis respectus ad Typum & Antitypum non duos sensus producit; sed unicus est sensus *plenus & compositus*, qui se in duos veluti ramos ac partes, ex intentione Spiritus sancti, in intellectu Lectorum extendere debet. Vid. RAMBACHII *Herm. S. p. 64. seqq.*

§. XII.

Objicitur β) sensum *mysticum* non esse *argumentativum*. R. Sensum mysticum, a Spiritu S. non intentum, nec alibi declaratum, *concedo*. Atqui Spiritus S. sensum mysticum dicti Hoseani ipse per Matthæum declaravit. conf. AUG. PFEIFFERI *Thes. Herm. p. 170.* Obj. γ) Non probari posse ex Scriptura, Populum Israël fuisse Typum Christi. R. Nos nec opus habere, ut id probemus. Argumentum sane, quod OPORINUS *l. c.* ex Jes. XLIX. 3. repetit, ubi Messias appelletur *Israël*, non adeo firmum est, ac ille sibi persuadet, cum accentus atnach verba עַבְדִּי אַתָּה dirimat a sequente יִשְׂרָאֵל, ut sensus potius sit: Tu (Messias) es servus meus; Israël est, in quo per te glorioſum me reddam. Vid. RAMBACHIUS *in Jes.* m) Sufficit א) eductionem Israëlis ex Ægypto Typum fuisse vocationis Messiæ ex Ægypto, & eo magis quidem fuisse, quia Messias jam tum, cum populus in Ægypto esset, in uno ex iis Patribus, qui Matth. I. 4. recensentur, in Ægypto erat, & in iis evocatus fuit, hique ejus quasi Typi hac in re fuerunt. ב) Si omnino Typum hic agnoscere nolis, sufficiet, si Christum consideres ut *Caput* Israëlis, & Israëlem ut *Corpus*. Hoc enim posito, congruentiam fatorum Capitis & Corporis facile agnosces, nec mirum tibi videbitur, Prophetam, vel saltim Deum apud Prophetam utrumque respexisse, & Matthæum propterea recte allegasse. Caput sane Israëlis, Messias, æque in Ægyptum venire debuit, ac Corpus, Israël ipse, olim venit; & illud æque ac hoc reverti inde debuit in terram promissionis, alioqui non impleta fuisset Prophetia Hoseæ in sensu suo pleno.

m) Forsan accentus argumentum OPORINI non plane infringere pluribus videtur, siquidem nulla ad minimum necessitas exigat, ut allocutioni עַבְדִּי אַתָּה statim subjiciamus aliam Apostrophen ad Israëlem. VITRINGA certe, qui etiam sub *Israële* eundem *Servum Dei* i. e. Messiam cum OPORINO intelligit aliter statuit, exegesi suæ tandem subjungens: Accepi autem in hac interpretatione Verba Prophetæ tanquam in duas divisa sententias: TU *es Servus meus;* TU *es Israël*, per quem & in quo glorificabor. Sic utique Masorethæ nobis docte præiverunt, figentes accentum Atnach in voce אַתָּה, quorum opera cum usi non sint Græcus Alex. & Hieronymus, minus feliciter dictum Prophetæ expressérunt. *Comm. in Jes. ad h. l.*

IV. AL-

IV. ALLEGATUM.

MATTH. II. 17. 18.

Τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Ἱερεμίου τοῦ Προφήτου λέγοντος, Φωνὴ ἐν Ῥαμᾶ ἠκούσθη, θρῆνος καὶ κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς πολύς, Ῥαχὴλ κλαίουσα τὰ τέκνα αὐτῆς καὶ οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι, ὅτι οὐκ εἰσίν.

JER. XXXI. 15.

קוֹל בָּרָמָה נִשְׁמָע נְהִי בְכִי תַמְרוּרִים רָחֵל מְבַכָּה עַל־בָּנֶיהָ מֵאֲנָה לְהִנָּחֵם עַל־בָּנֶיהָ כִּי אֵינֶנּוּ׃

VERSIO LXX.

Φωνὴ ἐν Ῥαμᾶ ἠκούσθη θρήνου, καὶ κλαυθμοῦ, καὶ ὀδυρμοῦ. Ῥαχὴλ ἀποκλαιομένης ἐπὶ τῶν υἱῶν αὐτῆς, καὶ οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι ἐπὶ τοῖς υἱοῖς αὐτῆς, ὅτι οὐκ εἰσίν.

§. I.

Levia hic sunt dubia, quæ I. circa *Allegationem*, prout abs Matthæo facta est, subnasci possunt; *graviora*, quæ II. circa *Applicationem* hujus dicti ad Infanticidium Bethlehemiticum mota fuerunt. Et quidem I. Quoad *Allegationem* 1) Matthæus non satis curate vertisse videtur verba Jeremiæ נְהִי בְכִי תַמְרוּרִים. Vertit enim, θρήνου καὶ κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς πολύς; sicque a) ex Asyndeto hebraico fecit Polysyndeton per duplex καί, cum in hebræo nulla sit copula. b) בְּכִי תַמְרוּרִים reddidit *fletus & ejulatus multus*, cum hebræum sonet: *fletus amaritudinum*, seu *fletus, amaritudines*. R. ad a) Matthæum habere Polysyndeton suum ex LXX. hosque suo καί, eoque gemino, nihil in sensu mutasse. Ad b) respondetur. α) Et hic Matthæum præeuntes habuisse LXX. qui itidem tertium substantivum *absolute* ponunt, non in statu constructo cum anteced. Nam בְּכִי תַמְרוּרִים *fletus amaritudinum* non vertunt κλαυθμὸς ὀδυρμοῦ, sed κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμός. Recte vero eundem hac in re illos secutum esse, β) inde liquet, quia, quo jure in Textu hebr. abstractum pro concreto, Substantivum pro Adjectivo ponitur, scilicet fletus *Amaritudinum* pro fletu *Amarissimo*, eodem & Matthæus cum LXX. pro Adjectivo Substantivum ponere potuit κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς; *fletus* enim *amarus* abire solet in *ejulationem*, quod est ὀδυρμός. Quum vero γ) Matthæus ad ὀδυρμὸς addit πολύς.

πολὺς, quod LXX. non habent, eo ipso curatiorem se demonstravit in vertendo, quam illi. Hoc enim pacto plurale hebraicum תַּמְרוּרִים epitheto græco πολὺς, pluralitatem notante, optime expressit.

§. II.

2) Alterum dubium circa *Allegationem* Matthæi hoc est, quod hebr. אֵינֶנּוּ *non ipse* verterit ἐκ ἐ'στὶ, adeoque *Singularem* mutavèrit in *Pluralem*, quasi dictum esset אֵינָם seu אֵינָהֶם, quod significaret *non ipsi*, scil. amplius sunt. conf. Gen. XLII. 36. Nolim hic a) respondere cum quibusdam, *singularem* apud Jeremiam respicere *Messiam*, quem Matres judaicæ, cum cæteris eum trucidatum suspicantes, vel expulsum dolentes, inprimis deploraverint. Ita ALTINGIUS & COCCEJUS. Nimis enim aperte vox אֵינֶנּוּ respicit antecedens בָּנֶיהָ; & si hæc inesset numero singulari emphasis, vitio vertendum foret Matthæo, quod illam non attenderit. Dicendum potius b) singularem hic *distributive* sumendum esse, ut sensus sit: quia *nullus eorum* amplius est. [n]) Suos *singulae* filios præcipue lugent, vel etiam unicos, inquit BENGELIUS *in Gnom. ad h. l.*

§. III.

II. Longe autem gravior Matthæo dica scribitur propter *Applicationem* hujus oraculi ad Infanticidium Bethlehemiticum. Dabimus ergo vindicias illius. Sunt 1) qui stragem Bethlehemiticam *litteraliter*, hoc est ex mente ipsorum, *proxime* ac *unice* abs Jeremia hic prædici contendunt. v. g. e Pontificiis LYRANUS, HUGO, VATABLUS, CORN. à LAPIDE; e Reformatis FR. JUNIUS; e Nostris CALOVIUS maxime hanc sententiam acriter propugnat, adstipulantibus ipsi SEB. SCHMIDIO, JOH. HENR. MAJO, GEORGIO, OPORINO, RUSIO & aliis. [o]) Omnes hi statuunt, Prophetam voluisse verbis hisce proponere luculentum aliquod & maxime notabile *signum* Adventus Messiæ; hoc vero signum fuisse planctum illum ingentem ob cladem Bethlehemiticam. Rationes sunt sequentes: a) quia vocula τότε apud Matthæum indicet, *tunc demum*, cum strages Bethlehemitica fieret, impletum fuisse vaticinium Jeremiæ, non antea. b) Quia in descriptio-

[n]) Est sine controversia hoc Affixum נּוּ singularis numeri, utpote ortum ex Affixo הוּ, inserto *Nun*, quod deinceps, ה euphoniæ gratia extruso, dagesch recipit. Sed idem alias quoque per Enallagen Numeri, vel, si mavis, per sensum distributivum pluralibus respondet. Vid. Jud. III. 25. Jes. XIX. 7. Jer. XLIX. 10. Eodem modo & Vav nominale, cujus vices alias הוּ in verbis sustinet, usurpatur Jos. II. 4.

[o]) Quibus etiam accedit LILIENTHALIUS l. c. P. I. pag. 161. sqq. & P. II. p. 779. sqq.

scriptione Captivitatis Babylonicæ, quæ habetur 2 Reg. XXV. 1. sqq. 2 Chron. XXXVI. 17. sqq. Jer. XXXIX. 1. sqq. nihil legatur de planctu Matrum judaicarum. c) Quia Jeremias toto Cap. XXXI. de Rebus N. T. vaticinetur, uti appareat tum ex v. 1. coll. v. ult. Cap. XXX. ubi de *ultimis diebus* sermo sit, quæ apud Prophetas tempora N. T. designent; tum ex v. 22. & 31. sqq. coll. Hebr. VIII. 8. sq. Sunt vero alii, qui 2) Jeremiam unice de abductione populi Judaici in Captivitatem Babylonicam vaticinari; Matthæum vero hoc vaticinium *accommodative* saltim ad Infanticidium Bethlehemiticum applicare statuunt. e. g. BUCERUS, JANSERUS, SPANHEMIUS, qui & ad CHEMNITIUM nostrum provocat, PFAFFIUS *in Not. ad Matth. p. 71.* Argumenta hæc sunt: a) quoniam multa obstent, quo minus *litteraliter* de Infanticidio Bethlehemitico accipiatur hoc oraculum; neque etiam satis commode dici queat, cladem populi totius, de qua vaticinetur Jeremias, *Typum* fuisse hujus infanticidii valde particularis in tractu Bethlehemitico. b) Quia Matthæus & alibi per modum *allusionis* tantum allegare soleat e. g. Matth. XIII. 14. 34. 35. XV. 7. 8. XXI. 13.

§. IV.

Aliis tamen 3) nec Captivitas Babylonica e vaticinio Jeremiæ plane excludenda, nec Matthæus per accommodationem duntaxat illud ad Infanticidium Bethlehemiticum applicasse videtur; qui itaque, medium tenentes, statuunt, sensum loci utrumque complecti, & verba Prophetæ *generatim* accipienda esse de *Planctu Rachelis super ablatione filiorum*, primum quidem per Captivitatem Babylonicam & Assyriacam, dein per Infanticidium Bethlehemiticum. Ita MICHAELIS *in Bibl. Hal.* RAMBACHIUS *in Jer. p. 691.* ANTONIUS *Harm. T. I. p. 414. sq.* Atque huc etiam tendit nota BENGELII *in Gnom. ad h. l.* dicentis: Unius dicti unico sensui minor & maior non unius temporis eventus respondere potest, donec vaticinium exhauritur. Cui sententiæ & Nos subscribimus ob rationes sqq. a) Quia negari nequit (licet primæ sententiæ Patroni negent) quod Jeremias Cap. XXXI. prophetiæ suæ in commate non uno *captivitatem Babylonicam* innuat; vid. vv. 8. 10. 16. 17. 21-24. Quin ipsi Rachelis luctui super filiis suis, quod non sint, mox v. 16. 17. opponitur solatium de Reditu illorum ex terra inimici ad fines suos; quæ sane manifesto respiciunt antegressam deportationem in Captivitatem Babylonicam, nec ipsi vi adhibita aliorsum detorqueri possunt. Quam contortum quæso est, promissionem de Reditu filiorum Rachelis ex terra inimici in terram suam, cum FR. JUNIO, referre ad novos liberos, quos Ecclesia habitura sit tum ex Israëlitis tum ex gentibus, qui hactenus in terra inimici lateant, donec revertantur ad Christum & Ecclesiam? Ipse id CALOVIUS rejicit, quia non promittantur

tantur in Textu *Novi* liberi, sed *reversuri* dicantur *iidem*, qui amissi erant, filii. Num vero melius ille suos calculos subducit? Non putem! Cum æque, si non magis coactum sit, promissionem istam explicare de *restitutione filiorum in patria cœlesti*. Hoc sane est, bonam causam pessime defendere; nec ita sumus ad incitas redacti, ut eo confugere necessum habeamus.

§. V.

b) Quia ex altera quoque parte certum est, Caput XXXI. Jeremiæ multum prospicere in tempora N. T. quin & ea, quæ in propinquo suum quodammodo implementum habuere, non tamen per hoc *plene* exhausta fuisse, sed perfectum eorum complementum in N. T. quæri debere. vid. argtm. c) pro prima sententia §. II. quod eatenus & nostrum hic facere possumus. Si vero hunc Jeremiæ prospectum è V. T. in Novum admittamus; non sane per meram *accommodationem* seu Allusionem Matthæus dictum illius ad Lanienam Bethlehemiticam applicaverit. Non ex hebeti visu nostro, sed ex Optica Spiritus Prophetiæ & ad Regulas ejusdem æstimanda sunt hujusmodi Oracula: huic enim plures eventus, ratione temporis a se invicem longe remoti, sed tamen aliquam inter se cognationem habentes, in idem Punctum Visus coincidere solent. d) Quia rationes, quæ pro una alterave sententia e duabus prioribus afferri solent, tanti non sunt, ut dimovere nos a nostra debeant; id quod jam pluribus demonstratum dabimus.

§. VI.

α) Pro sententia, quæ respectum ad Captivitatem Babylonicam plane excludit, militare videtur ℵ) vocula τότε: Si enim, Matthæo teste, *tunc demum*, cum Laniena Bethlehemitica contingeret, impletum est Vaticinium Jeremiæ, utique ante illam nulla locum habet impletio. Sed ℟. Matthæum non dicere *tunc demum da erst*, quod omnino excluderet impletionem ante factam, sed simpliciter τότε. Jam si supponamus, Vaticinia multa *gradatim* impleri, hoc sane Jeremiæ vaticinium & *ante cladem* Bethlehemiticam, & *tunc, cum* illa fieret, impleri potuit. ב) Non sequitur: loca, quæ *Captivitatem Babylonicam* describunt, nil habent de planctu Matrum judaicarum super filiis suis, quod non sint: Ergo hic Jeremiæ locus, qui planctum hunc tam emphatice memorat, plane non respicit Captivitatem Babylonicam. Sufficit ea memorari istis in locis, quæ non poterat non sequi istiusmodi planctus. cf. 2 Chron. XXXVI. 17. 20. Aliud est, cum historice res aliqua narratur; aliud, cum a Propheta pathetice describitur. Hic omnino non poterat præterire circumstantiam de planctu, cum præsertim in eo esset, ut solamen isti opponeret. ג) Tertium argumentum, desumtum a locis hujus Cap. XXXI. Jer. quæ aperte in N. T. pro-

prospiciant, jam in usus nostros vertimus, cum assereremus, comma 15 vere etiam de strage Bethlehemitica agere; inde vero haud sequitur, Jeremiam in eo de Captivitate Babylonica plane non cogitasse. Unum non excludit alterum: Cum *in genere* planctum Judææ ob jacturam filiorum describeret Jeremias, non potuit non ejusdem oculis obversari & Captivitas Babylonica & Clades Bethlehemitica. β) Rationes pro altera sententia, quæ negat, Jeremiam h. l. respexisse Lanienam Bethlehemiticam, & Matthæum per *accommodationem* saltim allegasse asserit, itidem facile solvuntur: Nam ad ϰ) conceditur minus congrue cladem *totius* populi pro *Typo* haberi cladis illius *particularis*, quæ Tractum saltim Bethlehemiticum filiis, iisque bimulis tantum & bimatu inferioribus, orbavit. Quod autem multa obstent, quo minus oraculum Jeremiæ utrumque, & Captivitatem Babylonicam & stragem Bethlehemiticam comprehendere dici queat, id vero est, quod negamus. Quemadmodum etiam ɔ) mera petitio principii est, Matthæo alias quoque in more esse, *accommodative* saltim V. T. dicta allegare. Contrarium suo tempore docebitur ad loca superius citata.

§. VII.

Nunc id unum restat, ut 4) *Objectionibus Judaicis* contra applicationem ad Lanienam Bethlehemiticam faciamus, quod satis est. Objiciunt a) Jeremiam loqui de planctu, orituro in *Rama*, non in Bethlehem; male propterea & contra mentem Prophetæ dictum ejus pertrahi ad luctum matrum Bethlehemiticarum; *Rama* enim urbem fuisse & nomine, & situ, & tribu diversam a vico *Bethlehem:* Illam pertinuisse ad sortem Tribus *Benjamin;* Bethlehem vero ad sortem Tribus *Juda:* Istam igitur loci designationem, quum de Luctu in Rama loquatur Jeremias, satis innuere, animo Ejus obversatam fuisse non Stragem Bethlehemiticam, sed deportationem populi abducti in captivitatem, cui *Ramae* mentio optime conveniat; constare enim ex Jer. XL. 1. per *Ramam* abductos fuisse captivos; nec dubium esse, quin in transitu urbis hujus, vel in prima statione captivorum in Rama, luctus & planctus ingens obortus fuerit; e Rama sane Jeremias honorifice dimissus fuit. ϰ. α) Expedita forent omnia, si τὸ *Rama appellative* sumere liceret, uti HIERONYMUS, *Interpres Vulgatus* & B. LUTHERUS sumserunt, non ut nomen proprium Urbis, sed appellative reddentes *in excelso auf dem Gebürge, auf der Höhe;* Constat enim, Hierosolymam & tractum vicinum, adeoque & Bethlehem, in editiore Judææ parte sitam fuisse. Sed præstat, cum LXX. & Matthæo retinere vocem *Rama*, ut nomen proprium Urbis. Neque tamen vel sic β) deest, quod respondeamus. Licet enim Rama sita fuerit in Tribu Benjamin Jos. XVIII. 25. & Bethlehem in Tribu Juda Matth. II. 1. 5. 6. illa tamen huic *satis propinqua* fuit, ceu colligi potest ex Jud. XIX. 2. 9. 13. ubi Levita, post meridiem Bethlehemo

lehemo discedens, eodem adhuc die *Ramam* se perventurum credidit; ut adeo planctus Matronarum Bethlehemiticarum, vel & ipsa strages, facile eo usque pertingere potuerit: quod posterius eo minus vero absimile nobis videbitur, si consideremus, jussisse Herodem trucidare omnes pueros, qui erant in Bethlehem & NB. in *omnibus ejus finibus*; Ramam vero tractui Bethlehemitico conterminam fuisse p) jam ostendimus. Forte etiam Jeremias eapropter Ramam nominare maluit, quam Bethlehemum, ut verba eo melius in utramque & stragem Bethlehemiticam, & deportationem captivorum per Ramam quadrarent.

§. VIII.

Obj. b) Si Stragem Bethlehemiticam innueret Jeremias; *Leam* potius, quam *Rachelem* sisteret plangentem super filiis suis, cum Bethlehemitæ *illius*, non *hujus* posteri fuerint. q) Responderi potest: α) *Rachel* hoc loco metonymice designat tractum Bethlehemiticum, in quo Rachel, post difficilem partum, extincta, sepulta, ac monumento perenni ornata fuit. Gen. XXXV. 18. sq. 1 Sam. X. 2. Inde porro per Metalepsin denotat Matres Bethlehemiticas, seu Ephratæas, quæ tanquam *Racheles*, gravissimo oppletæ & confixæ dolore super filiolis ab Herode trucidatis, amarissime plorarunt & luxerunt. β) Rachel habebatur pro præcipua Tribuum XII. Matre; unde & Judæis in usu erat receptum, suis felicitatem Rachelis apprecari, immo eam Leæ præponere, licet ab hac descenderint. Ruth. IV. 11. γ) Tribus Judæ & Tribus Benjamin unum constituebant Regnum, postquam reliquæ Tribus tempore Rechabeami ab iis secessum fecerant 1 Reg. XII. 20-23. Cum ergo Matres Regni Judaici, speciatim Bethlehemiticæ, lugentes a Jeremia essent inducendæ, non a Lea, sed a Rachele, matre regni judaici præcipua, nominabantur, quemadmodum totum adeo Regnum Israël à Rachelis Nepote vocatur *Ephraim* Jer. XXXI. 18. 20. δ) Mentio *Rachelis* egregie respondet mentioni *Ramae*, quæ erat in Tribu Benjamin, filii Rachelis. Postquam ergo Jeremias, Sacerdos ex terra Benjamin, Ramam pro Bethlehemo nominasset, maxime convenienter Rachelem quoque nominat, pro Lea, Bethlehemitarum matre, ob rationes ante allegatas.

V. AL-

p) Interjecta tamen Hierosolymorum urbe, cui a septentrione opposita fuit Rama, uti Bethlehem a meridie. Patet hinc, cur tam notanter Matthæus posuerit in *omnibus* finibus ejus. Quod vero pene in circuitu urbis; nec tamen in urbe ipsa, tantum nefas ausus sit Herodes, nemo valde mirabitur, cum vel solus metus rebellionis a multitudine urbis pene immensa Tyranno id dissuadere debuerit.

q) Difficilius ad hoc dubium respondent, qui Jeremiam de sola Laniena Bethlehemitica locutum esse statuunt, ut varia precario assumere cogantur. Vid. LILIENTHALIUS l. c. Sensit id EPHORINUS quoque *Diss. cit. p. 45*. Qui tandem *Ramam* improprie plane accipit, pro loco tristissimæ stragis posterorum; quemadmodum etiam Sodoma, Babel & alia nomina propria πνευματικῶς & symbolice a Prophetis adhibeantur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0140
DFG

V. ALLEGATUM.

MATTH. II. 23.

Καὶ ἐλθὼν κατῴκησεν εἰς πόλιν, λεγομένην Ναζαρέτ· ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν προφητῶν, ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται.

EX TRADITIONE.

§. I.

Hoc de loco HIERONYMUS jam *ad Cap. XI. Jes.* dixit: Omnes Ecclesiastici quærunt, & non inveniunt, *ubi* scriptum sit, *quoniam Nazarenus vocabitur.* Neque etiam recentiores Interpretes, licet solicite excusserint scrinia Vet. Test. locos in iis invenerunt, in quibus diserte dicatur, Messiam *a loco educationis suae*, qui est *Nazareth*, appellatum iri *Nazarenum.* Cum vero eapropter Judæi crimen falsi Matthæo impingant, ut qui per Prophetas dictum asserat, quod nullibi apud Prophetas dictum reperiatur, *duas* potissimum Interpretes *vias* inivere, ad periclitantem hoc modo Matthæi fidem in tuto collocandam. *Alii* ad unum aliquem, vel etiam plura V. T. loca respici putant; *alii* allegatum Matthæi soli Traditioni deberi existimant. De utrisque jam, quantum satis fuerit.

§. II.

Sunt nimirum I. qui nil intentatum relinquunt, ut loca quædam e V. T. exsculpant, quæ si non *κατὰ ῥητὸν*, *κατὰ διάνοιαν* tamen id contineant, quod Evangelista hic a Prophetis prædictum asserat: Hucque pertinent 1) Ii, qui nomen *Nazareth*, adeoque & hujus derivatum *Nazarenus*, repetunt a nomine נֵצֶר, ejusque synonymo צֶמַח, quorum illud Jes. XI. 1. hocque Jer. XXIII. 5. & Zach. III. 8. VI. 12. occurrat. Placuit hæc sententia e Patribus HIERONYMO; e Pontificiis SALMERONI, JANSENIO, MALDONATO, LUCÆ BRUGENSI, EMMANUELI SA, BARRADIO, BARONIO & RICH. SIMONIO; e Reformatis JUNIO, TREMELLIO, ARETIO, PAREO, PISCATORI, POLANO, CASAUBONO, MARTINIO, SCHINDLERO, LUD. *de* DIEU, HAMMONDO, MARCKIO, VITRINGÆ &

SURENHUSIO; e Noſtris vero HACKSPANIO, MAJO, DEYLINGIO; nec alienus eſt WOLFIUS. Hi omnes ſtatuunt, Chriſtum eapropter in *Nazareth* habitare, & inde *Nazarenum* vocari debuiſſe, ut implerentur vaticinia Prophetarum, quæ Chriſto nomen נֵצֶר vel צֶמַח tribuunt; & v. v. Prophetas Meſſiam antonomaſtice & eminenter appellaſſe נֵצֶר aut צֶמַח, ut innuerent, Eum in *Nazareth*, habitaturum, inde proditurum, & ob id a Judæis *Nazarenum* nominatum iri.

§. III.

At vero ingenioſius hæc, quam ſolidius dici, ex ſeqq. patebit. Nam a) valde dubitandum eſt, utrum hac expoſitione Allegatio Matthæi ſatis liberari poſſit ac vindicari a cavillis judaicis? Quamvis enim fateri cogantur Judæi, per נֵצֶר olim deſignatum fuiſſe Meſſiam a Jeſaia, per צֶמַח a Jeremia & Zacharia; non tamen quærere deſinent, ubi Chriſtus fuerit dictus Ναζωραῖος, quod nomen Matthæus a Prophetis Meſſiæ impoſitum diſerte referat. b) Vacillare videbitur Conſequentia: Meſſias a Prophetis נֵצֶר dictus eſt: Ergo debuit *habitare in Nazareth*, quod a נֵצֶר nomen habet. Melius procedit hæc: *Nazarenus* audit apud Prophetas: Ergo, poſtquam Bethlehemi natus eſſet, in *Nazareth* tamdiu habitare debuit, ut Ναζωραῖος inde vulgo appellari poſſet. c) Etymon vocis *Nazareth* non ex נֵצֶר petendum eſſe, inde manifeſtum eſt, quia Græci hebræum צ (quod eſt conjunctus ſpiritus eſt ט & ז) ſemper exprimunt vel per τ, licet rarius, e. g. צוֹר Τύρος, vel per σ, uti v. g. צִיּוֹן reddunt Σιδὼν, יוֹן צִיּ Σιὼν, צְבָאוֹת Σαβαὼθ, צָדוֹק Σαδὼκ, יִצְחָק Ἰσαὰκ, מַלְכִּיצֶדֶק Μελχισεδὲκ &c. Vid. HILLERI *Onom. Sacr. p.* 701, ubi pluribus id probatur.

§. IV.

Hinc 2) alii quærendum potius cenſent etymon nominis *Nazareth* & *Nazarenus* in rad. נָזַר; & Matthæum Allegatione ſua reſpicere putant ad *Naſiraeos* Vet. Teſt. vel ſaltim ad aliquos ex iis, qui præ aliis Typi Meſſiæ fuerint, e. g. Joſephum Gen. XLIX. 26. Deut. XXXIII. 16. Simſonem Jud. XIII. 5. r) Samuelem 1 Sam. I. 28. Ita poſt TERTULLIANUM, EUSEBIUM, THEOPHYLACTUM, RUBERTUS *Tuitienſis*, LUTHERUS, BUCE-

r) De Simſone, Typo Meſſiæ, & noſtro Oraculo, utpote quod dicto illi Jud. XIII. 5. 7. reſpondeat, exſtat peculiaris *Diſſ.* JO. BALTH. BERNHOLDI. *Altorf.* 1740. Idem tuetur HEUMANNUS *in Primit. Gœtting. p.* 120. *ſeqq.*

BUCERUS, CALVINUS, CHEMNITIUS, BEZA, TOSSANUS, SCULTETUS, HUNNIUS, GERHARDUS, DIODATUS, HEINSIUS, SPANHEMIUS, NICOL. COLLADO in Tract. peculiari, GUALTHERUS, GUSSETIUS, KIDDERUS aliique. Ex horum ſententia mirabili Dei conſilio factum eſt, ut Chriſtus, occaſione educationis ſuæ in Nazareth vocaretur *Nazarenus*, a Judæis quidem per contemtum, ob conditionem abjectam urbis Nazareth; a Deo vero in teſtimonium genti illi pervicaci, ut deſignaretur, Chriſtum eſſe verum נָזִיר *Naſiraeum*, & antonomaſtice talem, verum Antitypum *Naſiraeorum legalium*, Regum ſimul & Pontificum, aliorumque Deo ſingulari ratione conſecratorum. Si quis hanc interpretationem omni ſuo ornatu veſtitam deſideret, adeat SPANHEMIUM *in Dub. Evang. P. II. p. 616. ſeqq.* Nobis illa priori omnino videtur probabilior, ex eo, quia Hebræorum ז conſtanter a Græcis exprimitur per ζ, quemadmodum Hebræorum צ ſemper per σ. ut ſupra oſtenſum fuit. ז, inquit HILLERUS *l. c. p. 695.* non migrat in aliam græcam litteram quam in ζ. Nomina Ζαχαρίας, Ζαβελὼν, Ζακχαῖος, Ζεβεδαῖος, Ἐζεκίας, Ἐλεάζαρ, Λάζαρος, Ἐλιέζερ, Ἀχὰζ &c. omnia in Hebræo habent ז, quod in græco exprimitur per ζ. Atque hinc concludit Ille: Non patitur hæc verſio litteræ ז dubitare nos de vocabulo Ναζαρὲτ vel Ναζαρηνὸς, ſitne ex נָזַר vel נָצַר oriundum; tam enim verum eſt ab נָזַר derivari, quam diem eſſe, ubi ſol lucet. s)

§. V.

Etſi vero largiamur, hoc eſſe genuinum etymon vocabuli Ναζαρὲτ vel Ναζωραῖος, negamus tamen Conſequentiam, quod Matthæus in allegatione ſua reſpexerit Naziræos Vet. Teſt. vel Nativos, vel Votivos. Rationes negationis hæ ſunt: a) quia græca iſta vocabula a radice hebr. נָזַר derivari poſſunt absque ullo reſpectu ad נְזִירִים ſeu *Naziraeos*, quorum in V. T. mentio fit; a נָזַר enim non modo נָזִיר deſcendit, ſed etiam נֵזֶר *corona*, Ναζαρὲτ, derivat HILLERUS *l. c. p. 121. & 211.* b) Quia LXX. vocem נָזִיר, ſive proprie ſumatur in Scriptura, ſive appellative, neutro modo

s) Non tamen nullius momenti eſſe videntur, quæ Cl. HASE *in Diſſ. mox cit.* contra hæc *Hilleri* cogitata protulit. Provocavit nimirum tam ad Verſiones Syriacam & Hebraicam N. T. quæ utraque in voce Nazaret צ habeat, non ז; quam ad variam litteræ צ apud veteres Hebræos pronunciationem, unde etiam facile in variis vocibus translatis diverſimode reddi potuerit. Equidem, quod Judæi Jeſum נוֹצְרִי appellant, non נוֹזְרִי, & ſine controverſia tamen ab urbe Nazareth ſic appellant, plane exiſtimo, ex elementis hujus nominis *ipſis* nihil certi pro ejus derivatione concludi poſſe.

modo Ναζωραῖος vertunt, sed, proprie sumtam, vel Ναζηραῖος vel Ναζαραῖος; appellative acceptam vel ἅγιος, vel ἁγιάζων, vel ἡγιασμένος, vel δοξασθεὶς, vel ἐνξάμενος. c) Quia vocabulum Ναζωραῖος, quod propius accedit ad Nomen *Naziraeorum* alibi apud Evangelistas exprimitur per Ναζαρηνὸς, ne scilicet videretur talis dici a *Naziraeatu*, quo fine etiam nonnunquam circumscribi solet per ὁ ἀπὸ Ναζαρὲτ; ut adeo manifestum sit, Christo hoc nomen ab oppido, in quo educatus fuit, datum esse, non vero ob qualemcunque convenientiam cum *Naziraeis* V. Test, d) Quia Matth. XI. 19. contraria quævis de Christo asseruntur, quod scilicet in omni vitæ suæ ratione nullum Naziræum præ se tulerit. e) Quia nusquam legimus in N. T. Christum hoc sensu Nazarenum, i. e. *Naziraeum*, appellatum fuisse.

§. VI.

Has ob causas 3) alii a Matthæo innui credunt loca Vet. Test. in quibus Messias dicatur נֵצֶר, quod vocabulum ferme idem sit cum vocabulo *Nazareni;* quando enim Judæi Jesum nostrum designare velint, unius illos litterulæ adjectione Eum vocare נוֹצְרִי נוֵצֶר; autem Christum vocari Hiob. VII. 20. Ps. XXXI. 24. Prov. XXIV. 12. Jes. XXVII. 3. immo & discipulos ejus נוֹצְרִים Jer. XXXI. 6. Quemadmodum etiam a Nazareno *Nazareni* dicti fuerint. His præstructis ita explicant locum nostrum: Jesus, Deo ita gubernante, multos annos Nazarethæ habitavit, ideoque vulgari nomenclatura dictus est נוֹצְרִי *Nazarenus*, ut ex intentione Dei mystice significaretur, Jesum esse illum ipsum, quem Prophetæ, Hiobus, Davides, Salomon, Jesaias, nomine נֵצֶר indigitaverint. Primus hanc sententiam proposuit FAUST. SOCINUS *Opp. T. I. p. 300.* quam si non cæteris omnibus anteponendam, nulli certe postponendam existimat HERM. WITSIUS *in Melet. Leid. p. 285.* cui & adstipulatur THEOPH. ALETHÆUS *in den Erläut. T. III. p. 3.* [e]) At enimvero præter alia, a) hoc maxime

e) Nec plane silentio prætermittendus videtur CHRIST. GODOFR. HASE, qui *in Diss. in quædam notatu digna N. T. græci, Halæ 1752.* vocem Ναζωραῖος apprime respondere putat hebræo נָצוֹר, formæ קָטוֹל, & passivæ significationis, quo pacto omnia ista loca huc refert, in quibus Messias a Patre suo *servari* dicitur, ut Ipse sit *homo ille magnus servatus, & ad servatorem hominum omnium a Patre conservandus. p. 11.* Miror, Viro erudito non æque nomen Ναζαρηνὸς ac Ναζωραῖος observatum fuisse. Idem tamen paulo aliter postea mentem suam inflexisse videtur *in der Rettung h. Schrifft N. Test. gegen den Unglauben.* Vid. S. R. ERNESTI *in theol. Bibl. P. VI. p. 497.* At non est quæstio, quot & quas interpretationes hujus nominis, collatis radicum hebraicarum significationibus, dare possimus; sed id quæritur, unde habuerit Matthæus, quod Christus ab habitatione sua Nazareth *Nazarenus* dici debuerit? Reliqua omnia parum ad rem faciunt.

xime adversum est cogitatis hisce, quod falso supponitur, etymon vocabuli *Nazareth* ac *Nazarenus* a verbo נָצַר *servavit* repetendum esse, cum potius נוֹר pro radice sua agnoscat, uti supra ostensum fuit. b) Quis sibi persuadeat, Matthæum *h. l.* plus non voluisse dicere, quam hoc: Christum habitare in Nazareth & inde Nazarenum vocari debuisse, ut implerentur dicta, in quibus Prophetæ Christum נוֹצֵר vocarunt? Confunditur hoc modo nomen *appellativum* & *proprium*, & hoc præcise, non illud, prædixisse Prophetas, Matthæus testatur.

§. VII.

Fortasse autem 4) Matthæus generatim digitum intendit in illa V. T. loca, quæ Messiam istam inprimis Judææ partem, quæ *Galilaea* audit, præsentia sua ornaturum prænunciarunt, qualis est inprimis locus Jes. VIII. v. ult. & IX. 1. quem & ipse Matthæus Cap. IV. 14. seqq. allegat, ad probandum, quod Messias in Galilæa maxime patefacere se debuerit. Ita COCCEJUS nodum solvere conatus est: Innuit, inquiens, hic Matthæus eas Prophetias, in quibus prædictum est, Christum primo revelatum iri cum verbo & factis salutaribus, partim in genere extra Hierosolymam, partim in specie in *Galilaea*; nam qui *Nazarenum* dicit, *Galilaeum* dicit; de qua re vid. Zach. XII. 7. Jes. VIII. 23. IX. 1. Non absimilia habet HEINSIUS, cujus vero, ut & COCCEJI, cogitata sub examen vocat WITSIUS *in Melet. p. 276. seq.* Recentius quoque KLEMMIUS *in Exerc. Crit. p. 49.* verba ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν referenda putat non ad sequentia ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται, sed ad antecedentia ἀνεχώρησεν εἰς τὰ μέρη τῆς γαλιλαίας. Inprimis vero OPORINUS hanc sententiam ornavit *in Diss. Cit. p. 50. seqq.* qui non sine specie fane provocat ad nexum v. 23. cum antec. v. 22. & inde fundamenti loco ponit, Citationem V. T. v. 23. ad *totam* Dei admonitionem Josepho factam, *tum de itinere in Galilaeam* v. 22. *tum de habitatione Nazarethana* v. 23. pertinere; hoc vero posito, existimat, non esse quærenda unice loca Prophetarum, in quibus habitatio Messiæ *Nazarethana* explicite memoretur, sed concedi etiam debere, ea simul loca ab Evangelista respici, ubi Messias *in Galilaea* manifestandus esse dicatur; in his enim, virtualiter saltim, contineri & hoc, quod Nazarethi incola futurus sit.

§. VIII.

Fateor ſane, hanc ſententiam præ omnibus reliquis amplectendam fore, niſi obſtarent ſequentia: a) Non video, qua ratione Matthæus e vaticiniis de manifeſtatione Meſſiæ in Galilæa legitime potuerit colligere, debuiſſe illum Nazarethæ habitare, & propterea Nazarenum dici. E commoratione quidem in Nazareth ſequitur commoratio in Galilæa, cujus illa pars erat, ſed non viciſſim. Potuiſſet enim Meſſias extra Hieroſolymam, potuiſſet in Galilæa, ſe omnium primo patefacere, neque tamen idcirco Nazarethæ habitare, & exinde *Nazareni* cognomen accipere. b) Deſcribitur hoc loco ab Evangeliſta tempus pueritiæ & adoleſcentiæ Jeſu, quo *latere* debuit ſub ſpecie fabrili, ipſisque adeo cognatis ſuis eſſe ignotus, quod probe diſtinguendum eſt a tempore, quo ſe manifeſtare debuit Iſraëli. Quin ipſe Matthæus Cap. IV. 13. 14. laudatum Jeſaiæ vaticinium de Luce in Galilæa oritura *tunc* impletum eſſe ait, quum Chriſtus, *relicta* NB. *Nazaretha*, venit & habitavit in Capernaum, urbe maritima in confiniis Zabulon & Naphtalim.

§. IX.

Supereſt c) illa ſententia, quæ Prophetiam a Matthæo indigitatam exſtare vult κατὰ διάνοιαν iis in locis, ubi prædicitur, Meſſiam variis ſcommatibus ac conviciis proſciſſum iri, e. g. Pſ. XXII. 7. LXIX. 11. ſqq. Jeſ. LIII. 3. Id enim contigiſſe, cum ludibrii cauſa *Nazarenus* vocaretur, tum Judæis Joh. I. 46. VII. 41. 52. tum Pilato Joh. XIX. 19. ut vero hoc fieri poſſet, *Nazarethae* illum educari debuiſſe. Ita ALEXMORUS *ad Jeſ. LIII.* contra quem videatur G. OLEARIUS *in Obſs. in Matth. p. 69.* Ita quoque CLAUDIUS, Theol. Reform. Gallus, *in Opp. poſth. T. III. p. 363.* Neque multum ab hac ſententia recedunt cogitata LIGHTFOOTI, niſi quod hic ſimul veteres Prophetias annotet, propius ad nomen *Nazareni* accedentes. Obſervat enim, vocem Ναζωραῖος innuere *ſeparationem* veluti hominis deſpicabilis & ſocietate aliorum hominum indigni: hanc vero abjectam Chriſti conditionem ab omnibus Prophetis prædicari. e. g. Pſ. LXIX. 9. Verum omnia hæc a) longius petita ſunt. b) Falſo ſupponitur, cognomen Nazareni nil niſi ignominiam & contemtum deſignare: Hoc enim non ſemper obtinere, patet ex illis locis, ubi & illi, qui cum veneratione de illo locuti ſunt, hoc cognomine Eum inſignivere. Vid. Marc. XVI. 6. Act. II. 22. III. 6. IV. 10. Quapro-

propter alii, ut ante audivimus, de talibus prophetiis hic cogitare maluerunt, quibus aliqua Messiæ dignitas nomine quodam, quod Nazareno vicinum sit, exprimitur, e. g. nomine נֵצֶר, נוֹיר & נוֹצֵר. Atque sic jam manifestum esse putem, frustra hactenus Eruditos in S. Codice V. T. quæsivisse locum vel loca, quæ Matthæi allegato respondeant; & cum omnia ejus scrinia sic fere excussa sint, vix ullam supereresse spem, inveniendi adhuc, quod in cassum hactenus quæsitum fuit.

§. X.

Fatendum itaque est II. *non exstare* in Tabulis V. T. dictum illud, quod Matthæus hic innuat. Neque tamen 1) opus est, ut ad Librum aliquem Apocryphum Jeremiæ confugiamus, qui memoretur ab HIERONYMO in Matth. XXVII. & qui fuerit apud veteres Nazaræos, quasi ex hoc desumtum sit hoc vaticinium; quod quidem ORIGENEM statuisse, SCIPIO SGAMBATUS refert in *L. III. Archivorum V. T. p. 359.* Sed contradicente J. A. FABRICIO *in Cod. Pseudep. V. T. p. 1103.* Neque, & multo minus adhuc 2) cum GUIL. WHISTONO dicendum, verba Ναζωραῖος κληθήσεται ætate Matthæi in pluribus forte Prophetis lecta fuisse, quæ hodie in nullo compareant. Ita quippe Conjecturis suis indulgere solet Vir iste, cætera eruditus, ad labefactandam integritatem Codicis hebræi. Vid. adversus ipsum DEYLINGIUS *in Obss. S. P. I. p. 105.* Neque 3) cum ANDR. OSIANDRO, ISIDORO CLARIO & JANSENIO per Prophetas a Matthæo indigitatos intelligendi sunt Viri, non θεόπνευστοι, ut Prophetæ primi ordinis; sed tales, qui illorum discipuli fuerint, & ab iis, nec non Spiritus S. unctione, edocti, scripturas propheticas præ aliis interpretari sciverint. Vid. quæ SPANHEMIUS *l. c. p. 586.* contra hanc sententiam disputat. Neque 4) cum JOH. CLERICO fingendum, ad *allegoricam* quandam dicti cujusdam prophetici interpretationem istis temporibus notissimam, nunc haud exstantem amplius, non ad ipsa Prophetæ alicujus verba, a Matthæo respici. Sub censuram hoc ἕυρημα vocavit OLEARIUS *l. c. p. 70. §. IV.* Neque 5) cum CHRYSOSTOMO, THEOPHYLACTO, EUTHYMIO, WHITAKERO, MUSCULO, JOS. SCALIGERO, BELLARMINO, COTTONO, aliisque dicendum est, Matthæum hoc vaticinium hausisse e *Libris propheticis jam deperditis.* Quodsi enim statuas, LL. illos *divinos* & *canonicos* simul fuisse, *Canon* V. T. non amplius erit *integer*; si vero divinos tantum, non canonicos, ita ut salvo

Canone interire potuerint, tum quæro, an ante Matthæum perierint, an post illum? Non certe *ante illum*; quia Matthæus adhuc excitat: Non *post illum*, quoniam ab isto tempore sacri Libri in Christianorum manibus fuerunt, neque adeo quidam expungi facile potuerunt.

§. XI.

Nil itaque superest, quam ut 6) statuamus, Matthæum *ex Traditione* habuisse vaticinium ab Ipso allegatum, illudque a variis Prophetis ore traditum, & ad istam usque ætatem inter Judæos conservatum fuisse. Ita sentiunt e Nostris CALOVIUS *in Bibl. Ill. ad h. l.* RUSIUS *in Harm. Evang. T. I. p. 284.* WEGNERUS *in Annot. ad VI. priora Capp. Matth.* & BENGELIUS *in Gnom. ad h. l.* a). Rationes, quæ hanc mihi sententiam persuadent, sunt sequentes: a) quoniam ipse Matthæus ita locutus est, ut non necesse sit, Prophetiam *scriptam* intelligere, dicens τὸ ῥηθὲν, non τὸ γεγραμμένον. Quamvis enim hæc locutio non simpliciter excludat scriptionem, ut docent loca hoc ipso Cap. v. 15. 17. & Cap. I. 22. quadrare tamen illam etiam in dicta Prophetarum *non-scripta* negari nequit. b) Quia particula ὅτι, solennis alias in testimoniis citandis, ab Evangelista & hic præmittitur, ut adeo ipsa Prophetarum verba κατὰ ῥητὸν allegare voluisse censendus sit; probaturus scilicet iisdem, quod Messias *Nazarethae incola* esse, indeque *Nazarenus* vocari debuerit; cum aliæ contra sententiæ τὸ ὅτι pro particula causali habeant, & vertant *quoniam*. c) Si oppidum, ubi nasciturus erat Messias, Prophetia designatum agnoscimus, hoc ipso Cap. v. 5. 6. quidni credamus, etiam oppidum, ubi adolescere debebat, ac solenne cognomen, inde exstiturum, oraculo isto ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται præsignificatum fuisse? d) Etymologia nominis Ναζαρὲτ & Ναζωραῖος a נֵצֶר vel נִיר vel נוֹצֵר non exhaurit scopum Prophetiæ; & contextus docet, allegatam fuisse illam a Matthæo, ad probandum, *Messiam Nazarethae educari debuisse*. e) Alia quoque oracula in N. T. allegantur *ex Traditione*. Jud. v. 14. Act. XX. 35.

§. XII.

a) Quibus suo jure accenseri meretur JOH. AD. OSIANDER *in Diss. de Messia Nazareno vocando. Tub. 1745.* ex quo etiam alios insuper hujus sententiæ Patronos didiceris.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0148
DFG

§. XII.

Quæ ut vindicemus etiam, & roboremus, x) sequentes addimus observationes: α) Immerito nobis objicere Judæos, citari sic in N. T. quod in Vet. non exstet. Ipsi enim multa vetera narrant, quæ nihilo magis ibi exstant. Addit BENGELIUS: Prov. Salomonis a Cap. XXV. 1. Prophetia Asariæ, Epistola Eliæ, & alia ejusmodi, ubi delituere, donec Libris V. T. e. g. 2 Chron. XV. 2. seqq. XXI. 12. longis post temporibus inserta sunt? Neque β) Pontificiis frigidam suffundere hanc sententiam. Illi enim urgent & jactitant Traditiones suas ἀγράφους, etiam post constitutum Canonem; nos vero hic statuimus Traditionem, primum quidem ἄγραφον, dein vero, & quidem ante clausum adhuc Canonem, per Matthæum, Virum θεόπνευστον, Scripturæ S. insertam, adeoque jam ἔγγραφον. γ) Sapienter quoque observare BENGELIUM, eos, qui excellentem hunc versiculum dilutius interpretentur, ut conficiant, illum hic vel ibi in V. T. contineri, revera Prophetiis antiquis unam detrahere; qui vero τὸ ῥηθὲν *Nazarenus vocabitur*, diserte olim editum existiment, eos homogeneam testimonii totius prophetici partem agnoscere, adeoque *integritati* Scripturæ revera consulere, ac simul *simplicitatem* tueri.

§. XIII.

δ) Denique non obstare potest sententiæ nostræ Dilemma hoc: aut apud Judæos in vulgus nota fuit illa Traditio, quod Messias, ut Nazarethæ incola, *Nazarenus* vocandus sit, aut non fuit: Si prius; cur hic titulus Messiæ ignoratur a Scribis? cur Christus *per contemtum* vocatur *Nazarenus*? Cur objicitur Nicodemo a Synedrio, *e Galilaea* Prophetam non surrecturum? Quodsi vero malitia istos etiam clara & notoria negare jussit, cur Nathanaël, homo probus, itidem de Nazaretha contemtim loquitur, & Characterem Christi vertit in argumentum dubitandi de Christo? Si posterius; cur ad testimonium hoc provocat tan-

x) Cl. HASE l. c. p. 4. scribit: *Nimis temerarium* videtur esse, si refugium quærat aliquis ad *traditiones orales* incertiores, vel revelationes Spiritus S. extraordinarias, antequam ampliſſima Scripturæ revelatæ oracula omnia exactiſſime disquisita sint. Vidimus vero, disquisita esse omnia, nec quicquam inventum, quo respexisse Matthæus certo dici possit.

quam notum ? R. a) Uti non simpliciter dici queat, illud in Vulgus notum fuisse, perinde ac v. g. illud de Loco Nativitatis; ita nec simpliciter dici posse, quod Judæis ignotum fuerit. Potuit sane, ut Arcanum Religionis Judaicæ, ut Anecdoton pretiosum, apud pios in Israële asservari, ac deinceps a Matthæo, instinctu divino, suo inseri Evangelio. conf. Similia, quibus BENGELIUS rem illustrat *in Gnom. p. 26.* β) Accedit, a Judæis non proprie *educationem* Christi in Nazareth illi in opprobrium versam fuisse, sed id potius, quod Nazarethæ natus esset, uti illi quidem opinati sunt. Vid. Joh. VII. 41. seq. γ) Conveniens erat diuturnior hujus monumenti occultatio cum ratione vitæ Christi privatæ, in latebris oppidi *Nazareth* agendæ, & fidei Sanctorum probandæ, & perfidiæ malorum judicandæ. Joh. I. 46. VII. 41. Ita BENGELIUS. γ)

γ) Admonemus sub finem hujus Allegati SS. Litterarum Cultores, eos in seqq. non parum adjutum iri, & multo felicius esse progressuros, si hæc quinque Allegata prima solicitius pensitaverint. Nam non solum per se inter vexatissima sunt, sed etiam conciliandi modos pene omnes continent, qui in toto hoc negotio adhibiti unquam fuerunt. De Allegatorum horum difficultatibus audiatur OPORINUS, qui in *Diss.* sæpius laudata *p. 35.* ait: Ejusmodi quidem loca vexata inprimis in Capite Evangelistæ Matthæi primo & secundo occurrere sentio. Et Ill. Dnus. MICHAELIS *in der Einleitung in die göttliche Schrifften Neuen Bundes. P. I. p. 75. Die Stelle, bey der ich bißher noch die meiste Schwierigkeit antreffe, ist Matth. I. 22. 23. und überhaupt sind mir die zwey ersten Capitel Matthæi wegen der angeführten Sprüche dunckler als das ganze übrige Neue Testament.* Adde *Eundem P. II. p. 1133.* Tali Viro ex asse satisfieri vix posse, facile largior.

Est quodam prodire tenus, si non datur ultra.



VI. AL-

VI. ALLEGATUM.

MATTH. III. 3.

Οὗτος γάρ ἐστιν ὁ ῥηθεὶς ὑπὸ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου λέγοντος, φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ.

MARC. I. 2. 3.

ὡς γέγραπται — φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ.

LUC. III. 4 - 6.

ὡς γέγραπται ἐν βίβλῳ λόγων Ἡσαΐου τοῦ προφήτου λέγοντος, φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου· εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ· πᾶσα φάραγξ πληρωθήσεται, καὶ πᾶν ὄρος καὶ βουνὸς ταπεινωθήσεται. καὶ ἔσται τὰ σκολιὰ εἰς εὐθεῖαν, καὶ αἱ τραχεῖαι εἰς ὁδοὺς λείας. καὶ ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ.

JOH. I. 23.

Ἔφη· Ἐγὼ φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, εὐθύνατε τὴν ὁδὸν Κυρίου. καθὼς εἶπεν Ἡσαΐας ὁ προφήτης.

JES. XL. 3 - 5.

קוֹל קוֹרֵא בַּמִּדְבָּר פַּנּוּ דֶּרֶךְ יְהוָה יַשְּׁרוּ בָּעֲרָבָה מְסִלָּה לֵאלֹהֵינוּ׃ כָּל־גַּיְא יִנָּשֵׂא וְכָל־הַר וְגִבְעָה יִשְׁפָּלוּ וְהָיָה הֶעָקֹב לְמִישׁוֹר וְהָרְכָסִים לְבִקְעָה׃ וְנִגְלָה כְּבוֹד יְהוָה וְרָאוּ כָל־בָּשָׂר יַחְדָּו כִּי פִי יְהוָה דִּבֵּר׃

VERSIO LXX.

Φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ· ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. πᾶσα φάραγξ πληρωθήσεται, καὶ πᾶν ὄρος καὶ βουνὸς ταπεινωθήσεται. καὶ ἔσται πάντα τὰ σκολιὰ εἰς εὐθεῖαν, καὶ ἡ τραχεῖα εἰς πεδία λεῖα. καὶ ὀφθήσεται ἡ δόξα Κυρίου, καὶ ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ, ὅτι Κύριος ἐλάλησε.

§. I.

Habet hoc Allegatum cum paucis aliis id commune, quod ab omnibus quatuor Evangeliſtis allegetur. Expendemus itaque in eo I. *Allegationem* ſingulorum Evangeliſtarum, & II. *Applicationem* dicti ad Johannem Baptiſtam, Præcurſorem Chriſti. Quoad I. *Allegationem*, conciliandus eſt cum Jeſaia 1) *Matthaeus*, qui v. 3. Jeſ. ita reddidit: Φωνὴ βοῶν ☞ ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ. Quis non videt, hæc ex aſſe reſpondere verſioni LXX? Hanc vero ſecuti ſunt Evangeliſtæ, quando id fieri potuit *ſalva* dictorum propheticorum *ſubſtantia*, tum ut libertatem ſuam, tanquam Viri Θεόπνευστοι oſtenderent, tum ut in re levi & adiaphora, cum Verſio LXX. in omnium Chriſtianorum manibus, & maximæ apud illos auctoritatis eſſet, malorum cavillos & infirmorum ſcandalum caverent: Innoxie vero, & nulla ſubſtantiæ oraculi vi illata, ſequi potuiſſe, ſequentia probabunt.

§. II.

a) Matthæus quidem non ſatis attendiſſe videtur ad accentuationem hebraicam, קוֹל קוֹרֵא בַּמִּדְבָּר, ἐν τῇ ἐρήμῳ, ad antecedentia referendo, φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ; cum tamen ad ſequentia potius pertineat, ut ſenſus ſit: *In deſerto parate viam.* Nam α) ſupra vocem קוֹרֵא poſitus eſt accentus diſtinctivus *Sakeph-katon*, qui illud a ſequentibus divellit. β) Si legas, *in deſerto*, parate viam, melius id reſpondet alteri hemiſtichio: Rectificate *in ſolitudine campeſtri* ſemitam. Sed reſpondent א) nonnulli e. g SURENHUSIUS *in* Βίβλ. καταλλ. *p.* 204. *ſq.* attendi etiam debere ad vocem בַּמִּדְבָּר, quæ inſtructa ſit accentu *Sakeph-gadol*, ad minimum æque fortiter ſenſum diſtinguente, quam *Sakeph-katon*, immo plerumque fortius, unde etiam *Sakeph-gadol*, i. e. *Magnus* Sakeph, appelletur. Quando igitur poſt Sakeph-katon ſequatur Sakeph-gadol, tum ad vocem, cui Sakeph-katon appoſitus eſt, aliquantulum ſubſiſtendum eſſe, ad gravitatem rei conſiderandam; ſed ſenſum cum voce Sakeph-gadol inſtructa demum pro abſoluto habendum eſſe, ut qui antecedentia à ſequentibus magis divellat: quo pacto tum Prophetæ tum Evangeliſtæ verba, latine reddita, ſic diſtinguenda forent: *Vox clamantis* (ſupple *auditur*) ubi illa auditur? *in deſerto.* Quid clamat? *parate viam Domini.* Et ſane, ſi hæc ita ſe haberent, res expedita foret. Sed alii ב) negant, accentus Sakeph-gadol majorem eſſe vim in diſtinguendo, eumque hac ex cauſa *magnum* dici; cum potius Sakeph-katon, etiamſi in accentuatione præcedat τὸν Sakeph-gadol,

gadol, magis tamen ubique distinguat. Vid. WOKENII *Strom. Apost. P. II. p. 88.* Contrarium licet asserente CALOVIO *in Bibl. Illustr. ad Jes. XL. 3.* qui ex 2 Sam. XV. 34. Jer. V. 31. XVII. 3. patere putat, Sakeph-katon non semper vim suam distinctivam obtinere z). Hi itaque satius ducunt, alia ratione mederi huic dubio, concedendo scilicet, quod propter accentum super verbo קוֹרֵא, τὸ בַּמִּדְבָּר ad sequentia referendum sit; sed negando simul, quod communis versio: *Vox clamantis in deserto* quicquam in sensu oraculi mutet. Sensus utrinque idem est, & accentuatio hebræa idem dicit, quod interpunctio Græca: Si enim assero cum Matthæo, quod vox hæc *clamet in deserto*, & jubeat, ut via paretur; necesse est, ut asseram quoque, *viam in deserto* esse parandam; siquidem in eo loco concio divina institui debet, ubi homines emendari debent. Sin vero, *secundum accentus hebraicos*, dico, viam in deserto parandam fuisse, per se etiam inde fluit, quod Concionator hanc concionem ibi debuerit instituere, ubi emendatio quærebatur. Ita WOKENIUS *l. c.* cf. VITRINGA *in Jes. ad h. l.* & MICHAELIS *in Bibl. Hal.*

§. III.

b) Vitio vertitur Matthæo, quod in altero hemistichio omiserit בָּעֲרָבָה, eo saltim fine, ut τὸ בַּמִּדְבָּר ex primo possit transferre ad vocem clamantis. ℞. Neque hoc sensum mutat, nam בַּמִּדְבָּר verbo קוֹרֵא additum redundat in seqq. cum, uti jam dictum, *ibidem* paranda fuerit via, *ubi* vox clamavit: *parate viam.* Immo videtur Matthæus ex industria initio commatis statim memorasse desertum, ut ne opus haberet idem *bis* repetere. c) Mutatio singularis hebraici מְסִלָּה in pluralem Græcum τρίβους neminem offendet, nisi qui nescit, singularem illum *collective* sumendum esse, ideoque Pluralem illi bene respondere; una via plures habet *semitas.* d) Omissum לֵאלֹהֵינוּ compensat Matthæus pronomine relativo ἀυτοῦ, quod respicit τὸ κυρίου. e) Nec hoc jure desideratur in Matthæo, quod integros duos versiculos 4 & 5 omisit. Sufficiebat enim, & *personam* Johannis designari, & *Substantiam* eorum, quæ ab ipso prædicanda erant; unde & Johannes Ipse plura non allegavit Joh. I. 23. Quicquid vero apud hos Evangelistas deesse videtur, id Lucas rependit. Tantum de Matthæo.

§. IV.

z) Nescio, quid Accentuum Patroni, qui sive *magno* sive *parvo* Sakepho maiorem distinguendi vim tribuunt, respondeant ad Jes. XL. 16. ubi eadem utrique ditio sub iisdem adeo comitibus & æquali vocum subjectarum numero adscribitur.

§. IV.

Quod 2) *Marcum* attinet, omnia hactenus dicta & *huic* valent, & Matthæi vindiciæ hujus quoque vindiciæ sunt, cum verba ejus eadem sint cum Matthæi verbis. Pergimus itaque 3) ad *Lucam*, ubi a) dubitari posset, an גַּיְא *vallis* recte versum sit per φάραγξ, cum vox hæc proprie notet *barathrum*, vel *praeruptam terrae cavitatem*. Sed acquiescere possumus in usu vocabuli apud LXX. qui & עֵמֶק, quod æque *vallem* significat, ab עָמַק, *profundus est*, reddiderunt per φάραγξ. b) Verbum יִנָּשֵׂא *extolletur*, minus accurate versum esse videri posset per πληρωθήσεται. Sed κ. Lucam cum LXX. optime sic vertisse, quia valles *exaltari* nequeunt, nisi per *expletionem* cavitatis interjectæ inter Montes. c) Temere etiam accusatur Lucas, quod pro verbis v. 6. quæ LXX. sic reddiderunt: καὶ ὀφθήσεται ἡ δόξα κυρίου, καὶ ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ, ὅτι κύριος ἐλάλησε; nonnisi sequentia posuerit: καὶ ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ. adeoque omiserit a LXX. non omissa, scilicet ὀφθήσεται ἡ δόξα κυρίου, & ὅτι κύριος ἐλάλησε: contra vero addiderit cum iis, quæ in Textu hebr. haud exstant, scil. τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ. κ. Non peccari contra leges allegandi, si prolixiora alterius verba *contrahantur*, modo retineatur *substantia* illorum; immo revera nil abs Luca *omitti*, nihilque *addi*. Nihil enim α) *omittitur*, quia τὸ ὄψεται præsupponit τὸ ὀφθήσεται, tanquam Correlatum suum. Qui enim videre posset omnis caro, quod non revelatum est? Ultima vero verba ὅτι κύριος ἐλάλησε jam anticipaverat Lucas v. 4. per formulam allegandi: ὡς γέγραπται ἐν βίβλῳ λόγων Ησαΐου, τοῦ προφήτου λέγοντος. Nam λόγος προφήτου Deus locutus est. β) Nihil etiam *additur* à Luca. Nam per voces τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ *explicat* tantum, quid per δόξαν κυρίου intelligat Propheta; & quidem verbis Ejusdem Prophetæ Jesaiæ ex Cap. XII. 10. ubi verba וְרָאוּ כָל־אַפְסֵי אֶרֶץ אֶת יְשׁוּעַת אֱלֹהֵינוּ *Et videbunt omnes fines terrae salutem Dei*, quoad substantiam idem dicunt, quod verba Cap. XL. 5. Is itaque locus animo Lucæ, quin & τῶν LXX. simul videtur obversatus esse.

§. V.

Supereſt 4) *Johannes* Evangelista, qui Johannem Baptistam, quærentibus ex eo, quisnam sit, & quem se haberi velit, respondisse perhibet: Ἐγὼ φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, εὐθύνατε τὴν ὁδὸν κυρίου. Nullus hic a Textu hebræo, nullus à LXX. aut reliquis Evangelistis dissensus, nisi quod Johannes pro εὐθείας ποιεῖτε habeat εὐθύνατε. At quam levis hæc est mutatio? & quam levis etiam illa, quod hoc verbo non tam verbum regens prioris membri in v. 3. Jes. scil. פַּנּוּ, quam verbum regens posterioris membri, scil. יְשָׁרוּ exhibeat? Enim vero hac

ipsa

ipsa concisa locutione, qua verbum posterioris membri substantivo prioris jungitur, subinnuere voluit Johannes Bapt. totum v. 3. immo *totam* istam Jes. Pericopen ad se pertinere.

§. VI.

Jam vero II. quæritur, an recte hoc vaticinium ad Johannem Bapt. Præcursorem Christi, *applicaverint* Evangelistæ? & quo sensu, *litterali* an *mystico*? Recte ad Johannem Bapt. hanc applicationem ab Evangelistis factam esse, & hodienum a Christianis fieri, negant *Judaei*, contendentes, loqui Prophetam unice de gloria Domini revelanda per liberationem populi ex captivitate babylonica; idque vel maxime probare sustinent 1) E nexu Cap. XL. cum Cap. XXXIX. in cujus fine denunciatur Regi Hiskiæ horrendum Dei judicium, scilicet deportatio omnium thesaurorum regiorum, immo & familiæ regiæ in Babylon: Huic enim putant, subjici Cap. XL. consolationem per liberationis miraculosæ promissionem; קוֹל קוֹרֵא itaque esse *vocem* omnium Prophetarum, instaurationem illam prædicentium, v. g. Jeremiæ, Ezechielis, Danielis, Zachariæ; Illam vocem auditam esse *in Judaea*, quæ tum fuerit *desertum*, sive *in Babylone*, quam Judæi habuerint *pro deserto*: *Parandam* ergo fuisse *viam Domini*, h. e. omnia impedimenta removenda, quæ prohibere potuerint, quo minus populus Dei reverteretur Hierosolymam; per deserti enim medium semitas complanandas fuisse Domino, velut revertenti cum populo suo; sic *valles* replendas fuisse, humiles nimirum & pusillanimes recreandos & exaltandos; *montes* contra deprimendos, h. e. Babylonios; *tortuosa* item rectificanda, h. e. instaurationem cultus divini minus legitime hactenus administrati procurandam, Deique verbo conformandam. Idem 2) liquere aiunt Judæi ex locis parallelis variis, v. g. Jes. LXII. 10-12. pro *voce* enim *clamantis plures* ibi induci *clamantes*; pro *deserto* substitui *portas*, ut constaret, sermonem esse de urbe vastata; pro *via Domini* substitui *viam populi*; addi etiam, vexillum erigendum populis, Israëlitis nimirum, congregandis rursus in Regione sua. Idem dici Jes. II. 12. sqq. XLV. 12. sq.

§. VII.

Videndum jam, quid responderi possit ac debeat ad hæc dubia. Sunt α) qui largiuntur, Prophetam in sensu *litterali* loqui de gloria Domini,

revelanda per liberationem populi Judaici ex Captivitate Babylonica, sed iidem contendunt simul, in sensu *mystico* recte a Matthæo & reliquis Evangelistis applicatum fuisse ad Johannem Bapt. Christi Præcursorem. Hanc viam ingressi sunt THOMAS AQUINAS, HUGO *de* S. CARO, MALDONATUS, ALVAREZ, CALVINUS, SPANHEMIUS, RICH. SIMONIUS, PFAFFIUS *in not. ad Matth.* HUGO GROTIUS, qui postremus tamen fatetur, verba hujus Prophetiæ a Deo ita esse directa, ut *simplicius limpidiusque* in *Res Christi*, quam in illas, quas primo significare voluit Jesaias, convenirent. b) Nos vero cum plerisque Interpretibus Christianis, EUSEBIO, HIERONYMO, CYRILLO, PROCOPIO, LYRANO, CALOVIO, MAJO, VITRINGA, SURENHUSIO, WITSIO *in Misc. T. II. p. 524. sq.* aliisque, tuemur, Jesaiam *litteraliter*, adeoque directe & sine typi ambagibus, de Johanne Baptista loqui.

§. VIII.

Rationes nostri asserti damus sequentes: α) Quia Cap. hoc XL. nullo evidenti nexu cnm antec. XXXIX. jungitur; neque enim Præfationem ullam habet, qua doceatur designatio temporis aut occasionis, qua revelatio hæc Prophetæ facta sit; sed post narrationem historicam subjungitur Concio prophetica, cujus argumentum ex ipsa re, verborumque emphasi non ex ea, quæ gratis supponitur, cum antecc. connexione colligi debet: Qua observatione cadit speciosum illud pro Typo argumentum, quasi scilicet hoc vaticinium continere necesse sit consolationem adversus mala, præced. Cap. prænunciata. β) Concesso etiam nexu, qui postulatur, nostra quoque interpretatio validissimam suppeditat adversus prædictas calamitates consolationem. Magna sane contra incussum antea terrorem lætitiæ materies esse debuit populo, quod intelligebat ex hac Prophetia, in ipsa illa terra, a Babyloniis vastanda, labentibus seculis prædicatum iri Regnum Dei, cum *pace* & *veritate* longe luculentiori, quam suis diebus optare Hiskias potuit; ibidem conspectum atque auditum iri primo clarissimum Messiæ Regis Præcursorem, tum & Regem ipsum cum Regni sui gloria. Hæc enim omnia reditum populi in suam terram, Reipublicæ restitutionem, collationemque beneficiorum multo quam unquam ampliorum involvunt.

§. IX.

γ) Totum χῆμα hujus Prophetiæ refragatur alteri illi expositioni. Istud enim non exhibet nobis *populum* aliquem *in exilio agentem*, & *ad sua redi-*

rediturum ; ſed *Deum Jehovam*, tanquam *Magnum* aliquem *Regem*, venturum ad ſuos, & præſentiam ſuam *cum gloria* ſumma ipſi exhibiturum. Non enim dicitur: parate viam *populo*, ſed parate viam *Jehovae*, Deo noſtro; nec ſermo ille *parate viam* dirigitur ad *Gentes*, ut illæ pararent viam *populo Dei*, ſed ad ipſum *Dei populum*, quo Deum ad ſe venturum digne exciperet. δ) Neque populus, ad quem hæc conſolatio dirigitur, ſupponitur eſſe *extra terram*, in exilio, ſed *in terra* ipſa & Hieroſolymis, v. 1. 9. Hieroſolyma & urbes Judæ hic ſupponuntur ſupereſſe, & exſpectare divinam apud ſe φανέρωσιν. ε) Omnia fere Prophetiæ verba auguſtiora ſunt, quam ut implementum illius extra Nov. Teſt. quæri poſſit. Vid. VITRINGA *ad h. l. S. V.* Speciatim præterea ζ) verba v. 3. nulli melius ac plenius, quam Johanni Baptiſtæ conveniunt. Vid. WITSIUS *in Miſc. T. II. p. 527.* η) Paralleliſmus loci Mal. III. 1. omnino poſtulat, ut de Johanne Bapt. hic cogitemus, cum præſertim Marcus duo hæc loca conjungat. Cap. I. 2. 3. Vid. infra Alleg. XIV. not. m). ϑ) Scriptores N. T. diſerte ac directe hanc Prophetiam de Johanne Bapt. exponunt. Quid clarius illa Matthæi formula: οὗτος γάρ ἐστιν ὁ ῥηθεὶς ὑπὸ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου? Plane uti Petrus 1 Ep. II. 25. verba v. 8. ad verbum Evangelii directe refert: *Hoc eſt*, inquiens, illud verbum, quod evangelizatum eſt vobis. ι) Denique non tam abſurdum eſt, ac SPANHEMIUS opinatur, prædictioni calamitatis *imminentis* ſubjici conſolationem *multis poſt ſeculis demum ſecuturam ;* nam vel maxime revelatio Meſſiæ in Palæſtina, uti diximus ſupra lit. γ) certiſſimum pignus erat reditus Judæorum in Palæſtinam [a]).

a) Addi omnino meretur adductis rationibus, quod profecto Johannes Baptiſta verba Jeſaiæ non ad ſe Ipſe applicaſſet, neque Legati Judæorum, Sacerdotes & Levitæ, Viri harum rerum periti, in ejus reſponſione acquieviſſent, ſi alia oraculi prophetici interpretatio inter Judæos exſtitiſſet, vel ſi creditum fuiſſet, impletam jam eſſe hanc promiſſionem per reductionem populi ex Babylone. Inſtant quidem Legati, & quærunt ex Johanne, cur itaque baptizet? Joh. I. 25. nihil vero excipiunt contra applicationem hujus dicti, quam ad ſe Ipſum fecerat Johannes.

VII. ALLEGATUM.

MATTH. IV. 4.

Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπε, γέγραπται, οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος Θεοῦ.

LUC. IV. 4.

Καὶ ἀπεκρίθη Ἰησοῦς πρὸς αὐτὸν λέγων, γέγραπται, ὅτι οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι Θεοῦ.

DEUT. VIII. b)

כִּי לֹא עַל־הַלֶּחֶם לְבַדּוֹ יִחְיֶה הָאָדָם כִּי עַל־כָּל־מוֹצָא פִי־יְהוָה יִחְיֶה הָאָדָם׃

VERSIO LXX.

Ὅτι οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ὁ ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι τῷ ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος Θεοῦ ζήσεται ὁ ἄνθρωπος.

§. I.

Primum hoc est inter Allegata *Christi Ipsius*. Hoc nimirum dicto tentantis Ipsum in deserto Diaboli primum insultum repulit. At varia Pseudocritici desiderant tam in *Allegatione*, quam in *Applicatione* illius. Et I. Quoad *Allegationem* 1) minus curate posterius כִּי versum videtur & a LXX. & ab Evangelistis, Matthæo & Luca, per ἀλλὰ, adeoque adversative, quasi scriptum esset כִּי אִם, quod significat *sed*. Ps. I. 2. cum tamen τὸ כִּי sit particula *causalis*, & hoc quoque loco commode causaliter exponi possit; immo propter accentum Sakeph-katon super הָאָדָם ita exponi debeat, hoc sensu: Non vivit homo pane *solum*, quia omni, quod egreditur ex ore Domini, homo vivit. Unde simul 2) patere videtur, quod ultima verba *homo vivit* non abesse possint, quæ tamen Matthæus & Lucas omit-

b) Pontificii quidem, ut Canonicam auctoritatem Libro Apocrypho asserant, Christum allegasse putant Lib. Sap. XVI. 26. Ὅτι οὐχ αἱ γενέσεις τῶν καρπῶν τρέφουσιν ἄνθρωπον, ἀλλὰ τὸ ῥῆμά σου τοὺς πιστεύοντας διατηρεῖ. At, ut taceamus alia, quis non videt, exactius verba Christi respondere loco Mosis? conf. SONTAGII *Diss. de Allegatis Apocryphis in Codice quatuor Evangelistarum. Alt.* 1716. p. 5.

omittunt, cum LXX. exprimant 3) vocabulo ῥήματι nil respondet in textu hebræo, adeoque de suo id addidisse videntur cum LXX. tum Evangelistæ, contra leges allegandi, quæ prohibent universalius dicta restringere.

§. II.

Respondetur vero ad 1) quocunque modo τὸ בְּ vertas, sensum manere eundem. Sive enim dicas: Non solo pane vivit homo, *sed* omni verbo, quod egreditur ex ore Dei; sive: non solo pane, *quia* omni verbo Domini vivit homo; sensus utrinque idem est. Ad 2) resp. בְּ per *sed* reddito, non opus fuisse, τὸ יִחְיֶה הָאָדָם repetere. Ad 3) denique, quod plus momenti habere videtur, respondetur, τῷ ῥήματι explicationis ergo à Matthæo, & Luca additum fuisse, præeuntibus LXX. quia virtualiter & implicite continetur in Textu hebr. Necessario enim in verbis כָּל־מוֹצָא subaudiendum est nomen דָּבָר, sive dein vertas *rem*, sive *verbum*, nam דָּבָר utrumque significat; uti & græcum ῥῆμα non modo *verbum* notat, sed & *rem*. Luc. I. 37. II. 15. Malim tamen in significatu ordinario accipere pro *verbo*, cum & alibi *egrediens oris* vel *labiorum* idem sit, quod *verbum*. e. g. Num. XXX. 1. 13. XXXII. 24. Deut. XXIII. 23. Jer. XVII. 16. coll. XLIV. 17.

§. III.

II. Quoad *Applicationem*, dictum hoc Mosis alienius videri posset a statu Controversiæ inter Christum & Satanam agitatæ. Moses enim loquitur de *Manna*, ostendens populo, Deum illi Manna e cœlo indulsisse, ut sciret, non *solo pane* sustentari posse ac debere hominem, sed & alia Deo suppetere media ad illum conservandum. Jam vero 1) Christo nec Manna suppetebat in deserto, nec aliud quid, quo famem sedare potuisset; 2) non videtur hoc quicquam facere ad retundendum Satanæ postulatum. Ponamus, hominis vitam non ita pendere a pane, quin aliunde illi possit prospici; tamen hoc non obstabat, quo minus Christus miraculo sibi consuleret, mediis aliis deficientibus, præsertim cum ageretur de gloria Ipsius & confirmatione vocis cœlestis. Cap. III. 17. 3) Diabolus experimentum quærit, an Christus sit *filius Dei?* Christus vero adducit verba, quæ ad *homines mere tales* dicta erant, uti vox ἄνθρωπος docet bis repetita. Immo 4) Christus hic neque negat neque affirmat, se *filium Dei* esse, adeoque non videtur respondere ad quæsitum.

§. IV.

Respondetur ad a) *in genere*, respexisse quidem Mosen ad *Manna* & illius occasione hæc dixisse *in hypothesi*; sed sententiam tamen in se *generalem* esse,

esse, & optime ad quævis alia media similia extendi posse: Nec enim opponit Moses in verbis nostris pani *Manna*, sed quodvis *egrediens ex ore Dei*, hoc est, omne id, quod placet illi adhibere ad sustentationem hominis, *sive* conservare illum velit per media ordinaria, *sive* per extraordinaria; *sive* mediate, *sive* immediate, solo verbo, nutu, virtute. Appositе igitur Christus allegavit hoc dictum: Tentator objiciebat, vel fame ipsi pereundum esse, vel lapides convertendos in panes, alioqui nullum dari ipsius conservandi medium: Immo, inquit Dominus, dantur innumera media alia præter panem; quamcunque enim rem placet Deo adhibere ad sustentationem hominis, ea sufficere potest, vel verbum solum promissionis egrediens ex ore Dei: Nihil ergo causæ esse, cur obsequatur Tentatori, & ad media extraordinaria confugiat, sine necessitate; virtutem enim Dei sibi sufficere, cujus experimentum recens habuerit toto jejunii sui tempore.

§. V.

b) *Speciatim* quoque responderi potest ad singula dubia proposita: & quidem α) ad *primum*; neque Christum verba Mosis *Specialia de Manna* adduxisse, sed *generalia* saltim de quibusvis mediis, quæ Deus, præter panem, ad sustentandum hominem in promptu habeat. β) Ad *secundum*, optime sic retusum fuisse a Christo utrumque Cornu Dilemmatis diabolici, respondendo scilicet, non sibi opus esse miraculo, quo prospiciatur suæ fami, sed pendendum sibi esse a Providentia Patris sui: quum enim is olim prospexerit ingenti multitudini in Deserto, & 40. quidem annis; eundem sibi non defuturum in hoc deserto, ut quem *filium dilectum* haud ita pridem solenni voce renunciasset. γ) Ad *tertium*, falso supponi, quod institutum Christi fuerit, allegatione hac Divinitatem suam probare, cum docere saltim voluerit, esse jam officii sui, ut totus pendeat a Providentia Dei, nec temere ad media extraordinaria confugiat. δ) Ad *quartum* denique, iterum falso supponi, quod Christum oportuerit respondere ad id, quod postulabat Tentator; sufficit, ita respondisse Dominum, ut decebat responderi Tentatori. Non negare decebat Illum divinitatem suam coram Tentatore, nec affirmare: Non *negare*; quia sic negasset veritatem a Patre nuper demum promulgatam: non *affirmare*; quia non jam id agebatur, ut gloriam suam divinam manifestaret, sed ut occultaret potius: Atque hinc sapienter Christus non dicit, *vel* se posse facere, quod petebat Tentator, *vel* se non posse id facere, sed media incedit via, ostendens, non jam necesse esse, ut hoc fiat. Fide in Deum ejusque verbum vincere voluit Diabolum, non Potentia, quod magno nobis solatio est; hinc enim discimus, victoriam a Diabolo non a potentia nostra, quæ nulla est; sed a nostra in Deum fide nobis exspectandam esse.

VIII. AL-

VIII. ALLEGATUM.

MATTH. IV. 6.

Γέγραπται γὰρ, ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σοῦ, καὶ ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσί σε, μήποτε προσκόψῃς πρὸς λίθον τὸν πόδα σου.

LUC. IV. 10.

Γέγραπται γὰρ, ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σοῦ, τοῦ διαφυλάξαί σε καὶ ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσί σε, μήποτε προσκόψῃς πρὸς λίθον τὸν πόδα σου.

PSALM. XCI. 11. 12.

כִּי מַלְאָכָיו יְצַוֶּה־לָּךְ לִשְׁמָרְךָ בְּכָל־דְּרָכֶיךָ׃ עַל־כַּפַּיִם יִשָּׂאוּנְךָ פֶּן־תִּגּוֹף בָּאֶבֶן רַגְלֶךָ׃

VERSIO LXX.

Ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σοῦ, τοῦ διαφυλάξαι σε ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς σου. Ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσί σε, μήποτε προσκόψῃς πρὸς λίθον τὸν πόδα σου.

§. I.

Est hoc oraculum vel ideo memoratu dignum, quod sui generis unicum est, & sine pari in universa Scriptura: nusquam enim, nisi hoc uno loco, Diabolum legimns *Scripturam* allegasse; *Scripturam* inquam, nam dictum divinum allegasse legitur Gen. III. 1. coll. II. 16. 17. Videamus nunc, quid non tam impii Antiscripturarii, quos Evangelistarum & Christi ipsius allegata carpere hactenus vidimus, quam Pii in hoc diaboli allegato jure desiderent.

§. II.

Multi I. *male* etiam *citasse* Satanam contendunt, quia verba hujus oraculi, quæ sibi maxime obstitura viderit, omittendo, illud dolose truncaverit. Omisit enim 1) verba ad custodiendum te בְּכָל־דְּרָכֶיךָ *in omnibus viis tuis*; hæcque suppressisse putant Tentatorem, ne impingi a Domino illi possit, *has non esse vias suas*, e pinnis templi, sine vocatione, sine necessitate, se præcipitem dare. Omisit etiam 2) sequentia: *super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*; se enim his verbis tangi, & sibi illa valere sentiebat. Ita HIERONYMUS, GREGORIUS *Naz.* BERN-

HARDUS, SPANHEMIUS, CALOVIUS, WOLFIUS, aliique. Neque tamen ex altera parte desunt, quibus minus fundata videantur hæc cogitata. ERASMUS *Roterod. ad h. l.* scribit: Calumniatur *Hieronymus* Calumniatorem, quod perperam citarit Scripturæ testimonium, decerpens, quod erat commodum; prætermittens, quod offendebat: Verum opinor, Diabolum ob hoc non vocandum in jus, quod inerudite citarit Scripturam, sed quod malitiose & impie. Idem argumentis quibusdam adstruxit ESROMUS RUDINGERUS, CAMERARII gener, quæ adducit ac laudat SCULTETUS *in Exercc. Evang. L. II. cap. 4.* refutat vero SPANHEMIUS *in Dub. Evang. P.III. p. 274. sq.* SURENHUSIUS quoque *in* Βιβλ. Κατ. *pag. 210 sq.* non sine indignatione rejicit sententiam communem, adductis rationibus quibusdam, quas vero refellit WOLFIUS *in Curis ad h. l.* BENGELIUS denique *in Gnom. ad h. l.* pariter existimat, fraudem Satanæ in *falsa applicatione* potius, quam in *omissione* quærendam esse. *Nostra* sententia omnino non magnopere urgenda est omissio illa, cum & integro loco adducto satis adhuc speciosa fuisset sententia; nec probabile sit, Satanam subtile illud discrimen inter *viam* & *praecipitium* attendisse. Comma vero 13. plane non ad rem faciebat, quam persuadere ausus est Christo.

§. III.

Rectius itaque II. subsistitur in eo, quod Tentator dictum hoc *male applicaverit*. Nolim autem 1) sinistram applicationem in eo quærere, quod ad Christum, *Filium Dei*, applicaverit, quæ fidelibus, *meris hominibus*, dicta sunt. Potuit enim a) Diabolus ex hoc dicto argumentari a minori ad majus: Si de quovis id pio valet, multo magis Tibi valebit, Filio Dei. b) Ipse etiam Christus ministerio Angelorum fruitus est qua homo. conf. v. 11. Sed in eo potius 2) constitit perversa hujus oraculi applicatio, quod a) *Dei verbo* utitur *Dei hostis*, & *rem pessimam* vestit & firmat *verbis optimis*, immo *Deum Deo* opponit, & sanctissimam illius veritatem vertit in patrocinium mendacii. Nam Dei verbum adhibet non ad *docendum*, sed ad *fallendum*. Hoc quippe est Diaboli ingenium, vel ad contemtum, fastidium, odium Scripturarum ducere, vel earum venerationem vertere in occasionem deceptionis. b) Quod *opponit*, quæ *componenda* & *subordinanda* sunt, Providentiam Dei & officium hominis; *promissa* & *praecepta*: vult enim, ut faciat Christus ex fiducia in *promissum* Dei Ps. XCI. quod facere *vetuit* Deus in loco mox a Christo allegando. c) Quod protectionem Dei & curam Angelorum extendit Tentator non tantum ad pericula, quibus objiciuntur præter voluntatem suam Dei Filii, sed etiam ad illa, in quæ ultro se conjiciunt. Atqui Deus tutelam Angelorum pollicetur non in malis, quæ facimus; sed in iis, quæ patimur; non in iis, quæ volentes quærimus; sed in iis, quæ nolentibus nobis inferuntur.

IX. ALLE-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0162
DFG

IX. ALLEGATUM.

MATTH. IV. 7.

Πάλιν γέγραπται, Οὐκ ἐκπειράσεις Κύριον τὸν Θεόν σου.

LUC. IV. 12.

Ὅτι ἔιρηται, Οὐκ ἐκπειράσεις Κύριον τὸν Θεόν σου.

DEUT. VI. 16.

לֹא תְנַסּוּ אֵת־יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם׃

VERSIO LXX.

Οὐκ ἐκπειράσεις Κύριον τὸν Θεόν σου.

§. I.

Opponit hoc oraculum Optimus Servator Tentatori, qui, ut modo vidimus, allegato alio loco Scripturæ eum impellere voluit, ut de pinna templi se demitteret. Ante omnia vero hic notandum est, per τὸ πάλιν non *opponi* dictum dicto, sed unum dictum *exponi* per alterum; quasi dixerit: Si *illud* in Psalmo scriptum; & *hoc* in Lege scriptum est; cum vero Scriptura sibi ipsi non sit adversa, utrumque conjungendum, & unum ex altero exponendum est: *Promissa* divina ad eos tantum pertinent, qui & *praecepta* divina observant.

§. II.

Quod jam I. ad *Allegatum* ipsum spectat, leviculum est, quod in *modo citandi* desiderare quis posset, quod scilicet Christus generalem illam Thesin Legis, in numero *plurali* hebraice enunciatam, græce in *singulari* numero hypothesi suæ attemperarit. Præterquam enim, quod Christus, vel Matthæus potius, innoxie in eo LXX. sequi potuerit; numerum sane pluralem includere singularem, & dicta universis, etiam singulis dicta esse, notum est.

§. III.

II. Quoad *Applicationem* videri posset hic locus eapropter huc non quadrare, quia Satanas Christum allegato suo commovere volebat, ut Deum tentaret ex *praefidentia*, Moses autem de tentatione ex *diffidentia* loquitur, ceu docet collatio hujus loci cum Exod. XVII. 2. 7. ℟. Apud Mosen quidem *occasio Interdicti* erat *specialis*, scilicet diffidentia de Providentia Dei; sed *Interdictum ipsum* est *generale*, prohibens quippe omnem tentationem citra & contra verbum Dei, solicitando ejus patientiam, gratiam, justitiam, veritatem, atque hinc applicabile ad tentationem ex præfidentia æque ac ex diffidentia.

X. ALLEGATUM.

MATTH. IV. 10.

Γέγραπται γὰρ, Κύριον τὸν Θεόν σε προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.

LUC. IV. 8.

Γέγραπται, προσκυνήσεις Κύριον τὸν Θεόν σε, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.

DEUT. VI. 13.

אֶת־יְהוָה אֱלֹהֶיךָ תִּירָא וְאֹתוֹ תַעֲבֹד׃

VERSIO LXX.

Κύριον τὸν Θεόν σε φοβηθήσῃ, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.

§. I.

Verba hæc, quibus tertium Tentatoris impetum repellit Servator, recte & apposite à Christo *applicata* fuisse, nemo est, qui inficias eat; *Allegatio* vero non æque recte se habere videtur. 1) Enim Matthæus verbo תִּירָא, quod cum LXX. φοβηθήσῃ *timebis* reddendum fuisset, substituit προσκυνήσεις *adorabis*. R. Verbum יָרֵא *timuit, reveritus est*, ad Deum relatum, designat *totum cultum religiosum* illi debitum, tam *internum*, qui proprie in *timore* consistit, quam *externum*, qui in *adoratione*; hæcque illius *signum* & *effectus* est. Quid mirum itaque, si Christus per Metonymiam signi pro signato, seu effectus pro causa, adorationem posuit pro timore? Cum præsertim hoc modo Ejus responsum magis directe feriat Tentatorem, v. 9. adorationem sui ab Ipso flagitantem. Promiserat Christo omnia regna mundi, si ipsum adorare vellet; adeoque cultum divinum sibi præstari voluit in omni efficacia, non modo interna illa mentis reverentia ac timore, sed etiam externa illa corporis flexione: Inde respondet illi Jesus non verbo יָרֵא *timere*, sed verbo προσκυνήσεις *adorare*, ut idem illud, quod Satanas sibi postulabat, vindicaret *uni vero Deo*.

§. II.

2) Quod Matthæus hebraicum עָבַד per λατρεύειν vertit, cum δουλεύειν videri posset convenientius, non est, cur ægre quis ferat. Nam ex LXX. scimus,

ſcimus, nihil iis frequentius eſſe, quam עָבַד modo per λατρεύειν, modo per δουλεύειν vertere. HESYCHIUS & *Gloſſarium graecum* λατρεύειν per δουλεύειν interpretantur, & apud profanos Auctores utramque vocem idem ſignificare, ipſe fatetur BELLARMINUS. Synonyma ergo ſunt hæc duo vocabula, unum eundemque cultum denotantia, ut adeo figmentum ſit illa Pontificiorum diſtinctio, qua λατρείαν Deo, δουλείαν vero Angelis & Sanctis tribuunt; δουλεύειν ſane etiam de Deo dicitur Matth. VI. 24. Act. XX. 19. Rom. XIV. 18. uti contra λατρεύειν LXX. uſurpant de opere ſervili hominibus præſtito Num. XXVIII. 18. 25. 26. Quin admiſſa illa diſtinctiuncula Satanas ad elidendum Chriſti reſponſum excipere potuiſſet, non peti a ſe προσκύνησιν λατρείας, ſed δουλείας tantum.

§. III.

3) Additio excluſivæ μόνῳ, cui in Textu hebræo nullum לְבַדּוֹ reſpondet, neque Chriſto, ſi & is in ſermone ſuo adhibuit, neque Matthæo vitio vertenda eſt: a) Quia virtualiter continetur in ipſis verbis Moſis, quod BEZA & GROTIUS ſcite oſtendunt ex vocula אֹתוֹ; efficacius enim dicitur וְאֹתוֹ תַעֲבֹד *& ipſi*, id eſt, Uni & Soli, *ſervies*, quam ſi relativum verbo adhæreret per modum ſuffixi; quemadmodum &, BEZA obſervante, Pſ. II. 7. אַתָּה *tu* idem eſt, quod *tu ſolus*, & quosvis alios excludit. b) Quia res ipſa docet, ſubaudiri debere excluſivam: α) ex natura *ſubjecti*, de quo agitur *h. l.* quæ enim *Deo*, *ut Deo*, debentur, illa *ſoli Deo* debentur, cum quo nulla creatura in ſocietatem *adorationis ſe ingerere* poteſt, ſine *ſacrilegio*; nulla *admitti*, ſine *idololatria*. β) Ex natura *praedicati*, adorationis ſcilicet & cultus religioſi, axiomatis vere ac mere divini & incommunicabilis, quodque vi Præcepti primi nonniſi Deo *uni ac ſoli* competit. c) Quia ſcopus & intentio Legislatoris per Moſen locuti hanc excluſivam poſcit. Intendebat enim, ut contextus docet, adſtringere populum ad *Unius Dei* timorem. Vid. v. 4. & 14. d) Quia τὸ לְבַדּוֹ alibi expreſſe additur. v. g. 1 Sam. VII. 3. וְעִבְדֻהוּ לְבַדּוֹ *& ſervite ipſi ſoli*, quod LXX. reddiderunt δουλεύσατε αὐτῷ μόνῳ. Liquere hinc arbitror, recte additam fuiſſe excluſivam μόνῳ; & cum Chriſtus additionem hanc verbalem approbaverit, Pontificios b. Lutherum ſine ratione criminari, quod in ſimili caſu τὸ μόνον in Verſione ſua addidit: LXX. ſane eandem voculam ſalvo ſenſu inſeruere Gen. III. 11. 17.

XI. ALLEGATUM.

MATTH. IV. 14-16.

Ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου λέγοντος, Γῆ Ζαβουλὼν καὶ γῆ Νεφθαλείμ, ὁδὸν θαλάσσης πέραν τοῦ Ἰορδάνου, Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν, ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει εἶδε φῶς μέγα, καὶ τοῖς καθημένοις ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου φῶς ἀνέτειλεν αὐτοῖς.

JES. VIII. 23. IX. 1.

כִּי לֹא מוּעָף לַאֲשֶׁר מוּצַק לָהּ כָּעֵת הָרִאשׁוֹן הֵקַל אַרְצָה זְבֻלוּן וְאַרְצָה נַפְתָּלִי וְהָאַחֲרוֹן הִכְבִּיד דֶּרֶךְ הַיָּם עֵבֶר הַיַּרְדֵּן גְּלִיל הַגּוֹיִם׃ הָעָם הַהֹלְכִים בַּחֹשֶׁךְ רָאוּ אוֹר גָּדוֹל יֹשְׁבֵי בְּאֶרֶץ צַלְמָוֶת אוֹר נָגַהּ עֲלֵיהֶם׃

VERSIO LXX.

Καὶ οὐκ ἀπορηθήσεται ὁ ἐν σενοχωρίᾳ ὢν ἕως καιροῦ. Τοῦτο πρῶτον πίε. Ταχὺ ποίει χώρα Ζαβουλὼν, καὶ γῆ Νεφθαλείμ, καὶ οἱ λοιποὶ οἱ τὴν παραλίαν, καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν. Ὁ λαὸς ὁ πορευόμενος ἐν σκότει, ἴδετε φῶς μέγα. οἱ κατοικοῦντες ἐν χώρᾳ σκιᾷ θανάτου, φῶς λάμψει ἐφ' ὑμᾶς.

§. I.

Allegat Matthæus hunc Prophetæ locum, poſtquam v. 12. & 13. narraſſet, Jeſum, audita Johannis Baptiſtæ traditione, ſeceſſiſſe in Galilæam, &, relicta Nazaretha, veniſſe ac habitaſſe in Capernaum, urbe maritima, in finibus Zabulon & Nephthalim. Huic vero loco ut ſatisfiat, conſiderabimus I. *Oraculum Propheticum*, & quidem in fonte hebræo, & II. deinceps *Allegationem Matthaei*. De *Applicatione* III. ſubjungenda breves erimus, quod recte illam ſe habere, ex antecedentibus per ſe patebit.

§. II.

Primam vero tractationis noſtræ partem ordimur accuratiore textus prophetici verſione latina, quæ hæc eſto: *Quia non erit ſpiſſa caligo ei,*

ei, c) *cui angustia fuit*; *tempore priori* VILEM FECIT *terram Zabulon & terram Naphthali*, *sed tempore posteriore eam* GLORIFICAVIT, *viâ maris trans Jordanem*, *Galilaeam gentium*. *Populus*, *qui in tenebris incedit*, *vidit lucem magnam*; *incolis terrae umbrae mortis lux splenduit*. His præmissis observetur 1) Nexus hujus orationis cum antecc. quem facit particula כִּי, quæ verba hæc connectit cum toto sermone inde a v. 14. & speciatim cum v. 20. Postquam scilicet in hoc dixisset Propheta, iis, qui non consulturi sint, Legem & Testimonium, non fore *auroram* d); mox v. 21. & 22. docet, fore inter Judæos, & quidem plures, quibus Messias cum nova sua luce exoriturus, *scandalo* esset, (vid. v. 14. & 15.) qui propterea, doctrinam Ejus salutarem repudiantes, inciderent in gravissimas calamitates, ac *spissas tenebras*, & sibi ipsi accelerarent certum exitium, tam temporale quam æternum: Deinde v. 23. & Cap. IX. 1 - 7. alios fore testatur, quibus Messias cum luce gratiæ & consolationis vere appareret, & qui illum cum gaudio ac lætitia summa exciperent, tanquam adepti summam spei ac desiderii sui: Confirmat itaque v. ult. Cap. VIII. & v. 1. Cap. IX. partim quod dixerat v. 14 - 18. de Messia Jehova, futuro quibusdam in sanctuarium, & revelando ut illustri Doctore; partim de ortu *aurorae* v. 20. ita quidem, ut Cap. VIII. 23. & Cap. IX. 1. describat *ortum* hujus auroræ, & ortus *locum*,

c) לַאֲשֶׁר מוּצַק לָהּ. Jure quæras, ad quodnam subjectum pronomina hæc referantur? Respondetur, ad subsequens אֶרֶץ seu אַרְצָה. Id enim non infrequens est, ut relativa ad ea respiciant, quæ in textu demum sequuntur. Exempla collegit GLASSIUS *Phil. S.* p. 715. Quin PFEIFFERUS *in Thes. Herm. p. 362.* etiam בָּהּ v. 21. hujus cap. ad *terram Juda* refert, cujus expressa mentio plane non occurrit. Ita quoque Versio Lutheri: *Und werden im Lande umher gehen.*

d) Qui e loco vexato v. 8. אֲשֶׁר אֵין — לוֹ שָׁחַר ideam *auroræ* exesse jubent, illis quidem in nostra expositione *relatio* illa *auroræ* ad *lucem magnam* perit, cætera vero connexio dictorum propheticorum nihilo minus perstat. Nunquam vero verba ista tam difficilia visa fuissent, nisi אִם לֹא antecedenti, tanquam conjunctioni conditionali, quæsitum fuisset suum consequens, quod non nisi in verbis אֲשֶׁר אֵין לוֹ שָׁחַר deprehendi posse videbatur. Si vero אִם לֹא vertatur per *Certe*, *omnino*, *profecto*, uti 1 Reg. XX. 23. Jer. XXII. 6. &c. conf. NOLDIUS *de Partt. p. 70.* & שָׁחַר dicatur *obscuritas* seu *caligo*, quem significatum vocis, primum adeo & originarium, Scriptura non ignorat, conf. SIMONIS *Arc. form. p. 279.* omnia erunt quam planissima. Scilicet in responsionibus הָאֹבוֹת & הַיִּדְּעֹנִים, utpote הַמְצַפְצְפִים וְהַמְהַגִּים erat spissa caligo: quærat itaque populus Deum suum, & *non* mortuos *quærat* pro viventibus; *faciet hoc* secundum legem & testimonium. Omnino dicat, secundum verbum hoc *faciemus*, cui nihil inest obscuritatis. Si quid itaque ad illustrandum hoc oraculum longius accersitur, nulla certe id sit urgente necessitate.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0167
DFG

locum, & v. 2-6. consequens hujus ortus, lætitiam piorum, cum nova declaratione hujus beneficii. Ad hunc nexum sermonis prophetici solicite attendendum est.

§. III.

Quod vero 2) Locum ipsum attinet; observamus a) LXX. in Versione illius valde infeliciter versatos esse, partim *discerpendo*, quæ cohærent; partim vocibus quibusdam *alienum significatum tribuendo*; partim *omittendo*. Quod ipsum in causa esse videtur, cur Matthæus eos in hoc Allegato deseruerit, sua modo faciens, quæ recte erant translata. cf. VITRINGA *ad h. l.* Observamus b) Versionem latinam supra datam exacte referre lectionem & interpunctionem *Codicis Masorethici*, ac toti contextui esse convenientissimam. Nam α) Propositio, quæ habetur initio v. 23. *non erit spissa caligo ei, cui angustia fuit*, c) vere beneficium & promissionem aliquam continet; ut adeo fallantur, qui versum hunc ad descriptam solum v. 22. calamitatem referunt, ac nil nisi triste in eo reperiunt e. g. SEB. SCHMIDIUS, COCCEJUS & alii. cf. VITRINGA *p. 233.* *Angustia* sane fuit populo Galilææ, cum Deus illum duriter olim tractaret; sed hic promittitur ei, fore ut emergat e tenebris suis. Atque hæc ipsa Propositio generalis β) per partes declaratur in seqq. ubi א) de *angustia* Galilææ dicitur: *Tempore priori*, hoc est sub Vet. Test. *vilipendit Deus terram Sebulon & Naphthali;* & hic notamus, ה in אַרְצָה mere paragogicum esse. Sed *quomodo* vilipendit? ב. Terra Sebulon & Naphthali, pars Galilææ, in omnibus bellis primos semper Syrorum aliorumque hostium aquilonarium impetus sustinere debebat, ejusque incolæ primi quoque à Tiglat-Pul-Assare in captivitatem abducti sunt: At *posteriori tempore*, inquit Propheta, hoc est sub N. T. *gloriosam reddet* Deus istam terram, quæ sita est ad mare, Tiberiados scilicet trans Jordanem, Galilæam gentium.

c) Alium longe sensum his verbis subjecisse *Cel.* G. A. TELLERUM *in Critica Conjecturali V. T.* præmissa KENNICOTTI *Diss. II. super ratione text. hebr. V. T.* qui cum antecedentibus illa connexuit, didici ex D. D. ERNESTI *Theol. Bibl. P. VI. p. 388.* Non repetemus, quæ laudatissimus Censor monuit. At nimiam fore hanc libertatem criticam, quæ divellat & conjungat, prout e re Interpretis esse videatur, nemo in dubium vocabit. Non sunt divinæ originis Accentus hebraici, neque ab Auctoribus Librorum Sacrorum ipsis appositi: At vero plus eis non tribuere, quam interpunctioni Textus græci N. T. tribuimus, quæ Stephano debetur; hoc est, in re historica ipsam historiam nulla attentione dignam judicare.

§. IV.

§. IV.

γ) Verba vero הֵקַל & הִכְבִּיד manifeste omnino antitheta sunt in hoc sensu, ut *illud* significet *levius*, *hoc* autem *gravius affligere*, quod πρῶτον ψεῦδος varias interpretationes spurias peperit. הֵקַל potius notat *vilem fecit* vel *vilipendit*; הִכְבִּיד vero *glorificavit*, vel *gloriosum reddidit*: huncque sensum hic obtinere, probari potest א) ex eo, quod, si *prior* ille admittatur, & הֵקַל Galilæam sub Tiglat-Pul-Assare *levius*, הִכְבִּיד autem eandem sub Salmanassare *gravius afflictam* designet; explicari nequeat, quomodo hæc respondeant Historiæ, cum omnino sub Tiglat-Pul-Assare, jam Galilæi abducti fuerint in Assyriam & Mediam. 2 Reg. XV. 29. ב) הֵקַל, Conj. Hiphil a קָלַל, idem esse ac *vilipendit*, locus docet 2 Sam. XIX. 44. Forsan vero הִכְבִּיד, Conj. Hiphil à כָּבַד, non significat *honorare*, sed *aggravare?* Et fatetur sane VITRINGA *ad h. l.* nullum se exemplum hujus significatus in promtu habere. Sed resp. 1) dari omnino loca, e. g. לְהַכְבִּיד *ad honorificandam te*, ut gloriam tibi arroges 2 Chron. XXV. 19. & וְהִכְבַּדְתִּים *amplificabo eos* Jer. XXX. 19. 2) Cum omnes reliquæ conjugationes hujus verbi, Kal, Niphal, Piel, Hithpaël, utramque significationem & *gravandi* & *honorandi* admittant, quis de una Conj. Hiphil dubitet? 3) ubi voces הֵקַל & הִכְבִּיד sibi invicem contradistinguuntur, *illud* vilipendendi, *hoc* honorandi significatum præ alio requirit, ceu patet ex loco 1 Sam. II. 30, מְכַבְּדַי אֲכַבֵּד *honorantes me honorabo*, וּבֹזַי יֵקָלּוּ *& spernentes me vilipendentur*. 4) Nullus contra allegari potest locus, ubi הֵקַל & הִכְבִּיד significet *levius* & *gravius affligere*. Locus enim 1 Reg. XII. 4. 9. 10. hanc significationem non infert, sed simpliciter notat *levare* & *gravare* cum respectu ad *jugum*, cujus ibi expressa mentio fit, hic vero nulla afflictionis, de cujus levitate & gravitate verba ista exponi possent. cf. OLEARII *Obss. in Matth. p. 137. §. VI.*

§. V.

δ) *Locum*, gloria Messiæ illustrandum, א) in genere designat Propheta, per *terram Zabulon* & *terram Naphthali*, quæ ipsissima est *Galilaea*; & terra quidem Zabulon *inferior* dicta, terra autem Naphthali *superior*; utraque *extima pars* Cananææ septentrionalis, a JOSEPHO *de Bello Jud. L. III. cap. 3.* accurate descripta. ב) Speciatim vero describit Galilæam 1) ut sitam *in via maris*, דֶּרֶךְ הַיָּם, h. e. in regione *versus mare*: ubi per *mare* non

Mare mediterraneum intelligendum est, ac si dicere voluisset Propheta, inde a Jordane usque ad mare mediterraneum h. e. *usque ad confinia Tyri & Sidonis* hanc lucem spargendam esse. Licet enim ex Historia Evangelica constet, Christum ad ipsa confinia Tyri & Sidonis excurrisse, ibique versatum esse, e. g. Matth. XV. 21. Matthæus tamen manifeste supponit, intelligenda esse hæc verba de *Mari Galilaeae*, quod ita vocatur Joh. VI. 1. alibi vero *mare Tiberiados* Joh. XXI. 1. *Lacus Genneſaret* Luc. V. 1. & *mare Cinnereth* Num. XXXIV. 11. Affert enim hunc locum ad probandum, quod Christus in Galilæa, & sigillatim in *Capernaum*, urbe maritima, h. e. ad mare Galilææ sita, habitare debuerit. His vero 2) nova determinatio accedit per verba עֵבֶר הַיַּרְדֵּן πέραν τοῦ Ἰορδάνου, *trans*, vel *cis*, vel *juxta* Jordanem. Ita enim hebræum עֵבֶר & græcum πέραν verti potest pro vario respectu suo, vel *trans* vel *cis*: quæ enim regio *Cis*-Jardenensibus audiebat *Trans*-Jardenensis, eadem *Trans*-Jardenensibus audiebat necessario *Cis*-Jardenensis. Quamvis autem universa terra Jordani proxima, utriusque oræ, & orientalis & occidentalis, sic appellari possit; Jesaias tamen strictius per τὴν πέραν Ἰορδάνου innuisse videtur *tractum illum*, qui mari Galilææ erat ad Septemtrionem, & fere *medius* erat inter *hoc mare* & *Galilaeam gentium*, de qua mox. Pertinet huc inter alias *Regio Decapolitana*, quam Dominus pede suo perambulasse dicitur Marc. VII. 31. coll. Matth. IV. 25. 3) Quum de *Galilaea Gentium* גְּלִיל הַגּוֹיִם in oraculo nostro sermo est, intelligitur per illam *exterior pars Galilaeae superioris, Phœniciae vel terris Gentium, aquilonem versus, proxima;* atque huc pertinent loca N. T. ubi Christus in *confiniis Tyri & Sidonis* fuisse dicitur. Matth. XV. 21. Plura de hac Galilæa Gentium dabit VITRINGA *ad h. l.*

§. VI.

4) *Gloriam* loci hactenus descripti prædicit Jesaias Cap. IX. 1. ubi א) ה demonstrativum in הָעָם docet, respicere Jesaiam h. v. *Subjectum orationis superioris* Cap. VIII. 23. ubi expressa mentio facta erat terræ Zabulon & Naphthali, h. e. incolarum terræ illius, Zabulonitarum & Nephthalitarum; nec ullius alterius subjecti interea meminerat Propheta. Ergo & hic per הָעָם non alius intelligitur populus, quam *Galilaeorum*. Viderint itaque *Judaei*, & cum illis GROTIUS, quomodo applicationem suam ad *populum Hierosolymitanum* ejusque liberationem à Sennacheribo, Rege Assyriæ, quæ sub Hiskia illi contigit, tueri possint. ב) Quando usque ad ortum magnæ illius lucis *ambulasse in tenebris, & sedisse in terra umbrae mortis*

tis dicuntur Galilæi, certo quidem ſenſu de toto id mundo, & ſpeciatim de toto *populo judaico* dici poteſt, quam & applicationem Zacharias facit Luc. I. 78. ſq. ſed tamen ſpecialiſſime quadrat in *Galilaeos* tempore Chriſti: Hi enim 1) *remotiores* erant *ab Hieroſolymis*, ſede præcipua Religionis & Sapientiæ; 2) *Viciniores gentibus*, iisque *corruptiſſimis*, quales Syri & Phœnicii: quin 3) ex parte illis *gentibus permixti*, unde facile ſibi contrahebant labem. Et hoc præcipue reſpectu *Galilaea ſuperior* hic dicitur *terra umbrae mortis*, quod proxima eſſet terræ gentium, & *Galilaei* veluti *obumbrarentur* ab illis populis, apud quos *mors per peccatum* regnabat. Unde & tam contemtim habita fuit apud Judæos Galilæa Joh. I. 47. VII. 52. immo Chriſtus ipſe ſæpius perſtrinxit Galilæorum ſtuporem & animi obdurationem, atque incredulitatem incredibilem Matth. XI. 20. Marc. VI. 4-6. Luc. IV. 14. ſqq. Probe autem obſervandum eſt, rationes has ſpeciales non excludere, ſed ſupponere potius generales illas, omnibus Judæis, immo hominibus communes. 3) Ingens beneficium huic populo conferendum deſcribitur verbis רָאוּ אוֹר גָּדוֹל אוֹר נָגַהּ עֲלֵיהֶם *Viderunt lucem magnam, lux ſplenduit ſuper illis.* Pertinet huc eximia Diſſ. BUDDEI *de Galilaea rebus geſtis & miraculis Chriſti clara*, edita Jenæ 1718. & SAL. DEYLINGII *Obſerv. Miſc. P. II. Exerc. 12. de Galilaea Meſſiae doctrina illuſtranda.* Hinc primum ſtatim miraculum Chriſti in Galilæa factum Joh. II. 11. uti & ultimum Joh. XXI. 1. coll. Matth. XXVI. 32. XXVIII. 7. 10. 16. Hæc ad Textum Hebræum ſufficiant.

§. VII.

Pergimus II. ad *Allegationem* Matthæi; hicque notamus 1) Evangeliſtam ex Cap. VIII. v. 23. Jeſ. *nil niſi deſignationem loci*, quo Chriſtus manifeſtari primum debuerit, ſuam feciſſe, reliquis verbis prætermiſſis, tanquam ad ſcopum ſuum non pertinentibus. cf. SURENHUSIUS *p. 217.* Sufficiebat ſcilicet demonſtraſſe ex Jeſaia, quod Chriſtus, ut nova lux, oriri debuerit in illa ipſa regione, ubi *a tu* poſtea muneris ſui initium fecit, ſcil. in terra Zabulon & terra Naphthali, in via maris, in regione juxta Jordanem, in Galilæa gentium. 2) Matthæus דֶּרֶךְ הַיָּם preſſe & optime cum LXX. vertit per ὁδὸν θαλάσσης, ſubintelligendo particulam κατά. Nam & hebræa dictio elliptica eſt, & ſimilis quædam particnla ſubaudienda. 3) עֵבֶר הַיַּרְדֵּן Matthæus cum iisdem reddidit πέραν τοῦ Ἰορδάνου, & recte. Nam עֵבֶר proprie notat *tranſitum:* tranſitus autem per fluvium fieri poteſt vel a ripa citeriori vel ab ulteriori, adeoque vox iſta, adverbialiter ſumta, ut ſupra jam monuimus, & *trans* & *cis* deſignare poteſt: quod idem &

de græco dicendum est. Nam duplici significatu ad unum reducto, reapse idem notat, quod κατὰ *juxta*, hicque terram innuit, quam fluvius Jordan alluit.

§. VIII.

4) Quando Matthæus hebraicum הָעָם הַהֹלְכִים vertit ὁ λαὸς ὁ καθήμενος æque ac postea hebr. יֹשְׁבֵי per καθημένοις vertit, adeoque diversis verbis unum eundemque significatum tribuere videtur; observandum est, a) nondum constare, annon pro καθήμενος primum scriptum fuerit πορευόμενος. cf. BENGELII *App. Crit. ad Matth. IV. 16.* Atque eadem sane varians lectio in LXX. quoque deprehenditur, cujus exemplaria quædam habent καθήμενος, quædam vero πορευόμενος. b) Quodsi etiam lectio καθήμενος genuina sit, recte tamen Matthæus duas voces hebræas הַהֹלְכִים & יֹשְׁבֵי una eademque græca transfert. Nam καθήμενος simpliciter est *degens alicubi*, quod Hebræi modo *ambulandi* modo *sedendi* verbo exprimunt. Ita GROTIUS *ad h. l.* Quod vero pluralem in singularem transtulit Matthæus, inde factum est, quia nominibus *collectivis*, quale עָם *populus*, apud Hebræos apposite magis subjicitur pluralis numerus, quam apud Græcos. 5.) Denique quando Matthæus hebraica בְּאֶרֶץ צַלְמָוֶת cum LXX. reddit ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου, cum reddere potius debuisse videatur: ἐν χώρᾳ σκιᾶς θανάτου; neminem id male habebit, qui novit, in Scriptura sæpe ἐν διὰ δυς efferri, adeoque & hic dici potuisse, *in regione umbrae mortis.* cf. de hac Figura *Hendyadys* GLASSII *Phil. Sacr. pag. 553. & 688.*

§. IX.

His jam ad oraculum nostrum observatis, non opus erit III. ut & *Applicationem* abs Matthæo factam multis vindicemus. Id unum itaque addimus: Si, quæ v. 5. & 6. Cap. IX. Jes. dicuntur, non conveniunt *Hiskiae*, sed *Christo*, utique nec v. 1. de lætitia Hierosolymæ, ex liberatione à Sennacheribo percipienda, intelligi potest. Tota enim oratio usque ad v. 7. incl. arctissime cohæret. *Litteraliter* itaque de Christo agit hoc oraculum, non *mystice* tantum, nedum per meram *Accommodationem.*

XII. AL-

XII. ALLEGATUM.

MATTH. VIII. 17.

Καὶ πάντας τὰς κακῶς ἔχοντας ἐθεράπευσεν. Ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου λέγοντος, Αὐτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε, καὶ τὰς νόσους ἐβάσασεν.

1 PET. II. 24.

Ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον, ἵνα ταῖς ἁμαρτίαις ἀπογενόμενοι, τῇ δικαιοσύνῃ ζήσωμεν.

JES. LIII. 4.

אָכֵן חֳלָיֵנוּ הוּא נָשָׂא וּמַכְאֹבֵינוּ סְבָלָם׃

VERSIO LXX.

Οὗτος f) τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, καὶ περὶ ἡμῶν ὀδυνᾶται.

§. I.

Præter Cap. LIII. Jeſ. vix datur alia pericope V. T. ad quam tam ſæpe reſpexerint Scriptores N. T. quamque tam frequenter in uſus ſuos verterint, demonſtraturi, nihil factum eſſe in Jeſu Nazareno, quod non prædictum fuerit à Prophetis. Produci poſſunt viginti circiter loca N. T. in quibus id vel magis vel minus prolixe factum eſt, citatis modo his, modo illis Pericopes iſtius verbis. conf. etiam infra *Alleg.* XXXIV. verſus finem. Hoc loco hæremus in iis, quæ Matthæus inde depromſit, vere & proprie, ut verba ejus teſtantur, *allegans:* junximus tamen locum Petrinum, quia alio Evangeliſta, alio Apoſtolus, ſenſu & ſcopo verba Prophetæ adhibuerunt. Monebimus vero I. nonnulla circa *Allegationem* Matthæi, dicturi deinceps II. de ejusdem *Applicatione* dicti prophetici.

f) Sic *Edit. Breitingeriana; Reinecciana* vero, *Frickiana* & *Francofurtenſis* apud Hæredes Wechelii 1597. & ſine dubio pleræque aliæ, habent ἕτος. De Lectionis varietate tacent omnes. Certum eſt, ἕτος hebraico אָכֵן minus reſpondere, quam ἄτως, quod ipſum tamen illud non plane exprimere, mox dicetur. Forſan ex ὅντως per Librariorum errorem natum eſt ὅυτως; facillime enim ν & υ permutantur, Spirituum vero diſcrimen antiquitas plane ignoraſſe cenſetur: & ὅυτως deinceps non minus facile tranſiit in ἕυτος. Sed deſtituunt conjecturam Subſidia Critica.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0173
DFG

§. II.

Quod itaque I. ad *Allegationem* attinet, 1) de Verſione LXX. obſervamus, accurationem in vertendo jure in ea deſiderari. Nam אָכֵן non ſignificat ὄντως, ſed *profecto, ſane, utique;* quare SYMMACHUS melius vertit ὄντως. Neque חֳלָיֵנוּ ἁμαρτίαν notat, ſed ἀσθένειαν *infirmitatem*, & ἁμαρτίας in ſequentibus demum mentio fit. Liberius quoque ultima verba transtulerunt, omiſſum מַכְאֹבֵינוּ *dolores noſtros* compenſantes quidem verbo ὀδυνᾶται, *dolet*, ſed omittentes verbum emphaticum סָבַל. Itaque 2) preſſius omnino verba Prophetæ ſecutus eſt Matthæus: Vocis אָכֵן quidem nullam eum rationem habuiſſe, haud mirum eſt, cum ſuffecerit, ipſam propoſitionem integram, absque Syncategoremate illo, allegaſſe. Reliqua autem verba exacte Textum hebræum referunt: Αὐτὸς (inquit, exprimens ſic hebræum הוּא) τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε, καὶ τὰς νόσους ἐβάσασε. חֳלָיֵנוּ ſane à חָלָה *infirmus fuit* optime exprimitur per ἀσθένειαν; hebræo נָשָׂא non minus reſpondet græcum λαμβάνειν, duo inferens, *auferre* onus ab aliquo, & *in ſe ſuſcipere;* hebræum מַכְאֹבֵינוּ proprie quidem *dolores* ſignificat, ſed metonymice etiam *morbos*, cauſas dolorum; & verbum סָבַל melius exponi nequivit, quam per βασάζειν [g]). Atque ſic expedita ſunt omnia quoad *Citationem.*

§. III.

At vero II. quoad *Applicationem* a Matthæo factam, dubium eſſe poſſet, an recte ſe habeat? [h]) Videtur enim Evangeliſta 1) verba Prophetæ

g) Utrumque verbum hebr. נָשָׂא & סָבַל Petrus una voce expreſſit ἀνήνεγκεν, peccata noſtra *ſurſum tulit* in lignum. Lutherus: *Er hat unſere Sünden* geopfert *auf dem Holz;* quod, ut exegeſis recte ſe habet, ſecus vero ut mera verſio. Idem valet de loco Hebr. IX. 28. Quotiescunque ἀναφέρειν ſignificat *offerre*, expreſſa ſive *ſacrificii* ſive *altaris* mentio adjicitur. Ipſa quoque phraſis, *Chriſtus habe unſere Sünden geopfert*, incommodi quid habet, quamvis explicari ſatis commode poſſit.

h) Deſiderari hic poſſet, quod non demonſtraverit b. Auctor, Vaticinium Jeſaiæ *litteraliter* agere de Chriſto, quod ad vindicandam Matthæi *applicationem* ante omnia fieri debuiſſe videtur. Sed hoc infra ab Ipſo factum eſt *Alleg.* XXXIII. *Marc.* XV. 28. ubi idoneis argumentis adſtruitur, totum Cap. LIII. Jeſ. non admittere aliud ſubjectum, niſi Chriſtum. Ait Dn. ERNESTI *Neueſte Theol. Bibl. P. I. p. 308. Hier, Matth. VIII. 17. iſt ein unläugbares Exempel einer Accommodation von einer prophetiſchen Stelle.* Non vero Vir ſummus plus dicere voluiſſe videtur, quam *hoc etiam ſenſu* in Chriſto impletum fuiſſe, quod Propheta de Eodem & hoc & alio ſenſu prædixerat. Alias enim *Accommodatio* eſt, quando ad Chriſtum applicantur, quæ *de alio ſubjecto* a Prophetis & dicta fuerunt & intellecta.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0174
DFG

tæ alio, quam quo ſpectant, torquere, dum ad *morbos corporis* transfert, quæ de *morbis animi* dicta ſunt; & de his quoque exponuntur a Petro l. c. Videtur 2) imminuere vim verborum נָשָׂא & סָבַל; neque enim Chriſtus, quos morbos curavit, eos in ſe ſuſcepit. Videtur 3) Lectorum animos a ſublimioris rei cogitatione abſtrahere, dum aſſerit, miraculoſis iſtis ſanationibus *impletum* fuiſſe vaticinium Jeſaiæ.

§. IV.

His dubiis obviam ituri Eruditi varias ineunt vias. a) GROTIUS ad ὅπως πληρωθῇ ſequentia annotat: ſicut veterum res geſtæ rerum Chriſti figuram habuerunt, ita & ipſius Chriſti actiones aliæ aliis denotandis inſervierunt. Nam beneficium corporibus redditæ ſanitatis quin figuram remiſſionis peccatorum & ſanatarum mentium tulerit, dubitari non poteſt. Bis ergo impletum eſt vaticinium; *primo*, cum Chriſtus *ſemet defatigans ad veſperam usque* aliorum morbis levandis vacavit, ut hic oſtendit Matthæus; *ſecundo*, cum *crucis ſupplicium perferens* remiſſionem peccatorum nobis impetravit, ut docet Petrus 1 Ep. II. 24. Patet hinc, reſpondere GROTIUM ad Imum dubium, quod recte Matthæus ad ſanationes *corporum* retulerit, quæ Jeſaias de ſanatione *animarum* dixerit, quia hanc adumbraverint iſtæ; ad 2) quod emphaſi verborum נָשָׂא & סָבַל eapropter nil decedat per hanc applicationem, quia Chriſtus ſanationes illas *non ſine moleſtia* ſuſceperit, adeoque vere dici poſſit morbos hominum, tanquam *onus* quoddam *portaſſe*; ad 3) quod impletum etiam dici poſſit id, quod impleri cœpit. Placuit hæc ſententia HAMMONDO, CLERICO, aliisque.

§. V.

b) CALOVIUS *in Bibl. Illuſtr.* agere Prophetam cenſet de pœnis peccatorum a Chriſto portatis, ſicque adeo de animæ doloribus, quos Chriſtus in ſe ſuſceperit, recte quidem iſta accipi; ſed Matthæum tamen non minus recte ad liberationem a morbis corporis illa retuliſſe, quoniam obſtructo venenato peccatorum fonte, unde ſcaturiant morbi, hi non immerito ablati cenſeantur, cum impetrata remiſſione culpæ nullus pœnæ locus ſuperſit: Etſi enim maneant infirmitates adhuc *corporaliter*, piosque affligant in hoc ſeculo; non tamen pœnæ amplius rationem habere, adeoque, expiato peccato, omnes vere ac *ſpiritualiter* curatas eſſe. Quamvis vero hæc omnia in ſe vere dicantur, ad conciliationem tamen Matthæi cum Jeſaia non facere, OLEARIUS *in Obſs in Matthæum p. 254.* inde arguit, quia Matthæo non de *ſpirituali* morborum curatione, qua deſinunt pœnæ eſſe, ſed de *corporali* ſermo ſit.

§. VI.

§. VI.

c) CHEMNITIUS *in Harm. Evang.* teſtimonium Jeſaiæ a Matthæo ad Hiſtoriam miraculoſarum Chriſti ſanationum ideo accommodari putat, ut oſtendat, tot miracula, quæ Jeſus ediderit, non hoc docere, quaſi venerit in mundum, ut eſſet excellens vel Medicus vel Chirurgus; ſed externa hæc miraculorum ſpectacula præmonſtraſſe, fore, ut in hac perſona impleretur, quod apud Jeſaiam de redemtione a peccato & morte æterna ſcriptum eſt, Eumque tam promptum eſſe atque potentem ad tollendas ſpirituales ac æternas miſerias noſtras, quam promtum ſe ac potentem exhibuit ad tollendos corporis morbos; hinc Matthæum dicere, in eo, quod oculis ſuis videbant homines iſtius ætatis, impleri cœpiſſe, quod Jeſaias ait: Ipſe infirmitates noſtras portavit. Sed mireris, CHEMNITIO meram hic *accommodationem* potuiſſe in mentem venire, cum ex ejus ſententia ἵνα πληρωθῇ plus non ſignificet, quam *ut indicium fieret ac ſignificaretur*. Chriſtum animas æque curaturum, ac corpora hactenus curaverit. Vid. OLEARIUS *l. c. p. 255.*

§. VII.

d) Ipſe OLEARIUS *cit. loco* ita conciliare ſtudet Jeſaiam & Matthæum, ut α) dicat, Matthæum non alio ſenſu Chriſtum hominum morbos βαστάσαι, *portaſſe*, dicere, quam quod *pro ſanandis illis curam geſſerit*, huicque operæ *non ſine defatigatione ſui* vacaverit; deinde vero β) verba Jeſaiæ non ut confeſſionem fidelium de Paſſione Chriſti, ſed ut ſarcaſmum hoſtium Ejus conſideret, Ipſi e cruce pendenti acclamantium: Certe infirmitatibus noſtris mederi voluit, hocque operis ſibi datum putavit, ut morbos noſtros ſanaret: at *Eumne nos aeſtimemus?* וְאֲנַחְנוּ חֲשַׁבְנֵהוּ ? qui jam quaſſatus, percuſſus & afflictus a Deo ipſo & auxilii inops deprehenditur? Ut adeo, ex mente OLEARII, verba hæc reapſe idem dicant, quod illa Matth. XXVII. 42. *Aliis auxilium tulit, ſibi ipſi ferre non poteſt.* Sed nullus dubito, multos ſoliditatem magis quam ingenium deſideraturos eſſe in hac expoſitione. Eodem ſane Cap. LIII. Jeſ. phraſis *portare peccata* bis occurrit v. 11. & 12. & hoc quidem ſenſu, ut ſatisfactionem Chriſti vicariam denotet. Qui ergo verba נָשָׂא & כָּבַל v. 4. aliud quid ſignificent?

§. VIII.

Noſtra vero ſi e) ſententia dicenda ſit, exiſtimamus omnino, interpretationes hactenus adductas omnes habere aliquid ex vero, nullam vero plene, quod res eſt, dicere. Statuimus itaque, Jeſ. LIII. per *morbos* intelligi morbos *animi* pariter ac *corporis*, cum & hi pertineant ad *pœnas*

nas peccati ; utrosque etiam Christus *tuliſſe* dicitur a Jeſaia: i) Morbos *animi* ita, ut pro illis, per imputationem in ſe translatis, ſatisfecerit, quod Petrus præcipue urget l. c. Morbos vero *Corporis* ita, ut eos ab ægrotis *abſtulerit*, quo poſteriori reſpectu dictum allegatur abs Matthæo: Scilicet, uti una eſt animi & corporis corruptela, uni peccato debita, ita & Medicus Chriſtus unam utrique opem, ut res ferebat, præſtitit; utrumque etiam *eadem poteſtate* ab Ipſo factum; utrumque ſæpius actu conjunctum fuit Matth. IX. 5. 6. immo idcirco ea auctoritate Chriſtus morbos ſuſtulit, quia pro peccatis, morbi cauſis, ſpoponderat, & ſatisfacturus quoque erat. k)

i) Quæris: Unde hoc conſtat? Reſpondeo, ex ipſa hac Allegatione Matthæi. Neque ſic tamen circulum committo, ſed dictum V. T. face colluſtro, quam N. T. mihi præbet. Invenio *in Proleg. Edit. Breit. Vers. LXX. Tom. III.* pl. h. 3) Summaria Prophetiæ Jeſ. ex Codice Antiquiſſimo, ſub alia licet partitione, a maſorethica multum diſcrepante, deſcripta, ubi Cap. μθ΄ i. e. XXXXIV. quod cum noſtro Cap. LIII. vi antecc. & conſeqq. coincidit, inſcribitur: περὶ χριστοῦ προφητεία, καὶ τῶν ἀσθενειῶν τῶν εἰς ψυχὴν καὶ εἰς σῶμα γενομένων ὑπ' αὐτοῦ. Unde certe conſtat, antiquiſſimo tempore creditum fuiſſe, de morbis *& animæ & corporis* à Chriſto ſublatis Jeſaiam prophetaſſe. Faciunt huc omnino verba Ill. MICHAELIS *in der Einleitung in die göttl. Schrifften N. B. P. I. p. 75. Wann es uns ſchwer wird, aus dem alten Teſtament ſelbſt zu ſehen, daß die Stellen wirklich von der Materie handeln, davon ſie im Neuen angeführt werden, ſo ſind offt nicht die Apoſtel, ſondern wir und unſere Unwiſſenheit der hebräiſchen Sprache anzuklagen. Ich habe diß in meiner Zugabe zu der neunten Vorleſung des Lowth bey einer der ſchwerſten Stellen, nehmlich Rom. X. 7. in einem Beyſpiel zu zeigen Gelegenheit gefunden. Da mir auch ſonſt ſo viel andere Schwierigkeiten, die mir zuerſt unüberwindlich ſchienen, bey genauerer Prüfung des hebräiſchen Texts verſchwunden ſind, und ich aufrichtig bekennen muß, einige der beſten Aufklärungen deſſelben, die ich ſonſt nirgends antreffen können, bloß dem Apoſtel Paulo zu danken zu haben; ſo koſtet mir die Beſcheidenheit nicht mehr viel Mühe, mir ſelbſt verdächtig zu ſeyn, wann meine Erklärung von der Seinigen verſchieden iſt.* Si quis quærat, unde factum ſit, ut unquam Interpretes chriſtiani dubitarent, num ipſi, an Apoſtoli ſcripta prophetica rectius explicare norint? habeo, quod reſpondeam.

k) Medicum ſpiritualem decuit etiam corporis morbos depellere ab iis, qui ei occurrebant. Igitur *hoc quoque modo* impletum eſt, quod dictum eſt per Jeſaiam. Unus homo corpore & anima conſtat: una animi & corporis corruptela: unam utrique opem, ut res ferebat, hic Medicus præſtitit. Sunt verba BENGELII *in Gnom. ad h. l.* qui inter veteres Theologos ad retundendum Socinianorum argumentum ex hoc loco deſumtum, metu ne nimium concedant adverſariis, reſponderunt: Matthæum *directe & principaliter* animi mala reſpexiſſe; *indirecte* vero, *minus principaliter*, & *per quandam ſubordinationem & conſequentiam* languores corporis: (vid. DORSCHEI *Theol. Zach. P. I. p. 253.*) illi *Allegationem* Matthæi non bene tuiti eſſe videntur. Id non *indirecte* tantum & *minus principaliter* Matthæus intendiſſe dici poteſt, cujus gratia Prophetam allegavit. Debent, ut ita dicam, pari hic paſſu ambulare animi & corporis infirmitates, ſi τῷ ὅπως πληρωθῇ ſua vis, ſuus honos conſtare debeat. Multo vero latius patere ſenſum oraculi, quatenus ad morbos animi ſpectat, quam quatenus ad morbos corporis, perſpicuum eſt. Medicum corporis Chriſtus egit, ubi Ipſi in terris verſanti homines variis morbis affecti offerebantur, quibus opem tulit, ut demonſtraret ſe Meſſiam ac Deum æque miſericordem ac potentem: Idem vero per ea ipſa quæ tum facta ſunt, apud nos quoque hodienum demonſtratur. Animorum contra ſanatio omnium & locorum eſt & temporum.

XIII. ALLEGATUM.

MATTH. IX. 13.

Πορευθέντες δὲ μάθετε, τί ἐστιν, ἔλεον θέλω, καὶ ὐ θυσίαν.

MATTH. XII. 7.

Εἰ δὲ ἐγνώκειτε, τί ἐστιν, ἔλεον θέλω, καὶ ὐ θυσίαν.

HOS. VI. 6.

כִּי חֶסֶד חָפַצְתִּי וְלֹא־זָבַח׃

VERSIO LXX.

Διότι ἔλεος θέλω καὶ ὐ θυσίαν.

§. I.

Sunt hæc verba pars reſponſionis, quam Servator Phariſæis dedit, qui converſationem Ejus cum publicanis & peccatoribus ægre ferebant. Dicendum hic I. de *Formula allegandi*, qua Chriſtus uſus eſt; II. de *Allegatione* ipſa; & III. de *Applicatione* hujus dicti. *Formula* I. *allegandi* Majeſtate allegantis digniſſima eſt: 1) Enim μετ' ἐξουσίας *repellit* importunos diſputatores; 2) ad ſcripturam illos ablegat, non ac ſi Ipſe ejus auctoritate niteretur, ſed ut adverſarii convincantur ex ea, cum Ipſi nollent credere; 3) *diſcere* jubet eos, qui *docere* Ipſum volebant, & Cap. XII. 7. eorum, qui ſibi jam videbantur Doctores conſummati eſſe, ignorantiam coarguit; & 4) per verba, huic Allegato immediate ſubjuncta, & quidem in eadem perſona prima, haud obſcure ſignificat, ſe eſſe illum ipſum, qui apud Prophetam iſta locutus ſit: quæ enim addit: *Non veni &c.* ita profert, quaſi æque ac τὸ ἔλεον θέλω &c. in ſcriptura continerentur.

§. II.

II. *Allegatum* ipsum exacte respondet Textui hebræo. Nam 1) hebraicum חֶסֶד, *gratia*, optime vertitur per ἔλεος, *misericordia;* de tali enim gratia sermo est, quæ ægris medicam fert opem, & quidem non apud *Matthaeum* tantum, quod docet v. 12. Allegatum immediate præcedens, Οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες: sed etiam apud *Prophetam*, quod liquet ex Hos. VI. 1. & V. 13. Utrimque vero innuitur Gratia seu Misericordia Dei erga Peccatores, quam & homines imitari debent; scientes, opus esse plane divinum, Dei fugitivos ad Deum retrahere, atque sic æternæ eorum saluti consulere. 2) Verbum quidem חָפֵץ dilutius verti videtur per θέλω, cum illud non *simplex velle* innuat, sed *velle cum delectatione & complacentia.* Enimvero verbum חָפֵץ sæpe ita vertitur à LXX. e. g. 1 Sam. XVIII. 22. 25. & græcum θέλω sæpe in N. T. significat *cum prolubio velle* Marc. XII. 38. Col. II. 18. involvitque tum voluntatem *singularis complacentiae*, respectu misericordiæ, qua Deus fertur in miseros; tum voluntatem *praecepti*, populo præscripti ac sæpius per Prophetas repetiti, respectu misericordiæ, qua Deum imitari debemus.

§. III.

3) Absolutam negationem καὶ ϐ, quæ plane respondet hebraico וְלֹא, temperat quasi in Textu hebræo præfixum מ in sequenti מִעֹלוֹת; quod indicio est, hanc quoque negationem *comparative* intelligendam esse, respectu Vet. Test. ubi omnino etiam Sacrificia voluit Deus, & se iis delectari testatus est; sed *magis tamen* Ipsi placuit ille animi habitus internus, qui sacrificia cuncta demum Eidem grata reddebat per pœnitentiam & fidem. Ex altera vero parte antecedens absoluta negatio sequentem comparativam acuit, respectu Novi Test. in quo plane nullam in Sacrificiis Leviticis amplius habet complacentiam, quin & V. T. quatenus jam tum plane fastidivit sacrificia, sine pœnitentia ac fide oblata. Certe præfixum מ simpliciter notat electionem unius præ alio, ex certa & justa causa, ut cum amatur bonum *prae* malo, & Publicanus justificatus est *prae* Pharisæo Luc. XVIII. 14. conf. de מ hoc sensu præfixo Ps. CXVIII. 8. 9. & de Sacrificiis, non absolute, sed sub conditione pœnitentiæ ac fidei Deo placentibus Hos. V. 6. Ps. L. 5. 8. seqq. 1 Sam. XV. 22. Ps. XL. 7. LXIX. 33. Jes. I. 11. seqq. Jer. VII. 22. 23. Mich. VI. 7. 8. [1]) 4) Hebraicum

1) De Valore Sacrificiorum *relativo* abunde disseruimus in Tr. *de Remissione Pecc. sub Vet. & sub N. Test.* Cap. IV. §. 106. seqq.

cum זֶבַח *Sacrificium* SEB. SCHMIDIUS, in ſpecie exponit de Sacrificio *pacifico, vom Dankopfer*, Exod. XXIV. 5. Lev. III. 1. quod cum proximo, Sacerdotibus & Levitis, domeſticis & amicis invitatis comedi ſolebat, miſſis etiam partibus ad pauperes. Atque id pulcre ſane congruit cum illa Textus noſtri circumſtantia, quando Chriſtus in convivio locum hunc allegaſſe dicitur v. 10. Interea tamen nec hoc emphaſi caret, ſi זֶבַח omne genus ſacrificii notet, עֹלוֹת vero ſpeciem nobiliſſimam, *holocauſta*, & vel *de his quoque* negetur, ea *praecipuum* illud eſſe, quod in cultu ſui attendat Deus.

§. IV.

III. Quoad *Applicationem* hujus oraculi a Chriſto factam 1) obſervamus, quod Chriſtus docere illo voluerit, recte ſe feciſſe, cum occaſionem ſibi oblatam peccatores ad Deum reducendi captaret, hocque eximium opus miſericordiæ illis præſtaret, quoniam & Deus, vi oraculi hujus, *majori cum voluptate* ſuam erga illos *miſericordiam demonſtret*, quam *ſacrificia* ab illis *accipiat*: oportere igitur adverſarios ſuos factum ſuum, ut menti divinæ prorſus conforme, laudare potius quam vituperare. Quum vero 2) Judæi huic Chriſti effato opponunt illa Vet. Teſt. dicta, ubi Deus ſacrificia totumque cultum cerimonialem inſtituiſſe & approbaſſe dicitur; non modo *Deum Deo opponunt*, cum Chriſtus Dei dictum ex Hoſea alleget, quod abſurdorum abſurdiſſimum eſt; ſed etiam Theſin hanc, quam vel ſola ratio abhorret, tueri neceſſum habent, quod Lex cerimonialis *perfectior* ſit, adeoque & cultus in illa præſcriptus *Deo magis placeat*, quam Lex moralis, cultusque quem illa præcipue urget, internus. Defendere ſane hoc monſtrum opinionis conatus eſt *Judaeus Eruditus* LIMBORCHII, cui vero ſolide hic obviam ivit in *Amica Collatione* cum Illo, Cap. II. toto, quod legi meretur.

XIV. ALLEGATUM.

MATTH. XI. 10.

Οὗτος γάρ ἐστι, περὶ οὗ γέγραπται, Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου.

MARC. I. 2. m)

Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου.

LUC. VII. 27.

Οὗτός ἐστι περὶ οὗ γέγραπται, Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου.

MAL. III. 1.

הִנְנִי שֹׁלֵחַ מַלְאָכִי וּפִנָּה־דֶרֶךְ לְפָנָי׃

VERSIO LXX.

Ἰδοὺ ἐγὼ ἐξαποστέλλω (vel ἐξαποστελῶ uti alia Exemplaria legunt) τὸν ἄγγελόν μου, καὶ ἐπιβλέψεται ὁδὸν πρὸ προσώπου μου.

§. I.

Discimus ex hisce tribus Evangelistarum Allegationibus, Viros hos θεοπνεύστους non juravisse in Verba Versionis LXX. à qua omnes discedunt, uti inter se omnes conveniunt. Illi enim pro ἐξαποστέλλω vel ἐξαποστε-

m) Præmisit Marcus formulam allegandi ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις, vel, ut alia lectio habet, ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ; jungit enim statim his Malachiæ verbis illa Jesaiæ Cap. LX. 3. de quibus supra Alleg. 27. Utra lectio alteri præferenda sit, nondum evictum fuit. BEZA adeo totum Malachiæ locum ex albo in contextum Marci irrepsisse (non sine specie ait Beng.) conjicit. Neque vero etiam sine exemplo esset, in Allegato, ex *pluribus* Prophetis desumto, unum *tantum* nominari. conf. omnino BENGELIUS *ad h. l.* tam *in Appar. Crit.* quam *in Gnom.*

ποσελῶ ponunt ἀποσέλλω; post ἄγγελόν μου addunt πρὸ προσώπου σου; conjunctioni καὶ substituunt pronomen ὅς; translationem verbi פִּנָּה per ἐπιβλέψεται corrigunt verbo κατασκευάσει; substantivo ὁδὸν adjiciunt σοῦ, & προσώπου μου mutant in ἔμπροσθέν σου. Negari vero omnino nequit, Metaphrasin Versionis LXX. pressius inhærere Textui hebraico; Evangelistas contra in sua translatione aliquanto liberius versatos fuisse.

§. II.

Eo magis itaque I. videndum est, quomodo *Allegatio* Illorum conciliari possit cum verbis Prophetæ? Præcipua difficultas se prodit in eo, quod Evangelistæ primam personam in לְפָנַי, *ante faciem meam*, convertunt in secundam, vertentes ἔμπροσθέν σου; &, ne casu id factum videretur, antecedentium quoque Metaphrasin huic sensui accommodant, post דַּרְכְּךָ ὁδὸν inserentes σου, & post ἄγγελόν μου itidem πρὸ προσώπου σου; cum tamen nec voculæ σοῦ, nec phrasi πρὸ προσώπου σου in Textu hebræo quicquam respondeat. Quomodo igitur Conciliatio instituenda est?

§. III.

1) FAUST. SOCINUS *in Anti-Wiecko Cl. I. Arg. XI.* ex hac diversitate Prophetæ & Evangelistarum colligit, aliter olim lectum fuisse in Cod. Hebræo, ita nempe, ut locus apud Evangelistas exstet. Enimvero nulla varietas lectionis in Codicibus seu Versionibus antiquis unquam potuit deprehendi, cum tamen, quia omnes tres Evangelistæ eandem lectionem exhibent, Codices illam habentes tam frequentes esse debuerint, ut vix credibile sit, illam paulo post aboleri penitus potuisse. Neque procedit hæc Consequentia: Christus diserte ait: Hic est, *de quo scriptum est;* ergo ne apicem quidem aliter retulit, quam apud Malachiam invenit. Quasi vero, quæ, sensu legitime servato, e Vet. Test. allegantur, *scripta* ibi dici nequeant, nisi omnes apices allegando serventur.

§. IV.

2) SURENHUSIUS *in* Βιβλ. Κατ. *p. 228.* ita mederi vult dubio huic, ut dicat, nil insoliti a Jesu hic factum esse, quando locum Malachiæ allegaverit per γέγραπται, & tamen quædam *immutaverit* in eo, quædam *adjecerit*, quia reliquis Judæorum Theologis id solenne fuerit. Sed nescio, an honori servatoris sic satis consultum sit. Melius se habet, quod

pag.

pag. 229. subjicit Vir doctissimus, scilicet integrum Christo fuisse, *a verbis* oraculorum Vet. Test. quæ allegaret, aliquantum recedere, quia *Clavis* Scripturæ sacræ *penes ipsum* fuerit. Is sane, cujus Spiritus per Prophetas olim locutus est, ἐξουσίαν habuit, sua Ipsius, vel Spiritus sui verba, sub Nova Oeconomia, ad majorem rei elucidationem, *citando simul explicandi*, tanquam *Exegeta Summus*. Joh. I. 18. Quod vero per Exegesin Ejus oraculo Malachiæ nulla fuerit vis illata, probari jam debet ac potest.

§. V.

3) Ita nimirum res se habet: a) Apud *Malachiam* loquitur Pater & Filius, ac suo uterque nomine dicit: *Coram me;* apud *Matthaeum* vero Christus occultat quasi divinam suam majestatem, quam sermo apud Malachiam præ se fert, sub tali orationis schemate, quo citatum oraculum magis sermo Patris ad Filium esse videtur, quam Ipsius Filii: Eadem fere ratione, qua *Templum*, quod *Filii* esse dicitur apud Malachiam, postea à Filio, in statu Exinanitionis versante, domus *Patris* appellatur. Joh. II. 16. 17. Neque tamen b) nullum hoc modo pro Deitate Christi argumentum ex hoc Allegato desumi potest. Eo ipso enim, dum apud *Matthaeum* Angelus Præcursor *Christo* parasse viam, apud *Malachiam* vero *Jehovae* via paranda dicitur, Christus haud obscure innuit, se esse *Jehovam illum*, qui miserit hunc Angelum, & cui viam is paraverit.

§. VI.

Superest jam II. ut de justa hujus oraculi ad Johannem Baptistam *Applicatione* paucula adspergamus. Qua in re 1) Judæos deprehendimus in meridie hic caligantes. R. SALOMON per Angelum Prodromum intelligit *Angelum mortis*, qui vacuam facturus sit viam improborum coram Domino, & cuique redditurus sit secundum opera sua; ABEN ESRA *Messiam, Filium Josephi*, extra scripturas confictum; ABARBANEL ipsum Prophetam *Malachiam;* KIMCHI *Angelum cœlestem*, conferens Exod. XXIII. 20. quæ vero somnia recitasse, est refutasse.

§. VII.

Nemini vero 2) omnia Textus prædicata melius conveniunt, quam *Johanni Baptistae*. Hic enim a) *Angelus Dei* fuit, non quidem, quod natura Angelus humano corpore vestitus fuerit, uti ORIGENES somniavit;

erat

erat enim verus homo Joh. I. 6. neque ob *vitam angelicam*, in eo se exserentem, *quod*, quemadmodum Angeli infantiam non habeant, ita & Baptista sex tantum menses infantiæ habuerit, jam tum prophetans instar adulti Luc. I. 41. *quod* fere sine cibo ac potu vixerit instar Angeli; *quod* Angelicam virginitatem semper servaverit; *quod* inde a puero contemplationi vacaverit in eremo, cum Deo & Angelis conversatus, *quod* que gratiam acceptam peccando nunquam amiserit; quæ CORN. *a* LAPIDE sunt deliria: Sed axioma *Angeli Dei* ipsi competit, quod revera *Nuncius Dei* fuit, à Deo missus. Joh. I. 6. 33. b) *Johannes Baptista* proximus Malachiæ Propheta, neque ullus inter utrumque *Propheta Canonicus* fuit, id quod probatum dedit VITRINGA *in Obss. S. L. VI. c. 14. §. I. - III.* qui idem etiam in sequentibus indaginem instituit rationum, quare Deus post Malachiam usque ad tempus Novi Test. nullos Ecclesiæ dederit Prophetas Canonicos. Cum ergo Malachias uti Angelum Fœderis ipsum, ita & Angelum ejus Prodromum *cito* venturum dicat, utrumque *pridem* venisse oportet; & si Ille in persona Jesu Nazareni, hic vero in persona Johannis Bapt. non venit: Judæi vel fateri tenentur, Prophetiam fefellisse, vel in alio, & Prodromo & Messia, illam impletam fuisse, ostendere necessum habent. c) Johannes Baptista actu paravit viam Jehovæ per concionem pœnitentiæ & testimonium de Christo, sicque corda filiorum ad Patres convertit. [n]) Matth. III. 2. 3. Joh. I. 29. Luc. I. 16. 17. d) Omnia argumenta, quæ probant, in Christo impletum esse alterum membrum vaticinii de *Angelo Fœderis*, simul etiam probant, prius membrum de *Angelo Prodromo* in Præcursore Ejus Johanne Baptista impletum fuisse.

n) Apud Lucam C. I. 17. tantum est, Johannem conversurum esse *corda Patrum ad Filios*; sed Mal. IV. 6. tum hoc, tum etiam *cor Filiorum ad Patres* convertendum dicitur. Sensus est Patres *cum* Filiis, & Filios *cum* Patribus conversum iri. conf. BENGELIUS *ad Luc. I. 17.* & LILIENTHALIUS *l. c. p. 961.*

XV. AL-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0184
DFG

XV. ALLEGATUM.

MATTH. XII. 3. 4.

Ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, οὐκ ἀνέγνωτε, τί ἐποίησε Δαυὶδ, ὅτε ἐπείνασεν αὐτὸς καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ; πῶς εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ, καὶ τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως ἔφαγεν, οὓς οὐκ ἐξὸν ἦν αὐτῷ φαγεῖν, οὐδὲ τοῖς μετ' αὐτοῦ, εἰ μὴ τοῖς ἱερεῦσι μόνοις.

MARC. II. 25. 26.

Καὶ αὐτὸς ἔλεγεν αὐτοῖς, οὐδέποτε ἀνέγνωτε, τί ἐποίησε Δαυὶδ, ὅτε χρείαν ἔσχε καὶ ἐπείνασεν αὐτὸς καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ; πῶς εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ ἐπὶ Ἀβιάθαρ τοῦ Ἀρχιερέως, καὶ τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως ἔφαγεν οὓς οὐκ ἔξεστι φαγεῖν, εἰ μὴ τοῖς Ἱερεῦσι, καὶ ἔδωκε καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ οὖσι.

LUC. VI. 3. 4.

Καὶ ἀποκριθεὶς πρὸς αὐτοὺς εἶπεν ὁ Ἰησοῦς, οὐδὲ τοῦτο ἀνέγνωτε, ὃ ἐποίησε Δαυὶδ, ὁπότε ἐπείνασεν αὐτὸς καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ ὄντες; ὡς εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ, καὶ τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως ἔλαβε, καὶ ἔφαγε, καὶ ἔδωκε καὶ τοῖς μετ' αὐτοῦ, οὓς οὐκ ἔξεστι φαγεῖν, εἰ μὴ μόνους τοὺς ἱερεῖς.

1 SAM. XXI. 6.

וַיִּתֶּן־לוֹ הַכֹּהֵן קֹדֶשׁ כִּי לֹא־הָיָה שָׁם לֶחֶם כִּי־אִם־לֶחֶם הַפָּנִים הַמּוּסָרִים מִלִּפְנֵי יְהוָה לָשׂוּם לֶחֶם חֹם בְּיוֹם הֻלְקָחוֹ׃

VERSIO LXX.

Καὶ ἔδωκεν αὐτῷ Ἀβιμέλεχ °) ὁ Ἱερεὺς τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως, ὅτι οὐκ ἦν ἐκεῖ ἄρτος, (ὅτι) ἀλλ' ἢ ἄρτοι τοῦ προσώπου οἱ ἀφῃρημένοι ἐκ προσώπου κυρίου τοῦ παρατεθῆναι ἄρτον θερμὸν ἢ ἡμέρᾳ ἔλαβεν αὐτούς.

§. I.

(o) Aliquoties in hoc Capite Ἀβιμέλεχ legitur pro Ἀχιμέλεχ, non tantum contra textum hebr. sed etiam contra ipsum LXX. interpr. usum in sequentibus. v. 8. & Cap. XII. 11. 14. 16. 20. quos eapropter notavit CARPZOVIUS *in Crit. S. p. 529.*

§. I.

Est hoc Allegatum non *dicti*, sed *facti* alicujus in Vet. Test. atque a Christo adhibetur ad tuendum discipulorum *factum*, quum scilicet die Sabbathi spicas fricarent. *Formula allegandi*, qua Christus utitur, οὐκ ἀνέγνωτε, Majestate allegantis iterum dignissima est: Dubia vero, Allegatum hoc prementia, concernunt I. *Allegationem* ipsam, prout a Christo & Evangelistis facta est; ægre enim conciliari posse videtur cum loco 1 Sam. XXI. 6. 1) Quod *Marcus*, factum hoc Davidis allegans, illud sub *Abjathare*, Pontifice maximo, contigisse affirmat, cum tamen 1 Sam. XXI. 2. *Achimelech* tunc temporis Pontifex maximus fuisse asseratur; *Abjathar* vero illius filius v. 20. & postquam Saulis laniena effugisset, *Achimelechi*, Patris sui, Successor a Davide constitutus fuerit, quo officio etiam functus fuit per totum Davidis imperium, a Salomone tandem illo motus & relegatus. 1 Reg. II. 27. 35.

§. II.

Nodus hic a) BERNH. LAMIO *in Harm. p. 214.* adeo visus est insolubilis, ut nil ausus sit definire. b) BEZA, cum, ἐπὶ Ἀβιάθαρ τοῦ ἀρχιερέως, non legeret in Codice Cantabrigiensi, suspicatus est, verba hæc ex albo, ubi male fuerint adscripta, forte in contextum irrepsisse; cui non refragatur MORINUS *in Exerct. Bibl. de Textus Sinceritate p. 42.* Sed longe probabilius est, verba hæc, a Syro interprete agnita, & in cunctis reliquis Codicibus obvia, cum vetustissimorum Patrum ingenia jam exercuerint, ab audaculis quibusdam ex isto Codice expuncta fuisse, ob insuperabilem eis visam difficultatem.

§. III.

c) Alii, ut CHRYSOSTOMUS *in Matth. h. l.* HILLERUS *in Onom. S. p. 731. 735.* GLASSIUS *in Phil. S. p. 256. 1319.* RUSIUS *in Harm. Evang. T. I. p. 662.* statuunt, διώνυμον hoc est *binominem* fuisse *Achimelechum*, & *Abjatharem* quoque dictum, quemadmodum *Abjathar* contra *Achimelech* quoque dictus fuerit, ut adeo uterque modo *Achimelech* modo *Abjathar* diceretur. Hique α) *fieri* his in locis *potuisse* istam nominis permutationem ex eo probant, quod illa alias quoque in Scriptura satis frequens sit; Ita enim v. g. quem Matthæus *Matthaeum* appellet Cap. IX. 5. a Marco Cap. II. 14. & Luca Cap. V. 27. 29. *Levi appellari.* β) *Revera* & *Achimelechum*

lechum & Abjatharem binominem fuisse, ita ut *ille* in Scriptura quandoque *Abjathar*, *hic Achimelech* dicatur, RUSIUS *cit. loco* inde manifestum esse putat, quod idem, qui *Achimelech* vel *Abimelech* dicatur 2 Sam. VIII. 17. 1 Chron. XVIII. (germ. XIX.) 16. XXIV. (germ. XXV.) 3. *Abjathar* appelletur 1 Chron. XV. (germ. XVI.) 11. 2 Sam. XV. 29. 35. XX. 25. 1 Reg. II. 26. 27. 35. Plura addit laudatus Auctor. Cf. etiam *Diss.* J. A. OSIANDRI *in h. l.* Tub. 1751. [p])

§. IV.

d) GROTIUS, CALOVIUS, WOLFIUS aliique existimant, Abjatharem, filium, hic a Marco nominari pro Achimelecho, Patre, quia *notior* in sacris, præsertim in Historia Davidis, ipso Patre, & tunc temporis, cum hæc agerentur, parentis vicarius fuerit; quibus binis rationibus CHEMNITIUS tertiam addit, Abjatharem scilicet eapropter nominari præ Achimelecho, ne per Achimelechi cædem Deus quasi improbasse vi-

 dere-

p) Cum plures hæc sententia Patronos invenerit, quam reliquarum nulla, vim argumenti, quo nititur, paululum explicabimus: Nimirum Achimelecho cum tota domo a Saule interfecto, effugit solus *Abjathar*, filius, qui cum Amiculo sacerdotali ad Davidem Kegilam venit, & postea apud eundem remansit. 1 Sam. XXII. 18. 20. XXIII. 6. Cum Davides post mortem Saulis regnum in ordinem redegisset, & muneribus publicis, quos volebat, admovisset; ter sacerdotes, summi nimirum, recensentur Zadoc & *Achimelech, filius Abjatharis* 2 Sam. VIII. 17, 1 Chron. XIX. 16. XXV. 6. ita vero recensentur, ut Zadoc primas semper teneret. Duo vero Sacerdotes summi sub regno Davidis inde orti videntur, quod Zadocum, post interfectum Achimelechum a Saule legitime constitutum, ab officio demrbare noluit, & Abjatharem tamen, exilii comitem 1 Reg. II. 26. & Achimelechi, Davidis causa interfecti, filium, præmii loco evehere voluit. cf. LUNDIUS *Jüdische Heiligth. p. 494.* Postero tempore Zadoc fidem regi servavit, *Abjathar* vero ad Adoniæ partes defecit 1 Reg. I. 7. II. 22. a Salomone eapropter ab officio motus 1 Reg. II. 26. uno sacerdote Zadoco confirmato v. 34. cui deinceps alius Abjathar adjunctus fuit Cap. IV. 4. nisi quidem ista recensio ad initia statim regiminis Salomonei referenda est. Jam vero, si *eadem* persona, *idem* Sacerdos, sæpius *Abjathar*, ter autem 2 Sam. VIII. 17. 1 Chron. XIX. 16. & XXV. 6. *Achimelech, filius Abjatharis*, nominatur; quis non videat, *binominem* illum fuisse, simulque etiam Patrem ipsius & *Achimelechum* dictum fuisse & *Abjatharem*? Qui, ut ludant hanc ἀπόδειξιν, tres Sacerdotes statuunt, *Abjatharem*, quem Marcus intendat, Hierosolymis commorantem, & *Achimelechum*, filium Abjatharis, & *Zadocum*, Gibeæ versantes, qui Vicarii fuerint Summi Sacerdotis; ii non attendunt, *Achimelechum* & *Zadocum* inter Principes & Amicos Davidis nominari, nullum *Abjatharem*. Vid. BUDDEI *Hist. Eccl. V. T. T. II. p. 189.* Præterea, si concedamus, ἐπὶ latius quandoque sumi, & hic sumi posse; nulla tamen apparet ratio, cur a *secundo* Sacerdote, nec potius à *primo*, Zadoco, ista temporis periodus designata fuerit. cf. 2 Sam. XV. 24. sqq. sumatur, nostra pace, denominatio ætatis Davidis a Sacerdote; sed cur ab Abjathare, qui secundas tenebat, & quidem *in* re, quæ sub ejus sacerdotio non contigerat?

deretur hoc Davidis factum, quod Abjatharis simili facto & conservatione, quin & ad pontificalem dignitatem evectione pariter ac crudelis in Achimelecho patratæ cædis reprehensione in Ps. LII. potius approbare voluerit. Vid. WOLFIUS *in Curis ad h. l.*

§. V.

e) Rursum alii in Præpositione ἐπὶ remedium huic dubio quærunt. Ita enim α) HAMMONDUS voculam ἐπὶ in aliqua *latitudine* accipiendam putat, ut non tam notet, *sub ipso* Abjatharis Pontificatu id contigisse, quam *eo* id *tempore* factum esse, quod *proxime secutus sit* Abjatharis pontificatus: ita enim ϐ) & particulam *sub* à Latinis sæpe adhiberi, ut cum dicant *sub finem* libri, i. e. paulo ante finem libri, vel *sub* illud tempus, hoc est, *um selbige Zeit; nicht, zur selbigen Zeit.* Quin & γ) ἐπὶ hoc sensu occurrere Matth. I. 11. ubi ἐπὶ μετοικεσίας aperte significet *circa tempus* deportationis, vel *paulo ante* deportationem, cum non *sub* ea, sed *ante* eam Josias genuerit Jechoniam & fratres ejus. Jer. XXIV. 1. δ) ut *temporis*, ita & *loci* distantiam aliquam τὸ ἐπὶ notare, ut Matth. XXI. 19. ἐπὶ τῆς ὁδοῦ, ubi Marcus habeat μακρόθεν. ε) Addit BENGELIUS, similem locutionem deprehendi Gen. II. 2. *die septimo*, & Cap. X. 25. *in diebus* Peleg (paulo post nati) divisa terra; atque hæc omnia profecto magna cum specie dicuntur.

§. VI.

Sed opponunt alii loca, ubi particula ἐπὶ aperte non viciniam alicujus temporis, sed ipsum illud tempus designet e. g. Luc. III. 2. ἐπ' ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα, ubi recte Lutherus vertit, *da Hannas und Caiphas Hoheprieſter waren:* Cap. IV. 27. ἐπὶ Ἐλισσαίου *zu des Propheten Eliſ us Zeiten:* Act. XI. 28. ἐπὶ Κλαυδίου Καίσαρος *ſub* Cæsare Claudio: quamquam & hic non desit, quod responderi queat; Scilicet non negari, quod ἐπὶ quandoque, immo plerumque præcise hoc vel illud tempus notet, illique factum, quo de sermo est, assignet; inde vero non sequi, quod nullibi *latius* sumenda sit illa particula, contrarium certe loca citata evincunt. Ad minimum *Hammondiana* hæc expositio melior est illa, quam β) CLERICUS *in Not. ad Hamm.* eidem substituit, ἐπὶ vertens per *ad*. ut sensus sit, Davidem adiisse domum Dei, id est, in Ædes Pontificis Maximi ad Tabernaculum sitas, quas non solum Achimelech, Pater, sed etiam Abjathar, filius, inhabitarit, quo pacto ἐπὶ Ἀβιάθαρ τοῦ ἀρχιερέως idem foret, ac *ad* Abjatharem Pontificem. At recte alii, e. g. ELSNERUS, WOLFIUS, RUSIUS, obvertunt, ϐ) ἐπὶ, cum *ad* significet, non solere construi cum *genitivo*,

nitivo, ut hic fiat, ſed cum *accuſativo* cf. Marc. II. 13. ἐπ' αὐτόν. 2) Cum Abjathar hic expreſſe Pontifex Maximus appelletur, neceſſe eſſe, ut dicatur, Eum vocari Pontificem Maximum, non quaſi tum jam fuerit, ſed quod paulo poſt futurus eſſet; quæ ſane *Prolepſis* durior eſt, quam ſi voculæ ἐπὶ latitudinem aliquam tribuas, non ſine auctoritate ipſius Scripturæ. Quodſi vero noſtra jam danda ſit ἐπίκρισις, facile intelligi poteſt ex ante dictis, quintæ nos palmam deferre, quæ Hammondi eſt. cf. BENGELIUS *in Gnom. ad h. l.*

§. VII.

2) Alterum dubium circa Allegationem à Chriſto & Evangeliſtis factam huc redit, quod Evangeliſtæ videantur in eo Vet. Teſt. contrarii, dum *aliquos Davidis comites* memorant, eosque una cum Davide panes propoſitionis comediſſe aiunt, cum tamen 1 Sam. XXI. 1. Achimelechus Davidem ita fuerit allocutus: *Quare Tu ſolus ades, & nemo Tecum?* Hinc ſane falſi Evangeliſtas arguit R. ISAAC *in Chiſſuk Emunah P. II. nr. 28.* cujus vero criminationes retuderunt e Noſtris WAGENSEILIUS *in Tel. ign. Sat. p. 419. ſq.* & BRAND. HENR. GEBHARDI *in C. Locis N. T. ab Iſaaci depravatione vindicatis, loco 28.* & ex Reformatis JAC. GUSSETIUS *in Opere poſth. adv. illum.* KIDDERUS *in Demonſtr. Meſſiae P. II. p. 188. ſqq.* Nimirum in fumum abit hæc ἐναντιοφάνεια, ſi totam hiſtoriam 1 Sam. XXI. 1-6. relatam in nexu ſuo conſideremus: Ex v. 1. omnino recte colligitur, *Davidem ſolum* ad Achimelechum veniſſe, unde & hic his eum verbis excipere potuit: Quare Tu ſolus ades, & nemo Tecum? Neque opus eſt, ut cum quibusdam v. g. LIGHTFOOTO & RVSIO dicamus, לְבַדֶּךָ non *abſolute* ſed *comparate* ſumendum eſſe, reſpectu ſolitæ multitudinis Miniſtrorum & comitatus, quo ſtipari alias ſolebat David; plane potius absque comitatu eum ſe adire videbat Achimelech: poſtquam vero audiviſſet abs Davide v. 2. pueros ſecum eſſe, qui extra urbem ejus reditum præſtolentur, ipſe etiam Achimelech puerorum mentionem facit v. 4. & cum David eos legaliter puros declaraſſet, panes propoſitionis eidem tradit, ad ſedandam & ſuam & puerorum famem. Quæ cum ita ſe habeant, mirum ſane eſt, in mentem venire cuiquam potuiſſe, quod v. 1. cit. Cap. falſi convincat Evangeliſtas, dum narrant, Davidem comites viæ tum habuiſſe, hosque Panes propoſitionis cum Ipſo comediſſe.

§. VIII.

Pergimus II. ad Vindicias *Applicationis*. Recte vero a Chriſto *applicatum* fuiſſe hoc Davidis factum, tanquam realem Apologiam facti diſci-

pulorum a Phariſæis in jus vocati, 1) in genere ſic probari poteſt: Lex de *Sabbatho*, quouſque cerimonialis eſt, & Lex de *Panibus propoſitionis* nonniſi a Sacerdotibus comedendis Deut. XXIV. 9. utraque pari paſſu ambulant, h. e. ambæ ſunt rituales. Quod ergo Davidi licuit contra hanc, ſi ῥητὸν ejus ſpectetis, idem & licuit Diſcipulis meis contra illam: Licuit vero *illi* eſurienti cum ſuis, adeoque in *caſu neceſſitatis*: Ergo & *his* in eodem caſu verſantibus. Nimirum inter omnes exceptiones, quæ tacite inſunt Legibus, nulla eſt aut receptior aut juſtior, quam ea, quæ fluit ex neceſſitate. Hinc bene SENECA: Neceſſitas magnum humanæ imbecillitatis patrocinium; quicquid cogit, excuſat. Quæ enim neceſſitas jubet, nunquam ſunt contra διάνοιαν Legis, licet contra ῥητὸν, & quo ſapientior eſt Legislator, eo magis caſum neceſſitatis exemiſſe cenſendus eſt.

§. IX.

Magnum vero 2) huic argumento generali robur accedit, ſi probari poteſt, Davidis factum æque ac Diſcipulorum incidiſſe *in Sabbathum*. Atqui probavit iſtud LIGHTFOOTUS *ad h. l.* argumentis non contemnendis, adſtipulante LUNDIO *in den jüdiſchen Heiligth. p. 128.* & BENGELIO *in der Harmonie der 4 Evang. p. 304. ſqq* qui & addit, die ſeq. fuiſſe *Novilunium* ex 1 Sam. XX. 5. 18. Judæos autem Sabbatho Novilunium immediate præcedenti legere ſueviſſe Textum 1 Sam. XX. 18-42. Quia tum maxime valebat Jonathanis illud ad Davidem v. 18. מָחָר הַחֹדֶשׁ *Morgen iſt der Neumond:* Cum ergo Diſcipuli Jeſu itidem Sabbatho ante Novilunium ſpicas evellerent, ſapienter eos & valde appoſite Chriſtum defendiſſe exemplo Davidis. Atque ſic concidit objectio: Davidis exemplum minus congrue afferri pro excuſandis Diſcipulis propter ea, quod nihil habeat hoc exemplum de Sabbatho, de quo tamen tum erat controverſia. 3) Stringi denique poteſt argumentum hoc ex eo, quod apud ipſos Judæos, facta ex ejusmodi exemplis heroicis inductione, hæc invaluit Regula, *Ad imperium Prophetae* (ut talis erat David) *quodcunque Legis praeceptum intrepide poſſe violari, excepto illo de Unius Dei cultu.* Vid. GROTIUS *de Verit. Rel. Chriſt. L. V. §. VI. cum annott.* & OLEARIUS *in Obſs. in Matth. p. 370.*

XVI. AL-

XVI. ALLEGATUM.

MATTH. XII. 5. 6.

Ἢ οὐκ ἐγνώκειτε ἐν τῷ νόμῳ, ὅτι τοῖς σάββασιν οἱ ἱερεῖς ἐν τῷ ἱερῷ τὸ σάββατον βεβηλοῦσι, καὶ ἀναίτιοί εἰσι; λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι τοῦ ἱεροῦ μείζων ἐστὶν ὧδε.

EX LEGE MOSIS.

§. I.

Non est *Dicti*, vel *certi* alicujus *Facti* Allegatum, sed *ejus*, quod *omni Sabbatho fieri solebat in Templo.* Continetur vero illo Argumentatio *a Minori ad majus*, quam GROTIUS ita format: Lex Sabbathi eam recipit interpretationem, ut non obstet *operibus Templi*; ergo nec *propheticis operibus* obstare debet. *Antecedens* probatur v. 5. *ex Lege*, quæ sacrificia præcipiebat die Sabbathi, non sine opere servili peragenda, Num. XXVIII. 9. etsi eadem præceperat, *non faciendum opus in Sabbatho.* Exod. XX. 10. Consentiebat quoque notissima consuetudo, neminem offendens; unde Regula erat Juris Judaici: *In Templo non esse Sabbathum. Consequentiam* probat Christus v. 6. Sabbathum inquit cedit Templo; violari enim illud omni Sabbatho videtis propter ministerium in Templo peragendum, victimas mactando, excoriando, mundando, secando, ignem struendo &c. quæ omnia facere non liceret, nisi Sabbathum cederet Templo ejusque cultui; hincque Sacerdotes non habetis pro Sabbathi profanatoribus aut transgressoribus Legis. Atqui vero *hic is est*, qui *major est Templo* v. 6. scilicet Messias, Dominus Templi Mal. III. 1. adeoque multo magis Dominus Sabbathi v. 8. hoc enim cedit Templo, & Templum Domino Templi. Quodsi itaque Templi Ministerium excusat opera alioqui servilia, multo magis discipulos meos, Sabbatho spicas evellentes, sicque famem sedantes, excusabit præsentia mea, & ministerium mihi exhibitum.

§. II.

Sed dicat aliquis: Templi ritus observari non poterant, nisi labor aliquis die Sabbathi susciperetur: quæ autem talis connexio est inter propheticum Christi Ejusque Apostolorum munus, & inter Spicarum evulsionem? R. Ista, quod Christus Ejusque Apostoli ita occupati fuerunt in obeundo suo munere, ut non vacaret Ipsis, cibum sibi parare in diem Sabbathi. Aut ergo intermittere debuerunt munus propheticum, aut facere contra τὸ ῥητὸν Legis de Sabbatho: Sacerdotale autem munus non intermittebatur ob Legem Sabbathi; igitur nec propheticum, quod majus erat, intermitti eo nomine debebat.

XVII. ALLEGATUM.

MATTH. XII. 17 - 21.

Ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου λέγοντος, Ἰδοὺ ὁ παῖς μου, ὃν ᾑρέτισα· ὁ ἀγαπητός μου, εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου· θήσω τὸ πνεῦμά μου ἐπ' αὐτὸν, καὶ κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ· οὐκ ἐρίσει, οὐδὲ κραυγάσει· οὐδὲ ἀκούσει τις ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτοῦ· Κάλαμον συντετριμμένον οὐ κατεάξει, καὶ λίνον τυφόμενον οὐ σβέσει ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν· καὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι·

JES. XLII. 1 - 4.

הֵן עַבְדִּי אֶתְמָךְ־בּוֹ בְּחִירִי רָצְתָה נַפְשִׁי נָתַתִּי רוּחִי עָלָיו מִשְׁפָּט לַגּוֹיִם יוֹצִיא׃ לֹא יִצְעַק וְלֹא יִשָּׂא
וְלֹא־יַשְׁמִיעַ בַּחוּץ קוֹלוֹ׃ קָנֶה רָצוּץ לֹא יִשְׁבּוֹר וּפִשְׁתָּה כֵהָה לֹא יְכַבֶּנָּה לֶאֱמֶת יוֹצִיא מִשְׁפָּט׃ לֹא
יִכְהֶה וְלֹא יָרוּץ עַד־יָשִׂים בָּאָרֶץ מִשְׁפָּט וְלְתוֹרָתוֹ אִיִּים יְיַחֵלוּ׃

VERSIO LXX.

Ἰακὼβ [9]) ὁ παῖς μου, ἀντιλήψομαι αὐτοῦ. Ἰσραὴλ ὁ ἐκλεκτός μου, προσεδέξατο αὐτὸν ἡ ψυχή μου, ἔδωκα τὸ πνεῦμά μου ἐπ' αὐτὸν, κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἐξοίσει, οὐ κράξεται, οὐδὲ ἀνήσει, οὐδὲ ἀκουσθήσεται ἔξω ἡ φωνὴ αὐτοῦ. Κάλαμον συντεθλασμένον οὐ συντρίψει, καὶ λίνον καπνιζόμενον οὐ σβέσει, ἀλλὰ εἰς ἀλήθειαν ἐξοίσει κρίσιν, ἀναλάμψει καὶ οὐ θραυσθήσεται, ἕως ἂν θῇ ἐπὶ τῆς γῆς κρίσιν, καὶ ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσιν.

§. I.

9) Infra dicetur §. IX. ORIGENEM jam hæc duo nomina Ἰακὼβ & Ἰσραὴλ obelo notasse. Cum vero ista hic in limine non possint non Lectorem offendere, statim subjicimus, quæ GROTIUS *ad Matth. XII. 18.* annotavit: Legi scilicet apud EUSEBIUM *in Demonstr. Evang. L. IX.* παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα ὠφέλησαι τὸ τοῦ Ἰακὼβ καὶ τὸ τοῦ Ἰσραὴλ ὄνομα. Quibus de Verbis *Eusebii* lis est inter *Grotium* & *Calovium*; num dicere velit: Nomina hæc obelo notata fuisse in LXX. à Criticis, quia viderint, ista in Textu hebræo non exstare? Quæ *Grotii* sententia est; an vero, notata fuisse, quia in genuinis Versionis LXX. Editionibus omissa sint? Quæ *Calovii*. Difficile erit, pro alterutro pronunciare. Verosimillimum est, *Origenem* obelo confixisse omnia, quæ in Hebræo ipse non reperiebat, sive deinceps primi Interpretes ipsi ab eo recesserint, sive Librarii græco scripturæ textui, explicationis gratia, aliqua addiderint. Vid. *Versionis LXX. Edit. Breiting. T. IV. Proleg. Cap. II. §. 11.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0192
DFG

§. I.

In Allegato hoc valde copioso I. *Allegatio* ipsa expendenda, seu versio Matthæi cum Textu hebræo concilianda; II. vero *Applicatio* dicti prophetici vindicanda erit. In *Allegatione* I. ipsa plura occurrunt, quæ attentione nostra digna sunt: 1) Quidem voculam הִנֵּה *Ecce* male a LXX. &, qui hos secutus est, Arabe, omissam, ob emphasin, quam hoc præcipue loco habet, recte Matthæus retinuit, & expressit per ἰδού. Vid. de hac particula GLASSIUS *in Phil S. p. 973.* Neque 2) peccavit, hebræum עֶבֶד, servus, vertendo παῖς, puer, ita enim τοῖς LXX. עֶבֶד sæpissime παῖς dicitur: & in N. T. duo hæc nomina promiscue usurpantur; quem enim Matthæus Cap. VIII. 6. παῖδα vocat, eum mox v. 9. δοῦλον appellat, coll. Luc. VII. 2. 7. Quin & apud ipsos Hebræos עֶבֶד, *servus*, & נַעַר, *puer*, æquipollent. conf. GLASSII *Phil. S. p. 1936.* Unde & cum Christus Act. III. 13. 26. IV. 27. 30. ὁ παῖς τοῦ Θεοῦ appellatur, LUTHERUS hoc nomen melius vertisset *Knecht oder Diener*, uti Cap. IV. 25. quam *Kind.*

§. II.

3) Magis vero dubium videri posset, an verbum תָּמַךְ apte satis translatum sit per ἀιρετίζειν, cum illud longe aliud quid significet, quam hoc. Nam a) תָּמַךְ, si KIMCHIUM & ABARBANELEM, si *judaicam Versionem germanicam*, si MUNSTERUM & VATABLUM, si GROTIUM audiamus, significat *inniti alicui*; nec dissentit SEB. SCHMIDIUS, vertens, *in quem incumbam.* KIMCHI in specie similitudinem sumtam esse arbitratur à Rege, qui servum fidum, cui innitatur, habeat, qualis Naaman fuit 2 Reg. V. 18. Cum autem hic alia phrasis occurrat, scilicet נִשְׁעַן עַל יָדַי; תָּמַךְ vero, præcipue cum ב constructum, nunquam significet *inniti alicui*, sed semper *prehendere, tenere, sustinere* vel *sustentare* v. g. Exod. XVII. 12. Ps. XLI. 13. cum præsertim verbum hoc paulo ante Cap. XLI. 10. indubie hoc sensu adhibeatur: recte & hoc loco sic accipitur, nimirum in significatu *prehendendi, tenendi, sustentandi.* At vero b) neque huic significatui apud Matthæum respondere videtur verbum ἠρέτισα, quod *elegi* potius significat, & à Luthero quoque sic versum est, quam *sustentavi*, quem significatum magis adhuc præ se fert verbum ἀντιλήψομαι, apud LXX. significans *suscipere* aliquem, *opitulari* alicui, *sich eines annehmen.* Vid. HOTTINGERUS *in Diss. de Servo Dei electo p. 16.* Sunt vero α) qui ad conciliandum cum Propheta Evangelistam dicant, apud Matthæum forte ἤρεισα primitus lectum

fuisse ab ἐρείδω *fulcio*; neque negandum est, optime hoc verbum exprimere hebræum תָּמַךְ, quod & LXX. per ἐρείδω vertunt Prov. II. 16. XXIX. 23. &c. Sed nolim ego variam lectionem fingere, cujus nullum in ullo vel Codice vel Versione vestigium occurrit. Alii proinde β) retinent τὸ ἠρέτισα, atque illud cum תָּמַךְ sic conciliant, ut dicant, scriptores N. T. qui non minus θεόπνευστοι fuerint ac Prophetæ, sæpe non tam verba V. T. quam verborum sensum nobis dare: Jam vero differentiam quidem esse inter *sustentare* seu fortiter tenere, & inter *eligere*, sed tamen eum, qui manu prehenditur & suscipitur, electum quoque dici posse; & quos sibi quis asserat, vindicet, eligat, eos quoque defendere illum ac tueri; unde forsan sit, quod Græcis αἱρετισταὶ dicantur, *qui alicujus partes tenent.* Vid. GROTIUS *ad h. l.* & HOTTINGERUS *in cit. Diss.* Si cui vero hæc longius quæsita videantur, is γ) acquiescere poterit in eo, quod Matthæus phrasi ὃν ἠρέτισα non tam exprimere voluit verbum hebræum תָּמַךְ, quam immediate sequens בְּחִירִי *Electum meum*, prætermittens antecedentia, quod ad scopum ejus directe non facerent. Certe τῷ בְּחִירִי dein substituit ὁ ἀγαπητός μου, & alias quoque hunc locum Jesaiæ liberius allegat.

§. III.

4) Difficultas eadem opera tollitur, quando scilicet Matthæus בְּחִירִי, quod vertendum fuisse videtur ἐκλεκτός μου, *Electus meus*, reddit ἀγαπητός μου, *Dilectus meus.* Nimirum cum בְּחִירִי jam vertisset per ὃν ἠρέτισα, nunc alterum illud prædicatum εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου suum quoque requirebat *Subjectum*, quod dare illi voluit Evangelista verbis ὁ ἀγαπητός μου. Quodsi vero omnino statuatur, eum τὸ בְּחִירִי ita exprimere voluisse; tum dicendum erit, *Electum* & *Dilectum* non longe a se invicem abesse; qui enim hic ὁ ἀγαπητὸς Θεοῦ dicitur, ille Luc. XXIII. 15. ὁ τοῦ Θεοῦ ἐκλεκτὸς dicitur. Ita Deut. VII. 7. 8. *eligere* & *diligere* junguntur. conf. Matth. III. 7. XVII. 5. Eph. I. 6. Col. I. 13. 5) In Textu hebræo sequitur locutio elliptica רָצְתָה נַפְשִׁי *acquievit anima mea*; subaudiendum enim ex antecedentibus בּוֹ *in eo*: qualia apud Hebræos frequenter deficiunt, & ex nexu facile supplentur: supplevit etiam Matthæus, vertens, εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου. Ubi constructio hujus verbi cum εἰς insolita quidem est, & τοῖς LXX. ignota; sed tamen non sine exemplo: Habetur enim 2 Pet. I. 17. nec emphasi caret: Notat enim perpetuam mentis paternæ tendentiam erga Dilectum. Vid. BENGELIUS *in Gnom.* Ἐν ᾧ εὐδόκησα dicitur Matth. III. 17. & alibi.

§. IV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0194
DFG

§. IV.

6) Verba hebræa נָתַתִּי רוּחִי עָלָיו accurate sic vertit Matthæus θήσω τὸ πνεῦμά μου ἐπ' αὐτόν· Nam Præteritum propheticum נָתַתִּי, *dedi*, habet vim Futuri, & נָתַן per τίθημι sic expositum notat talem collationem Spiritus S. quæ per χειροθεσίαν quasi divinam facta, mansionem ejus super ipso simul involvit. conf. Num. XI. 17. 25. coll. Jes. XI. 2. LXI. 1. 7) Hebræa מִשְׁפָּט לַגּוֹיִם יוֹצִיא *judicium gentibus producet* seu *proferet*, Matthæus sic interpretatus est, καὶ κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ *& judicium gentibus annunciabit*, pro quo posteriore verbo ἀπαγγελεῖ LXX. habent ἐξοίσει. Sed Matthæus & hic Exegetam agit, verbo ἀπαγγελεῖ docens, quomodo Messias productus sit judicium gentibus, scil. *annunciando*. conf. ἐξηγήσατο Joh. I. 18. & GROTIUS *ad vocem* ἐξοίσει. Per מִשְׁפָּט κρίσιν intelligi *doctrinam Evangelii*, non vero judicia Dei a Propheta in Babylonios & Medos enuncianda, VITRINGA probat *in Comm. ad h. l.* 8) Verba v. 2. לֹא יִצְעַק *non clamabit*, vel *non vociferabitur*, Matthæus reddidit οὐκ ἐρίσει *non litigabit*, sicque denuo exegeseos ergo verbum nimis generale ad certam speciem restrinxit. Certum quippe est, omne genus clamoris hic non intelligi; sæpe Christus *clamavit & alta voce usus est*, ubi Zelus Ipsius, doctrinæ necessitas & circumstantiæ id postularunt. Vid. Joh. VII. 37. XII. 44. ubi vox ἔκραξα occurrit: Sed nunquam clamavit *litigiose*, ut rixatores communiter esse solent *clamosi* conf. Eph. IV. 31. ubi ὀργὴ & κραυγὴ junguntur. Sensus est: Doctor hic non versatus est in genere doctrinæ contentiosæ, ad ingenii aut eruditionis laudem aucupandam institutæ, sed placidum sedatumque se præbuit in disputando.

§. V.

9) Hebraica לֹא יָשָׂא, *non attollet*, suppleri debent ex seq. membro voce קוֹלוֹ, ut sensus sit *non attollet vocem suam*. Recte igitur Matthæus vertit: οὐδὲ κραυγάσει, h. e. Doctor hic non imitaturus est *declamatores forenses*, qui elata voce suam eruditionem & artis suæ arcana omnium admirationi exponunt. 10) Verba וְלֹא יַשְׁמִיעַ בַּחוּץ קוֹלוֹ, *non faciet foris audiri vocem suam*, fere ad verbum reddidit Evangelista οὐδὲ ἀκούσει τις ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτοῦ. Quicquid in oppidis *extra aedes* est, בַּחוּץ, *foris*; censetur esse πλατεῖα, *platea*. Præcipue vero hic innuuntur *fora* in medio Urbium vel apud portas. Docere autem vult Propheta, Doctorem hunc illustrem, quem describit, non abusurum esse officio ac dotibus suis *ad ciendas seditiones*, ad

partes faciendas, & captandam auram popularem, ut plebem concitet in rebellionem; adeoque hic nova clamoris vitiosi ſpecies ab illo removetur, a binis ſuperioribus diſtincta. conf. Joh. VI. 15. cum Luc. XXIII. 5.

§. VI.

11) Verba v. 3. קָנֶה רָצוּץ לֹא יִשְׁבּוֹר accurate ſic transtulit Matthæus v. 20. κάλαμον συντετριμμένον ὁ κατεάξει. Ubi obſervamus a) Pro συντετριμμένον LXX. habent συντεθλασμένον, & pro κατεάξει, συντρίψει, eodem ſenſu. Uti enim hebraica רָצַץ & שָׁבַר ſignificatu non multum differunt, ita nec græca συντρίβειν, συνθλᾶν, κατάγνυσθαι. Nihilominus vero apud Prophetam שָׁבַר plus dicit, quam רָצַץ; apud Matthæum κατάγνυμι plus quam συντρίβω, & apud LXX. συντρίβειν plus quam συνθλᾶν; nam *fractum frangere* eſt *quodammodo* fractum *plane* frangere. b) Cæterum notanda quoque eſt ſingularis plane forma grammatica in κατεάξει. Licet enim κατάγνυμι tempora ſua formet ab inuſitato κατάγω, ut v. g. in Aor. 1. habeat κατηξα, in præt. med. κατῆγα, in Aor. 2. paſſ. κατήγην, ubi dein augmentum temporale η Jonice reſolutum dici poteſt in εα, κατέαξα, κατέαγα, κατεάγην: id tamen hic non habet locum, quia κατάγνυμι in *futuro* non habet κατήξω, cum augmento, ſed κατάξω, & nihilominus hic quoque inſeritur ε ante α. Dicendum itaque eſt, formationem hanc plane anomalam eſſe. Vid. ERASM. SCHMIDIUS *ad h. l.* Si c) quæras, quid phraſis metaphorica קָנֶה רָצוּץ κάλαμος συντετριμμένος hic ſignificet? recte plurimi Interpretes reſpondent, intelligi animum ex ſenſu peccati ſaucium & contritum, ſed in quo tamen ſupereſt aliqua vis ſpiritualis, qua ſe quodammodo ſuſtinet, h. e. ſeria pœnitentia, deſiderium gratiæ divinæ. Vid. GLASSIUS *in Phil. S. p. 1741.* Facit huc paralleliſmus Pſ. LI. 18. רוּחַ נִשְׁבָּרָה לֵב – נִשְׁבָּר וְנִרְכֶּה *Spiritus fractus, cor fractum & contritum.* Jeſ. LXI. 1. נִשְׁבְּרֵי – לֵב *fracti corde*, & Cap. LXVI. 2. נְכֵה – רוּחַ *percuſſus ſpiritu.* Qui ipſe paralleliſmus argumento eſt, non probandam eſſe illorum interpretationem, qui *calamum quaſſatum & linum fumigans* exponunt de Judæis, Chriſti hoſtibus, non ſtatim exſtirpandis, ſed ad tempus tolerandis, quamvis exitio propinquis. Placuit illa NIC. ZEGERO *in Crit. Angl.* qui & ad CHRYSOSTOMUM & EUTHYMIUM provocat, nec non GÜRTLERO *in Syſt. Prophet.* & AMELIO h. e. PETRO ZORNIO *in der Erört. der dunkelſten und ſchwerſten Schrifftſt. P. I.* Sed nata videtur WOLFIO ex male & nimis proprie accepta voce κρίσις, ac ſi neceſſario Judicium *pœnale* denotet, cum ſæpe etiam *ſalutare* innuat v. g. Joh. XVI. 11. quem ſignificatum & hic obtinere, ex

eo

eo palam fit, quod totus contextus nil nisi Evangelium spirat. d) Denique notamus, verba ὃ καταάξει, uti & sequentia ὃ σβέσει, per λιτότητα explicanda esse, qua minus exprimitur, & maius innuitur, ac negativum positivum contrarium includit, ut sensus sit, non confringet, non exstinguet, *quin potius* corroborabit & accendet. Complura hujus figuræ exempla dabit HAMMONDUS *ad h. l.* cf. etiam GLASSII *Philol. S. p. 801. seq.* qui simul LUTHERI *ad h. l.* verba allegat plane egregia: Valde erigunt istæ negativæ, quia excludunt hoc, quod metuitur malum, potentissime; & simul includunt affirmative, quod petitur bonum, opulentissime.

§. VII.

12) Ad verba καὶ λίνον τυφόμενον ὃ σβέσει notamus: a) exacte illa respondere hebraicis וּפִשְׁתָּה כֵהָה לֹא יְכַבֶּנּוּ *& linum caligans non exstinguet.* Quamquam enim כָּהָה proprie non significat *fumigare*, sed *caligare;* cognata tamen hæc duo sunt, & linum כֵּהֶה est linum caliginosum, obscurius ardens, multum fumi, parum *lucis* exhalans, & exstinctioni proximum; unde & LXX. reddiderunt καπνιζόμενον. Optime GROTIUS: λίνον τυφόμενον est ellychnium, in quo fumus aliquod flammæ vestigium refert, quod proinde flammam facilius ad se rapit, quam si plane refrixisset. Τὸ ἀλληγορέμενον itaque sunt fideles, in quibus aliqua fidei scintilla superest, sed valde obscura, fumo magis quam luce se prodens. Si omnino distinguendæ sint hæ Metaphoræ, prior aptissime refertur ad *pœnitentiam*, quæ & alias *contritio* audit; posterior vero ad *fidem*, quæ alibi quoque *luci* comparatur. 13) Verba ultima v. 3. לֶאֱמֶת יוֹצִיא מִשְׁפָּט Matthæus reddidit ἕως ἂν (de qua particula vid. GLASSII *Phil. S. p. 964.*) ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν; discedens in eo à LXX. qui verterunt ἀλλὰ εἰς ἀλήθειαν ἐξοίσει κρίσιν, quæ omnino melius referre videntur Textum hebr. Nam a) græco ἕως ἂν plane nil respondet in hebræo, & b) אֱמֶת potius vertendum esse videtur per ἀλήθειαν, quam per νῖκος, quod vel victoriam vel æternitatem significat uti hebræum נֵצַח. c) Ἐξοίσει etiam melius exprimere putes hebræum יוֹצִיא, quam ἐκβάλῃ. Resp. vero ad a) Matthæum τὸ ἕως ἂν sumsisse ex v. seq. 4. ubi hebræa עַד יָשִׂים בָּאָרֶץ מִשְׁפָּט LXX. verterunt ἕως ἂν θῇ ἐπὶ τῆς γῆς τὴν κρίσιν, quam sententiam hoc modo cum illa finali v. 3. in unam compingere voluit Matthæus. Ad b) לָנֵצַח quidem proprie notare *in victoriam* (vid. GLASSIUS *p. 1936.*) sed לֶאֱמֶת quoque idem involvere: ubi enim ita ad liquidum & notoriam veritatem

deducta est causa aliqua, ut omnes ejus justitiam agnoscere debeant, certa est quovis judice *Victoria*. Non ergo tantum vertere hic voluit Evangelista, sed etiam explicare, illustrare, & sententiam Prophetæ in omni lua luce sistere. Quod ipsum quoque c) dicendum est de verbo ἐκβάλῃ, quod hebraicum יְצִיא emphatice exprimit, docetque Christum summa cum *potentia*, cui nulla alia resistere possit, Evangelium in terris propagaturum esse r).

§. VIII.

14) Quum Matthæus priora v. 4. apud Jesaiam verba לֹא יִכְהֶה וְלֹא יָרוּץ עַד־יָשִׂים בָּאָרֶץ מִשְׁפָּט omittit, ultima mox subjungens ultimis verbis v. 3. non desunt quidem, qui hiatum hic a Librariis admissum fuisse suspicantur, ob recurrens nomen *judicii*. e. g. HIERONYMUS, DRUSIUS, non dissentiente BENGELIO *in App. Crit. & in Gnom. ad h. l.* ideo potissimum, *quod* Colon omissum cum sensu Matthæi magnopere congruat; *quod* sine illo non videatur repetiturus fuisse ulterius illud: *Et in ejus nomine gentes sperabunt;* quodque celebre illud Evangelium Hebræorum integram Prophetæ periocham exhibeat. Si quis vero, ob omnium Codicum in omittendo

r) נֶצַח in Codice V. T. *victoriam* denotare, non probari potest, nisi ex unò loco LXX. Interpr. qui 1 Chron. Cap. ult. v. 11. הַנֶּצַח verterunt ἡ νίκη; nisi huc etiam referre velis לַמְנַצֵּחַ Hab. III. 19. quod per νικῆσαι reddiderunt. Hoc vero certum est, Paraphrastas Chaldæos tum verbo נֶצַח, tum variis ejus derivatis, in *sensu vincendi*, sæpissime usos fuisse. Vid. BUXTORFIUS *in Lex. Chald. Rabb. p. 1379.* Idem נֶצַח vero, uti firmitatem & constantiam in loquendo, id est, *veritatem*, significare, Auctoritate SCHULTENSII, & allegatis scripturæ locis probat SIMONIS *in Lex.* Itaque לָאֱמֶת & לָנֶצַח æquipollere possunt; & cum LXX. frequentissime לָנֶצַח per εἰς νῖκος reddiderint, inde a Matthæo in nostro loco εἰς νῖκος poni potuit pro לָאֱמֶת vel pro εἰς ἀλήθειαν. Hoc modo verba ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν significabunt, usque dum ad indubiam & ab omnibus agniram veritatem judicium suum, id est, suam de hominum salute & salutis mediis doctrinam, expromserit, demonstraverit, & omnium quasi oculis objecerit. cf. Joh. XVII. 21. cum nota *Bengelii*. Ἐκβάλλειν certe in omni alia Interpretatione nimis proprie sumi non potest. Sin vero in εἰς νῖκος magis placet ideam *perpetuitatis* servare, uti aperte sumitur 1 Cor. XV. 54. coll. Jes. XXV. 8. quo sensu etiam LXX. frequentissime posuerunt pro לָנֶצַח, ubi neque *veritatis* neque *victoriæ* idea locum habet e. g. 2 Sam. II. 26. Jer. III. 5. &c. significabunt hæc verba: usque ad stabilem perpetuamque durationem judicium seu doctrinam suam perduxerit. Putem, voces נֶצַח & νῖκος, quatenus in sacris occurrunt, peculiari Philologorum indagatione indignas non esse. Sunt cæterum hæc verba pars difficillima nostri Allegati.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0198
DFG

tendo consensum, huic suspicioni calculum suum adjicere dubitet, is in eo poterit acquiescere, quod Evangelista compendii ergo oraculum Jesaiæ contraxerit, sensum potius, quam verba sectatus; quodque in hoc eo minus peccaverit, quo certius est, summam rei, in isto Colo contentæ, jam in antecedentibus haberi. Et quis adstringat Spiritum S. ut, quod per unum virum Θεόπνευστον dixit, per alterum verbotenus repetat? 15) Denique, quando verba Jesaiæ ultima וְלִתוֹרָתוֹ אִיִּים יְיַחֵלוּ *& in Legem Ejus gentes sperabunt*, Matthæus, LXX. in eo secutus, reddit καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι (Fut. atticum pro ἐλπίσουσι) rursus Prophetæ sensum optime exprimit. a) Enim pro וְלִתוֹרָתוֹ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ponens, sapientissime cavet, ne hebraicum תּוֹרָה *Lex*, de Lege Mosaica accipiatur, Evangelio oppositа; cum ipsum potius Evangelium hoc nomine designetur à Propheta: hujus vero cum Centrum sit *Nomen Christi*, recte pro ipso Evangelio ponitur *Nomen Christi*. אִיִּים *insulas*, stilo prophetico denotare *gentes*, nullum est dubium. cf. VITRINGA *ad Jes. XLI. 1.*

§. IX.

Conciliavimus hucusque Matthæi *Allegationem* cum Textu hebræo. Dispicere jam II. juvabit, an Idem recte hoc oraculum *applicaverit* in Messia, eoque Jesu Nazareno, illud impletum fuisse asserens? Removebimus hic 1) *Falsa* hujus Prophetiæ *Subjecta*; inter quæ a) primum est vel α) in genere *Ecclesia Judaica*, de qua hic cogitarunt LXX. Interpretes, eo progressi audaciæ, ut ipsa nomina *Jacob* & *Israël* in textum intruderent, ita v. 1. legentes: Ἰακὼβ ὁ παῖς μου —— Ἰσραὴλ ὁ ἐκλεκτός μου, quam eorum licentiam, qua, deserto Metaphrastarum officio, Paraphrastas quoque, eosque satis temerarios ac infelices egerunt, ORIGENES jam improbavit, hæcque nomina in sua Editione τῶν LXX. obelo notavit. Vel β) in specie *Justi in Israële*, quos ab Interpretibus bene multis *per Servum Jehovae* hic intellectos esse, *Aben-Esra* memorat. Nec negandum, prædicatum non unum hujus oraculi in hoc subjectum quadrare: Nam Cap. antec. XLI. v. 8. Israël vocatur *Servus Dei*, quem *elegerit*, & v. 10. Deus se *sustentare* illum asserit dextra justitiæ suæ, ubi idem verbum תָּמַךְ adhibetur, quod in nostro loco. cf. quōque Cap. XLIV. 1. XLV. 4. Verum enimvero congruentia unius alteriusve prædicati nondum sufficit ad determinandum verum alicujus Prophetiæ subjectum, sed requiritur, ut omnia conspirent. Atqui multa in sequentibus occurrunt, quæ nonnisi obtor-

obtorto collo ad populum Judaicum applicari possunt. Quis v. g. Populum judaicum faciat *Doctorem gentium*, magna Spiritus S. copia hunc in finem instructum? Annon ipse hic populus erat erudiendus? v. 3. 19. sqq. Annon v. 6. talis designatur *Persona*, quæ *populo isti in fœdus* erat danda, æque ac *in lucem gentium?*

§. X.

Alii proinde, etiam ex Judæis, singularem aliquam personam hic innui agnoscentes, hanc Prophetiam b) de *Cyro* exponunt, quam sententiam SAADIÆ, vulgo R. GAON, adscribit ABEN-ESRA. Quamvis autem Esdr. I. Jes. XLIV. 28. XLV. 1. sq. multa de isto legantur, è quibus apparet, Eum quodammodo *Servum Dei* fuisse, dum consiliis Ejus inserviit, potentissimum Ecclesiæ hostem devincendo, Judæis facultatem in terras suas redeundi largiendo, vasa sacra olim abducta restituendo, aliaque in gentem judaicam beneficia plane insignia conferendo: is tamen *Servus Dei electus* haud fuit, quem Jesaias *h. l.* tam graphice depingit. *Doctorem Gentium* nobis sistit Propheta, non vero *Domitorem gentium*; Doctorem placide officio suo fungentem, non Imperatorem bellicosum. Et quis reliqua prædicata *homini pagano* tribuat? Majori specie blanditur c) illa sententia, quæ oraculum hoc de *Ipso Vate Jesaia*, vel *simpliciter*, vel ut *Typo Christi* explicat. *Illud* ABEN-ESRÆ placuit, hoc autem GROTIO, qui *in Comm. ad h. l.* Bene, inquit, cuncta intuenti apparebit, Dei sermonem redire *ad Jesaiam*, de quo supra jam Cap. XLI. 27. Sublimius autem hæc impleta in Christo, cujus figuram, quantum potuit, gessit, Jesaias [s]). Et sane hunc Deus appellat *Servum suum.* Cap. XX. 3. At vero Jesaias *populi Judaici tantum vates* exstitit, neque ipse מִשְׁפָּט, *Jus gentibus* exposuit, aut *Legem* habuit, in quam *Insulae sperabant:* Multo minus is dici potest *in fœdus populi* aut *Lucem gentium* datus esse. Et num credibile est, Jesaiam, sapientem Sanctumque Virum, tanta sibi tributurum fuisse, quanta certum est, illum non præstitisse?

§. XI.

Restat igitur 2) ut statuamus, verum & unicum hujus Prophetiæ Subjectum esse *Messiam.* Persuadent hoc nobis a) Parallela Vet. Test.

s) Idem tamen GROTIUS *in Annot. ad Matth.* mentem a Jesaia plane abstrahit, & in solo Messia, Jesu Nazareno subsistit, tanquam subjecto hujus Prophetiæ.

Teſt. teſtimonia, quæ alibi eadem de Meſſia prædicant, apud ipſum quoque Jeſaiam, fatentibus ipſis Hebræorum Magiſtris celebrioribus. Vid. Jeſ. XLIII. 10. XLIX. 6. L. 10. LII. 13. LIII. 11. b) Conſenſus Judæorum tam veterum, quam recentiorum, oraculum hoc de Meſſia interpretantium. *Targum Jonathanis* in Paraphraſi hujus loci habet: Ecce Servus meus, *Meſſias*. Et RAYM. MARTINI *in Pugione Fidei P. II. p. 527.* varia hanc in rem veterum Judæorum teſtimonia producit. E recentioribus KIMCHI & ABARBANEL idem tuentur adverſus contribules ſuos; immo hic poſterior non ſinè fervore: ſcribit enim ad h. l. Puto omnes illos ſapientes denſiſſimis mentis tenebris laboraſſe, qui non viderunt, omnia ea, quæ vates ſcripſit, recte aliter explicari non poſſe, quam de Rege Iſraëlis ex familia Davidis oriundo. c) Concurſus omnium prædicatorum in *Jeſu noſtro Nazareno*, quem demonſtrat VITRINGA *ad h. l.* & HOTTINGERUS *in Diſſ. cit. p. 17. ſqq.* d) Contra Grotium præſertim urgeri poteſt, quod oraculum hoc in N. T. *directe* de Chriſto explicetur, aperte quidem hoc noſtro loco, qui totam Jeſaiæ periocham exhibet, abs Matthæo; deinde quædam illius loci verba ab ipſo Patre cœleſti Matth. III. 17. XVII. 5. Et hæ ſane interpretationes authenticæ meditationem noſtram in hoc oraculum plane ac unice figere debent in Chriſto.

XVIII. ALLEGATUM.

MATTH. XIII. 14. 15.

Καὶ ἀναπληροῦται αὐτοῖς ἡ προφητεία Ἡσαΐου ἡ λέγουσα, Ἀκοῇ ἀκούσετε, καὶ οὐ μὴ συνῆτε· καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ οὐ μὴ ἴδητε· Ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, καὶ τοῖς ὠσὶ βαρέως ἤκουσαν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν, μήποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσι, καὶ τῇ καρδίᾳ συνῶσι καὶ ἐπιστρέψωσι, καὶ ἰάσωμαι αὐτούς.

MARC. IV. 12.

Ἵνα βλέποντες βλέπωσι, καὶ μὴ ἴδωσι· καὶ ἀκούωσι, καὶ μὴ συνιῶσι· μήποτε ἐπιστρέφωσι, καὶ ἀφεθῇ αὐτοῖς τὰ ἁμαρτήματα.

LUC. VIII. 10.

Ἵνα βλέποντες μὴ βλέπωσι, καὶ ἀκούοντες μὴ συνιῶσιν.

JOH. XII. 39. 40.

Ὅτι πάλιν εἶπεν Ἡσαΐας, Τετύφλωκεν αὐτῶν τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ πεπώρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν· ἵνα μὴ ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ νοήσωσι τῇ καρδίᾳ καὶ ἐπιστραφῶσι, καὶ ἰάσωμαι αὐτούς.

ACT. XXVIII. 25 - 27.

Ὅτι καλῶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐλάλησε διὰ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν, λέγον, πορεύθητι πρὸς τὸν λαὸν τοῦτον, καὶ εἰπὲ, Ἀκοῇ ἀκούσετε, καὶ οὐ μὴ συνῆτε· καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ οὐ μὴ ἴδητε· Ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, καὶ τοῖς ὠσὶ βαρέως ἤκουσαν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν· μήποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσι, καὶ τῇ καρδίᾳ συνῶσι καὶ ἐπιστρέψωσι, καὶ ἰάσωμαι αὐτούς.

JES. VI. 9. 10.

וַיֹּאמֶר לֵךְ וְאָמַרְתָּ לָעָם הַזֶּה שִׁמְעוּ שָׁמוֹעַ וְאַל־תָּבִינוּ וּרְאוּ רָאוֹ וְאַל־תֵּדָעוּ׃ הַשְׁמֵן לֵב־הָעָם
הַזֶּה וְאָזְנָיו הַכְבֵּד וְעֵינָיו הָשַׁע פֶּן־יִרְאֶה בְעֵינָיו וּבְאָזְנָיו יִשְׁמָע וּלְבָבוֹ יָבִין וְשָׁב וְרָפָא לוֹ׃

VERSIO LXX.

Καὶ εἶπε πορεύθητι, καὶ εἰπὸν τῷ λαῷ· ἀκοῇ ἀκούσετε, καὶ οὐ μὴ συνῆτε, καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ οὐ μὴ ἴδητε· ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, καὶ τοῖς ὠσὶν αὐτῶν βαρέως ἤκουσαν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν, μήποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσι, καὶ τῇ καρδίᾳ συνῶσι, καὶ ἐπιστρέψωσι, καὶ ἰάσομαι αὐτούς.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0202
DFG

§. I.

Oraculum hocce Jesaianum omnes quatuor Evangelistæ, Johannes quidem alio tempore & alia occasione, quam tres priores; & Apostolus Paulus [t]) allegarunt; sed ea libertate, quæ satis prodit, eos nec Textui hebræo, nec Versioni LXX. nec unum alterius allegationi, presse & ad litteram inhæsisse. Rursum vero hic I. *Allegationes* Scriptorum N. T. cum Textu hebræo conferendæ sunt; ubi 1) *Praefatio* Mandati divini ad Jesaiam Prophetam editi hæc est: לֵךְ וְאָמַרְתָּ לָעָם הַזֶּה *Vade & dices populo huic.* Mirum nobis videri non debet, quod Evangelistæ illam prætermittant; nihil enim ad scopum eorum faciebat: Habet tamen illam Paulus Act. XXVIII. 26. πορεύθητι πρὸς τὸν λαὸν τοῦτον, καὶ εἰπέ. Dixerat scilicet Jehova v. 8. מִי יֵלֵךְ–לָנוּ *quis ibit nobis?* quod LXX. reddiderunt Τίς πορεύσεται πρὸς τὸν λαὸν τοῦτον; cum reddere debuissent Τίς πορεύσεται ἡμῖν. Huic provocationi divinæ Spiritu actus Propheta statim assurgit, seque offert, dicendo: *Ecce ego, mitte me.* Quo facto protinus ipsi mandatur negotium: *Vade, & dices populo huic.* Ubi recte observant Interpretes, esse hic orationem *indignantis* Dei, cum non dicit: populo *meo*, sed *huic*, quasi nihil amplius ad se pertineret: alieniorem ab ipsis animum prodit, quoniam jam ipsi alieniores ab Ipso facti erant. Eandem emphasin habet τὸ הָעָם הַזֶּה conf. Exod. XXXII. 9. Jes. IX. 12. 15. XXIX. 13. Jer. VII. 16. & עַמְּךָ populus *tuus* Exod. XXXII. 7. & τὸ οἶκος ὑμῶν, domus *vestra*, quæ alias domus *Dei* dicitur Matth. XXIII. 38. Ita & ἔτος per contemtum dicitur Matth. XXVI. 61. Luc. XXIII. 2. 18. Act. XXIV. 5.

§. II.

2) Quum Propheta Judæorum in audiendo & videndo stuporem prænunciat verbis: שִׁמְעוּ שָׁמוֹעַ וְאַל–תָּבִינוּ וּרְאוּ רָאוֹ וְאַל–תֵּדָעוּ *audite audiendo, & ne intelligite; & videte videndo, & ne cognoscite;* cum LXX. ita hæc vertunt Matthæus & Paulus Act. XXVIII. ἀκοῇ ἀκούσετε, καὶ ὁ μὴ συνῆτε, καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ ὁ μὴ ἴδητε *auditu audietis - videntes videbitis*, convertentes hoc modo *Imperativum* hebraicum in *Futurum* græcum: Neque tamen in eo peccarunt. Imperativus enim, quem Grammatici *Futurum primum* vocant, pro *Futuro secundo* sæpius in Scriptura usurpatur uti contra *Futurum* sæpe vim *Imperativi* habet. Vid. GLASSII *Phil. S.* ubi prius per exempla probatur p. 869. & posterius p. 896. seq. Cæterum τὸ *audire* ad doctrinam, τὸ

t) Duabus adeo vicibus, scil. l. c. Act. XXVIII. & Tom. XI. 8. Neque enim quisquam Paralleliſmum, realem certe, inter nostrum dictum Propheticum & illud Apostolicum in dubium vocabit. Veruntamen cum Paulus ibi ad plura potius V. T. loca, quam ad unum Jesaiæ respexisse dici debeat; hic ab eo abstrahendum putavimus. Dabitur vero etiam de illo Allegato peculiaris Tractatio inferius, suo loco.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0203
DFG

videre ad miracula Christi pertinet. conf. hoc ipso Cap. Matth. V. 16. 17. & Cap. II. 4. 5. Recte etiam primus Infinitivus hebraicus שָׁמוֹעַ exprimitur per substantivum ἀκοήν, & secundus רָאוֹ per Participium βλέποντες. Ita enim Græcis in more est, cum Latini contra per Gerundia istos Infinitivos hebraicos exprimere soleant. conf. vorstii *Phil. S. P. II. p. 161 sqq.* Verbis אַל – תָּבִינוּ אַל – הָרְעוּ *ne intelligatis, ne cognoscatis*, id vult Propheta, *futurum esse judicio divino*, ut nihil intelligant, nihil cognoscant; scil. de Christo & Ejus Regno.

§. III.

2) Cum vates noster Judicium divinum in gentem judaicam v. 9. enunciatum, v. 10. ulterius declarat verbis: הַשְׁמֵן לֵב – הָעָם הַזֶּה וְאָזְנָיו הַכְבֵּד וְעֵינָיו הָשַׁע *Obesum fac cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus illine;* in eo aberrare videntur Scriptores N. T. LXX. Interpr. ipsis præeuntibus, a Textu hebræo, quod a) vocalem γὰρ inserunt, cujus nullum apud Jesaiam vestigium; b) quod ea, quæ Textus hebræus *Prophetae* tribuit, dum per tres Imperativos in mandatis ipsi datur, ut *obesum faciat* cor hujus populi, ut aures ejus *aggravet*, ut oculos illius *illinat* seu *incrustet*, Scriptores Novi Test. vel *Deo* adscribunt, uti Johannes l. c. vel ipsi *populo judaico*, uti Matthæus & Paulus Act. XXVIII. qui LXX. in eo secuti sunt. R. ad a) Exegeseos ergo hanc *causalem* inseri, quia affectus hi vitiosi, quos v. 10. commemorat, revera in causa sunt, cur Judæi audiendo audientes non intellexerint, & videndo videntes non cognoverint. Ad b) Resp. α) *Prophetas* stilo Scripturæ *agere & efficere* dici, quæ *futura* ex Dei judicio denunciant, quia eventus ad illorum dicta & interminationes sistitur. Canonem utilissimi usus illustrat multis exemplis glassius p. 782. seqq. & 805. Hinc dicuntur *plantare, eradicare, destruere, aedificare, servare, perdere, justificare, cœlum claudere* &c. Jer. I. 10. Dan. XII. 3. 1 Tim. IV. 16. Apoc. II. 6. & quæ his similia alia; quod nimirum decreta & sententias Dei de his rebus explicent ac denuncient, & eventus ad illorum dicta non fallat. Sensus igitur apud Jesaiam hic est: Denuncia iis hoc meum judicium, hanc sententiam Fori cœlestis, futurum esse, ut impinguentur eorum corda, crassescant aures, excœcentur oculi. Hic verus sensus verborum, qui dubium non relinquit, quin hoc judicium, cujus Interpres esse debebat Vates, *ad Deum*, tanquam ejus supremam causam referendum sit. Recte proin β) Johannes l. c. τύφλωσιν τῶν ὀφθαλμῶν, & πώρωσιν τῆς καρδίας haud obscure *Deo* adscribit; id quod & in aliis locis Scripturæ fit: e. g. Exod. VII. 3. Deut. II. 30. Rom. I. 28. 2 Thess. II. 11. coll. Deut. XXIX. 2-4. Neque vero id sanctitati Dei repugnat, quia hoc Ejus *Judicium*

dicium ſupponit, homines antea *ſe ipſos* induraſſe, obturaſſe & excœcaſſe adverſus omnem veritatis demonſtrationem ad conſcientias illorum factam. Unde ſimul γ) patet, Matthæum & Paulum, cum LXX. recte *ipſi populo judaico* tribuiſſe, quod in Textu hebræo *Prophetae*, & abs Johanne *Deo* tribuitur. *Ipſe* enim populus erat proxima excœcationis ſuæ *cauſa*; ut igitur duritiem hujus loci emollirent LXX. *ad homines transferre* maluerunt, quæ *Deo* aut *Prophetae* tribui cernebant. Qua in re deinceps innoxie illos ſecuti ſunt Evangeliſtæ & Apoſtoli. Hæc eſt vera ratio diſcrepantiæ inter Textum hebræum & Verſionem græcam: Spurias refellit VITRINGA *in Comm. ad h. l.*

§. IV.

Supereſt, ut paucis quoque demonſtremus, tria verba Textus hebræi, הַשְׁמֵן, הַכְבֵּד & הָשַׁע recte in N. T. translata eſſe. Nam א) שָׁמַן ſignificat *impinguatus eſt*, & propriiſſime vertitur per ἐπαχύνθη. Eſt autem hoc loco *pinguedo* ſeu adeps ſymbolum ejus, quod rei alicui *adnaſcitur*, adnatumque eam ponit *in ſtatu* ἀναισθησίας, *inſenſualitatis*, indigitans illam mentis humanæ affectionem vitioſam ſpiritualem, qua eſt in ſtatu inſenſualitatis, vi craſſiorum præjudiciorum tractu temporis illi adnatorum: quem ſignificatum etiam exprimit verbum πωρόω, quo Johannes utitur in allegatione hujus dicti. Πῶρος enim, *callus*, æque excludit ſenſualitatem, ac παχύτης *pinguedo*. Confert huc GROTIUS illud Græcorum: παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον: *Pinguis venter non gignit mentem ſubtilem.* ב) Verbum הַכְבֵּד *aggrava*, h. e. prænuncia, ſurdas fore aures eorum, recte LXX. Matthæus & Paulus reddiderunt: βαρέως ἤκουσαν. Denotat autem gravedo aurium, ſeu ſurditas ſpiritualis, illud vitium mentis, quo craſſis obſeſſa præjudiciis inepta eſt ad ea, quæ audiuntur, licet maximi ſint momenti, recte intelligenda & dijudicanda. ג) Verbum הָשַׁע non ab hebræo שָׁעָה, quod eſt *avertere oculos*, ſed a radice chaldaica שׁוּעַ, quod ſignificat *oblinere*, *obducere*, derivandum, ſcite reddiderunt LXX. & Scriptores N. T. per ἐκάμμυσαν, *occluſerunt oculos ſuos*, & Johannes per τετύφλωκε *excœcavit oculos eorum.* Omnes enim tres iſtæ locutiones deſignant illud vitium, quo animus, affectibus carnalibus occupatus, ineptus eſt ad lumen demonſtrationis, etiam clariſſimæ, qualis e. g. erat in miraculis Chriſti, recipiendum.

§. V.

4) Quod ultima oraculi noſtri verba attinet, quæ *effectum* hujus judicii divini indicant, etiam hæc exacte referunt Textum hebræum. At, inquis a) verba καὶ ἰάσωμαι αὐτούς non bene reſpondere videntur hebraicis וְרָפָא לוֹ, quæ proprie ſonent: *& ſanet illum.* Cur ergo *tertia* perſona mutatur in *primam*, *& ſanem illum?* R. a) Series orationis propheticæ omni-

no requirit *primam* personam; est enim *sermo Dei, & hujus est sanare:* quum vero textus hebræus *tertiam* personam habet, per Enallagen id fit, in sacris litteris frequentissimam. β) τὸ רָפָא *intransitive* potest accipi, ut idem sit, quod Cap. LIII. 5. נִרְפָּא לָנוּ *sanatio nobis obtigit*, adeoque heic loci וְרָפָא לוֹ significet: *& sanatio illi fit*, scil. *à me*, quod egregie exprimitur per ἰάσωμαι. Quum b) Marcus וְרָפָא לוֹ paraphraſtice ita vertit: καὶ ἀφεθῇ αὐτοῖς τὰ ἁμαρτήματα manifeste sensum magis, quam verba respexit. Eodem sane modo etiam *Paraphrastes Chaldaeus* vertit, nec dissentit KIMCHIUS, sanatio, inquiens, est remissio, quæ resipiscentiam sequitur. Ipsa quoque Scriptura & alibi τὸ *sanare* hoc sensu adhibet. v. g. 2 Chron. XXX. 20. Et exaudivit Deus Hiskiam, וַיִּרְפָּא אֶת־הָעָם *& sanavit populum*, hoc est, ut ex contextu liquet, *ignovit illi* ad preces Hiskiæ. Adde Ps. XLI. 5. CIII. 3. Jes. LIII. 5.

§. VI.

Collatis jam Allegationibus N. T. cum Textu V. T. restat, ut II. *Applicationem* quoque vindicemus. Ubi 1) certum est, Jesaiam hæc jussu divino *sui jam temporis hominibus* dixisse, in iisque vaticinii sui complementum quoddam vidisse. Docent hoc verba: *vade & dic populo huic;* docet etiam Allegatio Pauli, Act. XXVIII. 25. ubi expresse πρὸς τὰς πατέρας Spiritum S. ista per Jesaiam dixisse affirmat. Num vero 2) hinc sequitur: Ergo male ista in N. T. ad auditores suæ ætatis applicarunt Christus & Apostoli? Non putem; unum idemque dictum *tempore Jesaiae, & deinceps*, ac plane *tempore Messiae* impletum fuit. Quod autem non per *meram accommodationem* applicatio facta sit in N. T. ob similitudinem aliquam populi tempore Jesaiæ, & populi tempore Christi, quo GROTII interpretatio tendit, sed plane ad mentem Spiritus S. vaticinium hoc per Jesaiam edentis *cum prospectu ad tempora Messiae;* probari potest: a) E phrasi ἀναπληροῦται αὐτοῖς, vel secundum aliam lectionem ἐπ' αὐτοῖς, qua Christus apud Matthæum utitur, hic enim non modo τὸ ἀναπληροῦται loco consueti alias verbi simplicis πληροῦσθαι adhibitum *continuatam* quandam & *repetitam* impletionem innuit, sed etiam aperte dicitur ἐπ' αὐτοῖς, h. e. in auditoribus Christi dictum illud impletum fuisse.

§. VII.

Idem patet b) è verbis Johannis Cap. XII. 41. Ταῦτα εἶπεν Ἡσαΐας, ὅτε εἶδε τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ ἐλάλησε περὶ αὐτοῦ. Manifestum est, idemque ubique in toto orationis contextu subjectum esse, ad quod relativum αὐτοῦ refertur, inde a v. 36. ubi *Jesu* expressa mentio fit, quem deinceps indubie respicit τὸ αὐτοῦ & τὸ εἰς αὐτὸν v. 37. Cum tot signa coram iis edidisset Jesus non credebant tamen εἰς αὐτὸν, *in Eum*. Quod ne quis miretur,

tur, ut paradoxum, arguit Apostolus, prædictum illud jam fuisse in Vet. Test. allegatis hunc in finem binis testimoniis Jesaiæ, altero ex Jes. LIII. 1. altero ex nostra hac prophetia, qua genti judææ denunciatur judicium excœcationis: Jam vero prævidens Apostolus, fieri posse, ut adversus posterius testimonium aliqui exciperent, non pertinere illud ad *tempus Messiae praesens*, vel *ad Judaeos hujus aetatis*; frustra igitur illud trahi ad probandam incredulitatem & obstinationem Judæorum ætate Christi viventium: prævertit exceptioni, & simul subvertit, monens Lectorem, testimonium hoc omnino facere ad rem præsentem, recteque a se adduci, quoniam Jesaias, cum hoc acciperet mandatum, viderit *Gloriam Ejus*, hoc est, *Christi*, & *de Ipso* ibidem locutus sit. Quæ cum dixisset, in eodem contextu addit v. 42. Veruntamen etiam ex primoribus credebant multi *in Eum*. Incassum itaque Sociniani relativum ἀυτȣ̃ ad *Dominum* illum referunt, cujus v. 38. mentio fit, & qui sine dubio Deus Pater sit: Tota enim series constructionis refragatur huic constructioni. At inquis, Codex aliquis & versio Coptica pro ἀυτȣ̃ habent Θεȣ̃. R. Nullam hanc variam lectionem attentionem mereri, cum omnes reliqui Codices ac Versiones reclament: Unde ARTEMONIUS, vel SAM. CRELLIUS, non debebat eam tam cupide amplecti *in Init. Evang. Joh. Rest. P. I. cap. 115. p. 254.* cf. SPENERI *Tr. von der ewigen Gottheit Christi p. 306. sq.* Si vero *Christi* gloriam vidit Jesaias, ita quidem, uti revelanda erat in N. T. & uti Judæi eam non erant agnituri; omnino recte applicatum fuit hoc oraculum ad tempora Christi.

§. VIII.

c) Id ipsum quoque probatur ex ipso Jesaiæ contextu, ubi v. 11-13. deprehendimus, quod assertum nostrum confirmat: Propheta fulmine hujus sententiæ cœlestis percussus non obloquitur Domino, sed agnoscit ejus æquitatem & justitiam; immo cum se ad officium ultro obtulisset, non detrectat obsequium; commiseratione tamen populi, cui feralis hæc sententia denuncianda erat, ductus submisse & reverenter inter loquitur his paucis verbis: *Quousque Domine?* Respondet Dominus: *Usque ad* plenarium reipublicæ judaicæ excidium u). Cum vero hoc contigerit 40. annis post ascensionem Christi, nullum sane dubium supereſt, oraculum hoc Jesaianum recte ad tempora Christi applicatum esse.

u) Qui ab hac parte vaticinii Captivitatem babylonicam non excludi posse censent, nobis non valde contrariantur. Neque nos excludimus illam, uti nec statum populi Judaici Jesaiæ tempore viventis in antecc. exclusimus. At hoc etiam fatebuntur omnes, in dispersione populi judaici post Christum facta multo magis hæc complementum suum nacta esse, quam ante Christum, sive ad hæc sive ad illa populi istius fata respiciatur.

XIX. ALLE-

XIX. ALLEGATUM.

MATTH. XIII. 35.

Ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος, Ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς τὸ στόμα μου· ἐρεύξομαι κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμου.

PS. LXXVIII. 2.

אֶפְתְּחָה בְמָשָׁל פִּי אַבִּיעָה חִידוֹת מִנִּי קֶדֶם׃

VERSIO LXX. [x])

Ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς τὸ στόμα μου, φθέγξομαι προβλήματα ἀπ' ἀρχῆς.

§. I.

Postquam Matthæus v. 34. narrasset, sine parabolis Christum non locutum esse ad populum; mox v. 35. subjicit, factum hoc esse, *ut impleretur dictum Prophetae &c.* Quæritur hic I. quemnam Vet. Test. locum respiciat Evangelista, & quis ille *Propheta* sit, quem allegat? Et ne per somnium quidem dubitare quisquam posset, excitari hic locum Psalm. LXXVIII. 2. ut qui unus Allegato nostro exacte respondet, nisi PORPHYRIUS, famosus ille christiani nominis hostis, dubium hic movisset, criminatione sua, quod Matthæus, præ ignorantia, hæc verba *ex Jesaia* allegaverit, quæ nuspiam in ejus vaticiniis sint obvia. Hinc enim colligi posse videtur, Porphyrium in aliquibus saltim Codicibus Evangelii secundum Matthæum post προφήτου nomen *Jesaiae* legisse.

§. II.

x) Observamus hic, in *Breitingeriana* & aliis τῶν LXX. Editionibus, quæ, quoad partitionem Librorum sacrorum, non ad Codicem Masorethicum efformatæ sunt, Psalmum hunc esse LXXVII. Ibi enim, qui nobis Psalmi IX. & X. habentur, ut unus Psalmus IX. comparet, à cujus v. 21. noster X. incipit. Et sic pervadit hæc discrepantia universum Psalterium usque ad Ps. nobis CXLVII. illis CXLVI. in quo a verbis v. 11. Ἀλληλούϊα. Ἀγγαῖος καὶ Ζαχαρίας illæ Editiones Psalmum CXLVII. incipiunt, atque sic in ultimis iterum Psalmis eundem nobiscum Numerum servant. Qui intra hos limites ex LXX. evolvunt vel allegant Psalmos, hocce Editionum discrimen semper ante oculos habere debent, ne non inveniatur, vel quod quærunt, vel quod quærere alios jubent. Videantur de hoc discrimine *Edit. LXX. Breitingerianæ Proleg. Tomi I. Cap. III. §. 3.* & WALTONI *Appar. Bibl. Proleg. IX. §. 33.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0208
DFG

§. II.

Et sane non desunt in ipsa cana antiquitate vestigia, lectum olim fuisse in Matthæo: δι' Ησαΐε τȣ̃ προφήτȣ Testatur id *Auctor Comm. in Psalmos*, qui inter opera Hieronymi legitur, memorans simul, quod Porphyrius varia hac lectione abusus sit contra Christianos. Testatur idem HIERONYMUS ipse *ad Matth. h. l.* Legi, inquiens, in nonnullis Codicibus; & studiosus Lector forte id ipsum reperiet in eo loco, ubi nos posuimus, & Vulgata habet Editio, ut impleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem, ibi scriptum per *Esaiam* Prophetam dicentem. Quod quia minime inveniebatur in Esaia, arbitror postea à prudentibus viris esse sublatum. Sed mihi videtur in principio editum: quod scriptum est per *Assaph* Prophetam. Septuagesimus enim septimus Psalmus, de quo hoc sumtum est testimonium, Assaph Prophetæ titulo inscribitur: & primum scriptorem non intellexisse Assaph, & putasse scriptoris vitium, atque emendasse nomen Esaiæ, cujus vocabulum manifestius erat. Hæc *Hieronymus*. Idem testatur etiam *Anonymus* quidam è Græcis, *in Catena ad Psalmos*, cujus verba videantur in OLEARII *Obss. ad Matth. p. 410.* E recentioribus vero avide id arripuit, ac in rem suam vertit (non RICH. SIMONIUS, ut WOLFIUS scribit, sed) CLERICUS sub fictitio *Critobuli Hierapolitani* nomine, *in Epist. de Novis Bibliis Polyglottis p. 439.* nec non GUIL. WHISTONUS *in Conatu Restit. Text. hebr. V. T. p. 315.* Quorum illi, CLERICO, plane ad palatum est, quando HIERONYMUS ait, quoniam hæc verba in Esaia non inveniebantur, postea à *Prudentibus* sublatum fuisse nomen Esaiæ, scilicet ad vitandam Ethnicorum calumniam; hic vero, WHISTONUS, Textum hebræum inde corruptionis arguit, quia Matthæus in eo legerit, quæ hodie haud in eo legantur. Contra *illum* videatur OLEARIUS *l. c.* contra *hunc* FR. WOKENIUS *in Harmonia Vet. & Novi Test. p. 353. seqq.*

§. III.

Nobis sequentia annotasse sufficiat: 1) CLERICUS ex testimoniis supra allegatis temere colligit, Hieronymi & Porphyrii ætate, quorum ille Sec. IV. hic III. vixit, in *plerisque* Codicibus lectum fuisse nomen *Jesaiae*; nam *Auctor* quidem *Comm. in Psalm. multa* tantum (non autem *plurima* vel *pleraque*) Evangelia ita habere ait; HIERONYMUS de *nonnullis* modo Codicibus loquitur, in quibus ita legerit; & *Scholiastes* ille græcus *in Catena ad Psalm.* nomen Jesaiæ, ut ἐν ταῖς ἀρχαίαις βίβλοις ȣ̓ κείμενον plane e textu Matthæi proscribit. Neutiquam ergo allata testimonia probant, Lectio-

nem illam nominis *Jesaiae* in Codicibus Porphyrianæ & sequentis ætatis *pervulgatam* fuisse. 2) Christianos, evitanda cavillationis Porphyrianæ studio nihil in hoc loco immutasse aut sustulisse, sole clarius liquet ex eo, quod *diu ante Porphyrium omissum* inveniatur in Codicibus Matthæi nomen *Jesaiae*, ita ut simpliciter *Prophetae alicujus*, non *Prophetae Jesaiae*, verba allegentur. Ipso enim Hieronymo teste, antiqua Versio latina, Itala seu Vulgata dicta, quam paulo post incunabula Christianismi WALTONUS & ipse quoque RICH. SIMONIUS, vel saltim Pii, Episcopi Romani tempore, adeoque ante A. 153. quos is obiit, natam esse JOH. MILLIUS statuit; hæc inquam Versio, omnium facile antiquissima, nomen *Jesaiae* non exhibet: Exulat quoque e Versione *Syriaca*, quæ, si Melitonis jam ætate, adeoque ante A. C. 170. in Ecclesiis Syriacis lecta fuit, ut MILLIUS censet, non sane multum post Apostolorum tempora concinnata, aliquot certe ætatibus antiquior Porphyrio fuerit necesse est, adeoque luculentum de genuina antiquissimorum Codicum in Syria & *Oriente* dispersorum lectione testimonium perhibere poterit; quemadmodum contra de antiquissimorum Codicum *Occidentis* fide Italicam Versionem testem habemus. Mirum quoque foret, si tam pervulgata olim fuisset ista lectio, nullum pro illa Codicem invenire potuisse MILLIUM; BENGELIUM vero nonnisi unum Parisinum 6. Rectius itaque 3) statuitur, nomen *Jesaiae* nunquam in Textu exstitisse, sciolum vero Librarium, cujus animo illud hæserat ex v. 14. hujus Cap. & ex v. 17. Cap. antec. quodque Jesaiam alibi quoque in N. T. & apud ipsum Matthæum solo προφήτου nomine allegari, in eoque allegando alias quoque Matthæum frequentiorem esse observasset, margini alleviisse, unde postea in ipsum textum irrepserit. Quæ quidem conjectura probabilior saltim est illa *Hieronymi*, quando suspicatur, scriptum primitus fuisse διὰ Ἀσὰφ τοῦ προφήτου, Librarium vero, cum non intelligeret, quis sit *Assaph*, & quomodo is *Propheta* vocetur, nomen ejus cum altero illo *Jesaiae* permutasse. Codices certe, qui Assaphi nomen præferant, nec ipse vidit *Hieronymus*, nec ullos, qui vidissent, allegare potuit, nec inde ab ejus ætate in christiano orbe Codex conspectus fuit, qui hanc lectionem firmaret.

§. IV.

Inconcussum itaque nobis manere puto, quod Matthæus in Allegatione hac respiciat locum Ps. LXXVIII. 2. Neque obstat, quod *Prophetae* alicujus dictum allegans Evangelista, non videatur *Assaphum*, qui Psalmi hujus Auctor sit, innuisse, cum is nunquam inter Prophetas, neque רִאשֹׁנִים, *priores*, neque אַחֲרוֹנִים, *posteriores* relatus fuerit. Responderi enim potest, a) quod Christus ipse Scripturam V. T. in *Legem* & *Prophetas* distri-

ſtribuerit, ſicque & Pſalmos *Prophetiarum* titulo inſigniverit. b) Quod *Aſſaph* 2 Chron. XXIX. 30. expreſſe appelletur הַחוֹזֶה *Videns*, *der Seher*, נָבִיא autem & חוֹזֶה Synonima ſint. cf. 1 Chron. XXVI. 1. 2. 3. 5.

§. V.

Quod vero jam II. *Allegationem* ipſam attinet, obſervamus 1) prius hemiſtichion אֶפְתְּחָה בְמָשָׁל פִּי feliciſſime translatum eſſe tam a LXX. quam a Matthæo, qui eos hac in parte preſſe ſequitur. מָשָׁל enim ſignificat *Parabolam*, h. e. ſententiam ſcite graviterque dictam, inſtituta ſimul *comparatione* cum alia re. 2) Quoad alterum hemiſtichion curatius hebræa vertit Matthæus quam LXX. Nam a) hebraicum verbum אַבִּיעָ non proprie ſignificat φθέγξομαι *eloquar*, ſed *ſcaturiam*, ſimilitudine ducta à fonte, qui aquas præ copia & impetu cum ſono ſcaturit; unde ipſi LXX. alias hoc verbum per ἐρεύγομαι & ἐξερεύγομαι vertunt. Pſ. XIX. 3. CXIX. 171. CXLV. 7. HESYCHIUS vero τὸ ἐρεύγεσθαι exponit per ἀναβάλλειν, uti ſcilicet fons aquas *protrudit*; item per βρύειν *ſcatere*, & βρύχειν, quod alias *ſtridorem fluctuum* refert: ac ſane Chriſtus ita largiter effudit parabolas, in hoc præſertim Cap. XIII. Matthæi, ut altera ſubinde alteram exciperet. b) Hebraicum חִידָה proprie quidem *Ænigma* nota, quod KIMCHI definit per ſermonem occultum, unde intelligitur res alia. Vid. Ezech. XVII. 2. Jud. XIV. 12. ſeqq. Num vero peccavit Evangeliſta, Participium κεκρυμμένα ponens pro nomine αἰνίγματα? Melius profecto hoc modo expreſſit vim hebraicæ vocis, quæ, ut modo dictum, ſermonem occultum notat, quam LXX. חִידוֹת vertentes προβλήματα. Licet enim ænigmata quandoque ſint *problemata*, *Aufgaben*, *die man auflöſen ſoll*; non tamen omnia problemata ſunt ænigmata. c) מִנִּי קֶדֶם preſſe quidem LXX. verterunt ἀπ' ἀρχῆς, ſed non minus recte Matthæus ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, *explicans* hoc modo, qualis ἀρχὴ ſeu principium intelligi debeat.

§. VI.

Supereſt III. ut *Applicationem* quoque abs Matthæo factam vindicemus. Sunt 1) qui hunc in finem probare ſatagant, Pſalmum LXXVIII. *litteraliter de Chriſto* intelligendum eſſe: *Hunc* enim in eo Eccleſiæ N. T. enarrare, & quidem per מְשָׁלִים & חִידוֹת, quod Deus populo Vet. Teſt. multa quidem beneficia exhibuerit, ipſe vero ingratum ſe erga Benefactorem ſuum præſtiterit, e quibus, tanquam parabolis, populus N. T. diſcere debeat caute agere. Ita WOKENIUS *l. c.* cui viam præivere COCCEJUS, CALOVIUS, SEB. SCHMIDIUS, MICHAELIS *in Bibl. Hal.* quos inter inprimis

videatur CALOVIUS *in Bibl. Ill. ad h. l. Matth.* 2) Alii sufficere putant, si dicatur, Assaphum fuisse Typum Christi, ejusque narrationem sententiosam fatorum populi Vet. Test. in Ps. LXXVIII. Typum parabolarum ac ænigmatum, quibus Christus Matth. XIII. usus sit in depingendis fatis Ecclesiæ N. T. ut adeo, quæ Assaphus proxime ac litteraliter de se ipso suoque docendi modo dixerit, recte à Matthæo applicata fuerint ad Christum Ejusque parabolicam docendi Methodum. Ita v. g. LUCAS *Brugensis in* POLO. Cum vero nullis argumentis idoneis probari queat, *Assaphum Messiae Typum* fuisse, & concesso etiam, quod fata populi judaici Ps. LXXVIII. enarrata quodammodo typus sint fatorum Ecclesiæ christianæ Matth. XIII. parabolice à Christo enarratorum, inde tamen haud sequatur, Methodum docendi ab Assapho adhibitam typum fuisse methodi a Christo usurpatæ: Malunt alii 3) ad evitandos incredulorum cavillos fateri, per *nudam Allusionem* hunc Psalmi locum a Matthæo ad Christum ejusque parabolicam docendi Methodum applicari. Ita SPANHEMIUS, & e Nostris GLASSIUS *Phil. S. p. 2059.* HACKSPANIUS, CARPZOVIUS *in Crit. S. p. 860. 865.* & PFAFFIUS *in Not. ad Matth. p. 133.*

§. VII.

Dum vero hi Auctores de *Allusione* & *Accommodatione* loquuntur, neutiquam intelligunt Socinianam illam, sed talem, quam Spiritus Christi, qui in Prophetis erat 1 Pet. I. 11. intendit, & quæ fundamentum habet in ipsa *Analogia rerum*, utroque loco contentarum. Ita h. l. a) Spiritus Christi, qui in Assapho erat, intendit, ita loqui per hunc Prophetam, ut Evangelista, eodem Spiritu actus, verba ejus in Christo impleta dicere posset. b) Insignis quoque Analogia est tam inter *Methodum docendi*, qua Assaph & Christus usus est, quam inter *res*, quas ille & hic docuit. Nam α) inter Assaphi & Christi methodum hoc quidem interest, quod in Ps. LXXVIII. *verae* rerum gestarum *historiae* adducuntur, a Christo vero Matth. XIII. narrationes fictæ, μυθώδεις & ἀλληγορικαὶ, e. g. de semine, zizanio &c. sed tamen utrumque *communem rationem* in eo obtinet, quod & *illae* & *hae* parabolæ sunt, statum Ecclesiæ Vet. & Novi Test. adumbrantes; ita quidem, ut β) *facta*, quæ Assaphus narrat, revera typus & imago fuerint fatorum Ecclesiæ N. T. ipso Paulo, viro θεοπνεύστῳ, teste 1 Cor. X. 6. 11. quem locum & GROTIUS, COCCEJUS, GLASSIUS & alii hac in causa allegant. Atque in hac sententia nobis videmur tuto acquiescere posse.

XX. AL-

XX. ALLEGATUM.

MATTH. XV. 7 - 9.

Ὑποκριταὶ, καλῶς προεφήτευσε περὶ ὑμῶν Ἡσαΐας λέγων, Ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς ἕτος τῷ στόματι αὐτῶν, καὶ τοῖς χείλεσί με τιμᾷ. ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόρρω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ· Μάτην δὲ σέβονταί με, διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων.

MARC. VII. 6. 7.

Ὅτι καλῶς προεφήτευσεν Ἡσαΐας περὶ ὑμῶν τῶν Ὑποκριτῶν, ὡς γέγραπται, Οὗτος ὁ λαὸς τοῖς χείλεσί με τιμᾷ, ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόρρω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ· Μάτην δὲ σέβονταί με, διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων.

JES. XXIX. 13.

יַעַן כִּי נִגַּשׁ הָעָם הַזֶּה בְּפִיו וּבִשְׂפָתָיו כִּבְּדוּנִי וְלִבּוֹ רִחַק מִמֶּנִּי וַתְּהִי יִרְאָתָם אֹתִי מִצְוַת אֲנָשִׁים מְלֻמָּדָה׃

VERSIO LXX.

Ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς ἕτος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ, καὶ ἐν τοῖς χείλεσιν αὐτῶν τιμῶσί με, ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόρρω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ· μάτην δὲ σέβονταί με, διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων καὶ διδασκαλίας.

§. I.

Est hoc Allegatum Christi Servatoris ipsius; in quo etiam inter Evangelistas & LXX. Interpretes satis convenit, nisi quod Marcus priora dicti Jesaiani verba ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς ἕτος τῷ στόματι αὐτῶν omiserit. Itaque I. in eo laborandum est nobis, ut Versiones Græcæ concilientur cum Textu hebræo: ubi quidem 1) voculæ hebraicæ יַעַן כִּי *propterea quod*, indicant, exponi hoc versu *culpam* populi, uti v. seq. 14. *pœnam*, præmissa vocula לָכֵן *ideo*. Cum itaque pœnam ex Jesaia allegare nollet Christus, utique τὸ יַעַן כִּי omittere potuit. 2) Verbum נִגַּשׁ recte translatum est per *appropinquavit*. Quamvis enim, uti PFAFFIUS *in Not. ad Matth. p. 139.* annotat, quædam Exemplaria Codicis Masorethici habeant נִגַּשׂ, quod significat *arctatus*, *oppressus fuit*. v. g. 1 Sam. XIII. 6. unde & MUNSTERUS

 locum

locum sic reddit: Quoniam populus ille, *quando affligitur*, ore suo & labiis honorat me: clarum tamen est, & LXX. & Matthæum legisse נִגַּשׁ *appropinquavit*; adeoque non peccasse vertendo per ἐγγίζει. Neque etiam *praesens* male positum est pro *praeterito*, quia hoc etiam vim præsentis habet apud Hebræos: נִגַּשׁ enim hoc loco *actum continuum* notat, appropinquavit, & adhuc appropinquat. 3) הָעָם הַזֶּה fastidium Dei erga postulum judaicum notare, ad Allegatum XVIII. §. I. jam observavimus. 4) Verba וְלִבּוֹ רָחַק מִמֶּנִּי proprie quidem notant, *& cor suum longe amovet a me*; רָחַק enim est Præteritum Piel: at salvo tamen sensu LXX. dicere potuerunt πόρρω ἀπέχει *longe abest*.

§. II.

Hucusque omnia sunt expedita; at in seqq. non exigua se prodit difficultas. 5) Enim verba hebræa וַתְּהִי יִרְאָתָם אֹתִי מִצְוַת אֲנָשִׁים מְלֻמָּדָה ad verbum proprie sonant: *Et est reverentia ipsorum, qua me reverentur, praeceptum hominum edocta.* Cur ergo LXX. Matthæus & Marcus vertunt μάτην δέ σέβονταί με, quasi וַתְּהִי significet μάτην δέ? Respondet a) GROTIUS, LXX. Interpretes, Codice non punctato usos, pro וַתְּהִי *& est*, quod nunc legimus, in suo Codice legisse וְתֹהוּ, & תֹּהוּ accepisse pro eo, quod alias dicitur לְתֹהוּ *in vanum*, vel *frustra*, ut Jes. XLIX. 4. Addit etiam in Veteri Scriptura hebraica litteras ו & י vix potuisse discerni, nec omnes lectiones discrepantes a Masorethis fuisse annotatas. Ingeniosa hæc esse, quis neget? Calculum sane suum adjecit PFAFFIUS *in Not. ad Matth.* y) Sed non æque solida esse, VITRINGA *ad h. l.* ex eo probat, quod insolens plane & incommoda foret constructio וַתְּהִי יִרְאָתָם pro וּלְתֹהוּ יִרְאָתָם z). Accedit

y) Quibus etiam Ill. MICHAELIS accedere videtur, quando locum nostrum illis annumerat, in quibus Scriptores N. T. Interpretes Græcos sine culpa secuti sint, etiamsi humani quid hi passi fuerint, sive lectionem minus genuinam expresserint; modo his non obstantibus, probaretur, quod probari debebat. Vid. *Einleitung in die göttl. Schriften N. B. p. 79.*

z) Hæc tamen, ratio, solitarie spectata, parum probaret. Nam eodem modo תֹּהוּ pro לְתֹהוּ *inaniter, frustra*, occurrit Jes. XLV. 19. Neque cum SURENHUSIO sensum textus hebræi per se tam obscurum & hiulcum existimaverim, qui, uti supra audivimus, sic exponi potest: Et est reverentia eorum, qua me reverentur, edocta præceptum hominum: *Man hat sie gelehret, mich nach Menschengeboten zu verehren.* De ejusmodi Constructione Verbi substantivi cum Participio vid. GLASSIUS p. 922. Inanem vero esse istam reverentiam, *explicationis ergo* addiderunt Interpretes.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0214
DFG

cedit etiam, quod temerarium ſit, confidenter pronunciare, hoc vel illomodo legiſſe LXX. in Codicibus ſuis, cum iſti non amplius ad manus ſint. Rectius proinde b) dicitur, LXX. Matthæum & Marcum hic, ut ſæpe alias, *exegetice* vertiſſe. Neceſſe eſt enim, ut bene GROTIUS annotat, *fruſtra* Deum colant, quorum cultus Deo diſplicet. Quin, SURENHUSIO obſervante p. 251. maxime neceſſaria erat hujusce vocis inſertio, quia ſine illa textus græcus perquam obſcurus fuiſſet & hiulcus propter obſcuritatem textus hebræi, qui nullam patitur interpretationem claram, niſi additis quibusdam. Quis enim ſenſus ineſt verbis וַתְּהִי יִרְאָתָם אֹתִי *Et eſt timor eorum me?*

§. III.

Hinc 6) obſervandum eſt, cum יִרְאָתָם אֹתִי proprie vertendum fuiſſet *reverentia eorum me*, quod Latinis inficete dicitur, ſed Hebræis eleganter, recte Interpretes Græcos illud vertiſſe σέβονταίμε, mutato Subſtantivo verbali in Verbum originis ſuæ. Apud Hebræos ſcilicet nomina verbalia, tam abſoluta quam conſtructa, caſum verbi ſui, hoc eſt, Accuſativum regunt, qui latine per Genitivum explicandus eſt. Exempla dabit GLASSIUS *in Phil. S. p. 687.* ut adeo tales locutiones *ellipticae* ſint, ad quas ſupplendas verbum requiritur, quemadmodum hic verbum יָרֵא: integra enim locutio hæc foret: יִרְאָתָם אֲשֶׁר יָרְאוּ אֹתִי *Reverentia eorum, qua reverentur me.* 7) Verba מִצְוַת אֲנָשִׁים מְלֻמָּדָה Matthæus & Marcus vertunt διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων, fere ut Alexandrinus Interpres, niſi quod hic extremas voces transponat, easque conjungat per copulam διδάσκοντες, ἐντάλματα ἀνθρώπων καὶ διδασκαλίας: quæ ſane verſiones ſenſum textus hebræi optime exprimunt, & Evangeliſtarum illa concinnior adhuc eſt LXX virali. 8) Denique adſpergendum eſt nonnihil de varia illa lectione, quæ apud Matthæum deprehenditur. Priora ſcilicet v. 8. verba ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος ἐν στόματι αὐτοῦ, καὶ — non in omnibus tam Codicibus, quam Verſionibus comparent, & apud Marcum in nullo vel Codice vel Verſione; unde HIERONYMUS & ERASMUS illa à Studioſo quodam, defectum in Allegato Matthæi animadvertente, e LXX. addita fuiſſe ſuſpicantur; & BENGELIO quoque ſuſpecta ſunt, qui ex Jeſaia illa huc reſtituta fuiſſe cenſet. Certe *ad ſcopum Chriſti* non neceſſario requiruntur; ſatis enim probandum probat etiam abbreviatum Marci Allegatum. Interim tamen nec hoc plane certum pronunciat BENGELIUS, quod a Matthæo ſint omiſſa.

§. IV.

§. IV.

Quod jam II. ad *Applicationem* hujus oraculi ſpectat, nullæ lineæ, inquit VITRINGA *ad h. l.* colores nulli clarius deformare poſſunt ſtatum gentis Judaicæ, qualem ex Hiſtoria Evangelica intelligimus fuiſſe populi Judaici, quam hæc verba Prophetæ. Si Jeſaias ſuo tempore, quo hypocriſis damnabilis in Religione majorem populi partem occupavit, ſimile vitium in Eccleſia ejus ætatis deprehenderit: quod ita ſe habuiſſe quis miretur, cum populus Judæus omni fere tempore idem prodiderit ingenium & eandem indolem? Certum tamen & extra dubitationem poſitum eſt, *vitia hypocriſios & corruptorum ſtudiorum litterarum divinarum* nullo tempore magis fuiſſe conſpicua, quam ipſa illa ætate, qua Filius Dei ſtatum Eccleſiæ ſuis oculis inſpexit: qui proinde hæc vatis noſtri verba ad Phariſæos & phariſaicæ doctrinæ ſectatores ipſe applicuit, cum hac præfatione apud Matthæum: *Hypocritae, bene de Vobis prophetavit Jeſaias;* ſive, ut Marcus habet: *Bene prophetavit Jeſaias* περὶ ὑμῶν τῶν ὑποκριτῶν *de vobis Hypocritis.* Agnoſcit igitur & demonſtrat Dominus in his verbis *Prophetiam* de hominibus ſui temporis, & quidem de Phariſæis, quos ibidem redarguit. Ita VITRINGA. Non ſine indignatione itaque legi poſſunt, que CLERICUS *in Nota ad Hamm.* hic habet; Non crediderim, inquiens, uti GROTIUS quidem exiſtimavit, hic ſpectari *alterum implementum* Vaticinii Jeſaiæ, qui *iſtis verbis nil praedicit*, ſed caſtigat Hebræos ſui temporis. Verum ita loquitur Chriſtus, quia Jeſaias veteres Hebræos deſcribens, eadem opera indolem ultimorum Nepotum graphice expreſſerat. Itaque προφητεύειν hic non debet urgeri; nec alia eſt ſententia Verborum Chriſti præter hanc: Ea dixit de Majoribus veſtris Propheta Jeſaias, quæ in vos aptiſſime quadrant, ut, ſi reipſa ad vos reſpexiſſet, aliter loqui non potuiſſet. Quæ nos quæſo cogit neceſſitas, proprium τῦ προφητεύειν ſignificatum hic deſerendi, & figuratum præferendi? Certe & *pœna* v. 14. Jeſaiæ deſcripta a Paulo 1 Cor. I. 19. diſerte ad tempora N. T. applicatur [a]).

XXI. AL-

a) Integram adeo Prophetiam Cap. XXIX. Jeſ. contentam neque ad tempora Hiskiæ & expeditionem Sennacheribi contra Hieroſolymas ſuſceptam, uti GROTIUS quidem exiſtimavit; neque ad Calamitatem Babylonicam, uti CALOVIUS; ſed ad ipſa tempora N. T. & ultimum Hieroſolymorum excidium proſpicere; idoneis argumentis Noſter adſtruet infra in Alleg. 1 Cor. I. 19. ex hoc ipſo Capite & verſu, qui hactenus expoſitum immediate excipit, deſumto.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0216
DFG

XXI. ALLEGATUM.

MATTH. XIX. 4.

Οὐκ ἀνέγνωτε, ὅτι ὁ ποιήσας ἀπ' ἀρχῆς, ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς;

MARC. X. 6.

Ἀπὸ δὲ ἀρχῆς κτίσεως, ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτοὺς ὁ Θεός.

GEN. I. 27.

זָכָר וּנְקֵבָה בָּרָא אֹתָם׃

VERSIO LXX.

Ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς.

§. I.

Ostensurus contra Pharisæos Optimus Servator, quod repudia uxorum non conveniant primæ Conjugii institutioni, ante omnia provocat ad oraculum divinum, ὅτι ὁ ποιήσας ἀπ' ἀρχῆς, (Marcus addit κτίσεως) ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς. Quæ postrema verba exacte respondent hebraicis זָכָר וּנְקֵבָה בָּרָא אֹתָם; nec censuram meretur, quod בָּרָא per ἐποίησε redditur, cum alias vulgo discrimen esse statuatur inter *creare* & *facere*: In ipsa sane historia creationis, & hominis quidem, עָשָׂה, *fecit*, cui in Græco respondet ποιεῖν & בָּרָא *creavit*, promiscue usurpatur, ut patet ex collatione v. 26. 27. נַעֲשֶׂה, וַיִּבְרָא Immo verbum græcum ποιεῖν Exegesin addit hebræo בָּרָא, non intelligi creationem immediatam ex nihilo, sed mediatam.

§. II.

Recte vero à Christo *applicatum* esse hunc locum Gen. negari nequit; sive dein 1) cum GROTIO dicas, verba hæc modo addita esse ad contexendam orationem; non vero, quasi vis argumenti, quod Christus h. l. contra Pharisæos nectit, ex parte in iis posita sit: sive 2) cum aliis, quod omnino Christus ex eo, quod Deus initio creavit marem & fœminam, peculiare, idque primum argumentum deducat; hoc scilicet: Si Deus non marem & *fœminas*, sed marem & *fœminam*, neque adeo marito plures una uxores, initio creavit, utique societatem conjugalem è duobus tantum constare voluit, atque sic Monogamiam, eamque indissolubilem, primitus instituit. Ita CHRYSOSTOMUS: Non unum virum & unam mulierem, sed uno Adamo condito duas fecisset mulieres, siquidem voluisset, unam rejici, alteram induci. Cæterum τὸ ἀπ' ἀρχῆς emphaticum est. Recurrit nimirum Christus ad primas origines instituti divini, cum Deus ad ipsam æqui bonique naturam, non ad depravata hominum ingenia instituta sua accommodaret. Et quum Marcus addit κτίσεως eo ipso docet, ante creationem in Gen. descriptam non fuisse ullam creationem, quod contra Præadamitismum notandum est.

XXII. ALLEGATUM.

MATTH. XIX. 5. 6.

Καὶ εἶπεν, Ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα· καὶ προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ αὐτοῦ, καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.

MARC. X. 7. 8.

Ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα αὐτοῦ, καὶ τὴν μητέρα· καὶ προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.

1 COR. VI. 16.

Ἔσονται γάρ φησιν, οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.

EPH. V. 31. 32.

Ἀντὶ τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα αὐτοῦ καὶ τὴν μητέρα· Καὶ προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.

GEN. II. 24.

עַל־כֵּן יַעֲזָב־אִישׁ אֶת־אָבִיו וְאֶת־אִמּוֹ וְדָבַק בְּאִשְׁתּוֹ וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָד׃

VERSIO LXX.

Ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα αὐτοῦ καὶ τὴν ματέρα αὐτοῦ, καὶ προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ αὐτοῦ· Καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.

§. I.

Allegatum hoc immediate subsequitur antecedens, & ita I. comparatum est, ut nulla fere inter Versionem Græcam & Textum hebræum *Conciliatione* opus sit, si excipias ultima utrinque verba, ubi pro וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָד tam LXX. quam Scriptores N. T. habent: καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν, interserentes voculam numeralem οἱ δύο, cui in Hebræo nihil respondet. Inde quis 1) in dubium vocare posset Christi ac Pauli fidem, quasi inseruissent textui voculam δύο, ut sua dein Consectaria ex illa elicere possent, & ex ipsa ista *personarum* in Conjugio *dualitate* contra Pharisæos argumentari. Sed R. a) Voculam δύο hoc est *dualitatem* in ipso Textu hebræo tacite involvi, quia totus contextus ibi docet, fuisse duos tantum homines, ἄρσεν καὶ θῆλυ; unde non opus fuerit, ut in eo expresse poneretur שְׁנֵיהֶם. Quod ergo in Genesi contextus, etiam absque hac vo-

ce

ce numerali, dabat, citatio vero dicti extra contextum non tam clare; illud in N. T. ad claritatem sensui afferendam additum fuit. cf. CARPZOVIUS *in Crit. S. p. 867.* & S. R. ERNESTI *in der Neueſten theol. Bibl. P. I. p. 649.* b) Nec omne nec præcipuum robur argumentationis Christi à vocula οἱ δύο pendet, sed è verbis εἰς σάρκα μίαν: hoc est, ex *unitate carnis* potissimum concludit Christus, quod dilucide docent verba: ὥστε οὐκέτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σὰρξ μία. Sive igitur οἱ δύο expressum esset, sive de dualitate personarum aliunde tantum res certa fuisset; conclusio hæc legitime potuisset fieri.

§. II.

2) WHISTONUS hic quoque intercedit, atque ex eo, quod omnes N. T. Scriptores, hunc locum citantes, habeant οἱ δύο; quod idem habeant LXX. quin & Codex *Samaritanus*, & versio *Syriaca*, nec non *Vulgata* dualitatem exprimant, confidenter colligit, omnes hosce Interpretes in Codicibus suis hebraicis legisse τὸ שְׁנֵיהֶם: adeoque cum nos illud in nostris non amplius legamus; fundatissimam esse suspicionem suam, quod Judæorum fraude Sec. II. post C. N. istud e Textu hebræo sublatum sit. Respondetur: a) Temere *contra omnium Codicum & MStorum & impressorum* consensum asseri, aliter olim in Textu lectum fuisse, ac nunc legatur. Omnes sane *Capelli & Whistoni* omni suo conatu Codicem Masorethicum nondum de ponte potuerunt dejicere [b]). b) Antiquissimum *Targum* ONKELOSI legit, ut hodie legimus: *& erunt in carnem unam.* c) Non ex Versionibus de Textu, nec ex variante Lectione (ponendo etiam, Samaritanum Textum tantum valere, quantum aliud Exemplar Hebræi Codicis, unde & Clericus ad h. l. dissensum Codicis Hebræi & Samaritani non corruptionem, sed tantum variam lectionem inferre fatetur) statim de errore judicari potest. d) Interpres *Samaritanus* æque ac LXX. ex contextu magis ejusque sensu, quam ex ipso Textu ejusque verbis sumsisse videntur suum שְׁנֵיהֶם & οἱ δύο. *Syrus* vero ex LXX. uti & alias facere consuevit; & *Vulgatus* denique suum *duo* ex græco οἱ δύο Novi Test. e) Nulla fuisset causa, quare Judæi Sec. II. vocem שְׁנֵיהֶם

 expun-

b) Scripsit hæc Vir Beatus, antequam conatus *Kennicotiani* multum innotescerent. Num his Codicis Masorethici Auctoritas tandem cedere debeat, tempus docebit. Forsan major est post aliquot lustra apud Cordatiores, quam nunc est, & inde à Capelli tempore unquam fuit. Hoc certum est, a Textu N. T. cui felicissime manus critica adhibita fuit, ad Textum V. T. non valere consequentiam. Tacemus, quæ dudum & recentissime istis conatibus opposita fuerunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0219
DFG

expungerent; nec idonea ſuſpicandi ratio, in medio verſus ante duas voces ultimas, temporis injuria, Codices omnes corruptos eſſe, & tamen duo ultima verba, item reliqua, quæ vel antecedunt vel ſequuntur, inprimis τὸ שְׁנֵיהֶם v. 25. ſarta manſiſſe. Si excipias, omnino Judæis cauſam fuiſſe delendi τὸ שְׁנֵיהֶם, ut ſcilicet libertatem repudiorum retinerent: Reſp. Argumentum Chriſti etiam ſine illa voce numerali firmum eſſe, ſupra evicimus; incaſſum ergo corruptionem tentaſſent & abſurde, illud in Textu relinquendo, unde Chriſtus contra illorum Majores olim præcipue argumentatus eſt, ſcil. לְבָשָׂר אֶחָד. Tantum de *Allegatione*.

§. III.

II. Ut *Applicationem* quoque vindicemus, vix opus eſt, cum nemo ſit, qui allegatis ex Moſe verbis *duplex* contra divortia argumentum ineſſe non agnoſcat: *Alterum* nimirum ineſt verbis καταλείψει & προσκολληθήσεται, quæ arguunt, arctius eſſe vinculum inter conjuges, quam inter Parentes & Liberos: Cum ergo hoc non poſſit humano arbitrio ſolvi, conjugium quoque per repudia non temere ſolvi debere: *Alterum* vero, idque præcipuum, reſultat ex *Unitate Carnis* inter Conjuges, quæ innuitur verbis וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָד καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. Sunt quidem etiam Pater & Filius *una caro* Gen. XXIX. 14. ſed non eodem modo, quo conjuges. Unde optime GROTIUS: Nulla arctior amicitia, quam Mariti & Uxoris, quæ communionem requirit affectuum, corporis, prolis, vitæ denique totius. Quam rem eſſe vere ſacram, id eſt, non humanitus, ſed divinitus repertam, magno conſenſu gentes crediderunt. Hinc invicte Chriſtus ita concludit v. 6. ὥστε οὐκ ἔτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σάρξ μία· ὃ οὖν Θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω: h. e. qui intime *unum* ſunt, & quos Deus in primæva Conjugii inſtitutione *unum* eſſe voluit, eos divelli nefas eſt & præter naturam.

XXIII. AL-

XXIII. ALLEGATUM.

MATTH. XXI. 4. 5.

Τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος Εἴπατε τῇ θυγατρὶ Σιών, Ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι, πραΰς καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον καὶ πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου.

JOH. XII. 14. 15.

Καθώς ἐστι γεγραμμένον, Μὴ φοβοῦ θύγατερ Σιών· Ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεται, καθήμενος ἐπὶ πῶλον ὄνου.

ZACH. IX. 9.

גִּילִי מְאֹד בַּת – צִיּוֹן הָרִיעִי בַּת – יְרוּשָׁלָ͏ִם הִנֵּה מַלְכֵּךְ יָבוֹא לָךְ צַדִּיק וְנוֹשָׁע הוּא עָנִי וְרֹכֵב עַל – חֲמוֹר וְעַל – עַיִר בֶּן – אֲתֹנוֹת׃

VERSIO LXX.

Χαῖρε σφόδρα, θύγατερ Σιών, κήρυσσε, θύγατερ Ἰερουσαλήμ· Ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι δίκαιος καὶ σώζων, αὐτὸς πραΰς καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὑποζύγιον καὶ πῶλον νέον.

§. I.

In eo differunt circa hoc Allegatum Matthæus & Johannes, quod ille in medio historiæ de ingressu Christi regali in urbem Hierosolymam illud exhibeat; hic sub finem: Uterque vero circumstantias illius, quas supercilioſa ratio & exiles & leviculas despicere posset, Allegato hoc prophetico mire illustrat, atque ingens illis pondus addit; digna sane memoratu erant, quæ per Prophetam Deus prædicere dignatus est.

§. II.

Quodsi vero jam I. *Allegationes* Evangelistarum cum Textu hebræo conferamus, multiplex se prodit differentia, *inter* Zachariam & Matthæum, *inter* Zachariam & Johannem, & *inter* Matthæum & Johannem; pressius vero multo Versio LXX. Textum hebræum secuta est. 1) Itaque

Matthaeus priora oraculi verba גִּילִי מְאֹד בַּת־צִיּוֹן הָרִיעִי בַּת־יְרוּשָׁלִָם *Exulta valde, Filia Zion, jubila, Filia Jeruſalem*, omittit, & loco illorum ponit: ἔιπατε θυγατρὶ Σιών. *Johannes* vero non quidem prorſus illa negligit, ſed tamen minus dicit, quam Zacharias, nimirum pro *exulta & jubila* ait: μὴ φοβοῦ θύγατερ Σιών. 2) *Matthaeus* pariter omittit duo illa Regis adventantis prædicata צַדִּיק וְנוֹשָׁע, & tertium עָנִי, quod *pauperem* ſonat, vertit πραΰς, *manſuetus*: *Johannes* autem omnia tria præterit. 3) Bene quidem *Matthaeo* cum Zacharia convenit in eo, quod uterque & *Aſinae* & *pulli ejus* mentionem facit; ſed in hoc diſſenſus eſſe videtur inter Matthæum & reliquos Evangeliſtas, *Marcum*, *Lucam* & *Johannem*, quod is in tota hac hiſtoria conſtanter in plurali loquitur de *Aſina* & *pullo*: cf. v. 2. ὄνον κ᾽ πῶλον μετ᾽ αὐτῆς; v. 3. αὐτῶν — αὐτὲς; v. 5. ἐπὶ ὄνον κ᾽ πῶλον; v. 7. ἤγαγον τὴν ὄνον κ᾽ τὸν πῶλον, ἐπάνω αὐτῶν — ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν: reliqui vero ſemper in ſingulari tantum de *pullo* conf. Marc. XI. 2 - 7. Luc. XIX. 31 - 35. Joh. XII. 14. immo Johannes, etiam cum Zachariam allegat, *ſolius pulli* meminit v. 15.

§. III.

Ad 1mam difficultatem quod attinet, a) Matthæus cum Zacharia conciliari poteſt, ſi dicatur, α) Alloquium Zachariæ *exulta — jubila* ea propter omitti potuiſſe à Matthæo, quia non pertinebat proxime ad rem, cujus ergo hæc allegatio facta eſt. Sufficiebat Evangeliſtæ, probaſſe, quod Meſſias vi prædictionis propheticæ, non aliter regalem ſuum ingreſſum in urbem Hieroſolymorum inſtituere debuerit, quam actu inſtituerit, & adventus hoc modo inſtitutus ille ipſe fuerit, quem ob oculos habuerit Vates. Quod vero Johannes illud alloquium præterire noluit, per μὴ φοβοῦ θύγατερ Σιὼν illud exprimens, id inde factum eſt, quod Matthæus oraculum Zachariæ ante mentionem gaudii publici, Johannes autem poſt illam demum producit. β) Verba, quæ Matthæus Zachariænis ſubſtituit, itidem a Propheta aliquo V. T. mutuo ſumta eſſe, ſcilicet a Jeſaia, qui Cap. LXII. 11. expreſſe dicat אִמְרוּ לְבַת־צִיּוֹן *dicite filiae Zionis ecce, ſalus tua venit*; ut adeo ex hiſce verbis animo Evangeliſtæ obverſantibus, ac in eo cum verbis Zachariæ quaſi coaleſcentibus, natum ſit, quale a Matthæo exhibetur oraculum. Neque obſtat, uti quidem OLEARIUS exiſtimat *Obſſ. in Matth. 63. p. 552.* quod hoc modo non in *ſingulari* διὰ τῦ προφήτυ dicere debuerit Matthæus, ſed διὰ τῶν προφητῶν. Cum enim maxima Allegati pars, & ratione ſcopi potiſſima, e Zacharia deſumta ſit; omnino Matthæus a potiori parte Zachariam ſolum nominare potuit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0222
DFG

tuit. Id quod etiam priſcis Hebræorum Theologis in uſu fuiſſe, ut nimirum plura Scripturæ loca quandoque in unum contraherent, eaque ſic allegarent; ac ſi unus tantum eſſet locus, SURENHUSIUS probat in Βιβλ. Κατ. p. 45. 46. coll. 254. cf. etiam ſupra *Alleg.* XIV. not. m) Quo pacto non neceſſe eſt, cum OLEARIO *l. c.* hanc formulam *dicite Filiae Zion* ex ipſo Zacharia exſculpere, quaſi oraculum v. 9. pertineret ad מַשָּׂא דְבַר יְהוָה *ad onus* (ſeu ut *Olearius* vertit *commiſſionem*) *Verbi Jehovae* v. 1. Cap. IX.

§. IV.

b) Quando Johannes verba Zachariæ, quæ *poſitivum* quid ſonant, *negative* effert, adeoque plenum acclamationis propheticæ ſenſum non exhaurire videtur; probe notandum eſt: α) Frequentem eſſe in Sacris figuram λιτότητος, qua adverbia negandi, verbis appoſita, ſæpe ejus, quod exprimunt, contrarium affirmatum cum emphaſi denotant; unde μὴ φοβοῦ hoc loco tantundem valet ac hebræum הָרִיעִי, גִּילִי *exulta, jubila.* Appoſite etiam β) Johannes hac figura utitur h. l. quoniam apud Zachariam quoque τὸ גִּילִי & הָרִיעִי antitheton facit ad τὸ מְאֹד וְתָחִיל וְתִירָא *timebit & contremiſcet valde* v. 5.

§. V.

2dum Dubium a) Matthæo & Johanni vitio vertit, quod is duo, hic omnia tria Regis adventantis prædicata, a Vate cum emphaſi poſita, prætermittat; ſed recurrit ante data reſponſio, quod ſcopus Evangeliſtarum haud fuerit, plenum characterem & omnes qualitates hujus Regis deſcribere; ſed adventum modo illius, ut a Prophetis prædictum, ſiſtere. Hinc Matthæus nonniſi unicum prædicatum עָנִי, cujus realis demonſtratio erat, quod aſino vectore uſus eſt Chriſtus, exprimit; Johannes vero & hoc omittit, quia implicite continetur in καθήμενος ἐπὶ πῶλον ὄνου. Quum b) Matthæus hebræum עָנִי reddit πραΰς, cum tamen עָנִי proprie *manſuetum* notet, עָנִי vero *pauperem, afflictum, miſerum;* recte in eo ſecutus eſt LXX. quia α) nulla apparet ratio, cur עָנִי, vox ejusdem radicis cum עָנִי, & ab hac apice tantum diſtans, non πραΰν æque ac pauperem notare debeat. β) Tenue eſt diſcrimen, ut vocum עָנִי & עָנִי, ita & rerum: amant enim una eſſe πτωχεία & πραΰτης, *paupertas & manſuetudo*, uti πλοῦτος & ὕβρις, *divitiae & ſuperbia;* unde & γ) עָנִי & עָנִי Hebræis promiſcue uſurpantur; uti עָנִי non *manſuetum* modo notat, ſed etiam *pauperem, miſerum*, Jeſ. LXI. 1. & XI. 4. ubi עֲנִיֵּי – אֶרֶץ

iidem

iidem sunt, qui antea דַּלִּים dicuntur; ita & עָנִי non *pauperem* modo, sed etiam *mansuetum* significare potest. LXX. certe Ps. XVIII. 28. עָנִי vertunt ταπεινὸν, *humilem*, & SYMMACHUS πρᾶον, *mansuetum*, & Zeph. III. 12. עָנִי עַם τοῖς LXX. est λαὸς πραΰς. Quin & SAL. JARCHI & DAV. KIMCHI, *Targum* JONATHANIS secuti, ad hunc Zach. locum scribunt, עָנִי idem hic esse, quod עָנָו *mansuetus*. Accedit δ) cum prædicatum עָנִי a præcedentibus tam per insertum הוּא, quam per accentus separetur, & cum sequenti רֹכֵב עַל־חֲמוֹר per copulam vav connectatur; hocque ipso haud obscure innuatur, τὸ רֹכֵב עַל־חֲמוֹר esse realem explicationem τοῦ עָנִי, asinus autem ad solennem hunc introitum adhibitus eapropter non haberi possit pro signo *paupertatis*, quia apud veteres Hebræos nec ditioribus aut honorationibus indecorum erat, asino vehi, cf. Jud. V. 10. X. 4. XII. 14. 1 Sam. XXV. 20. 2 Sam. XVII. 23. XIX. 26. 1 Reg. XIII. 13 sqq. omnino *mansuetudinis* notio hic videtur præferenda esse, ut cujus signum asini usus esse poterat, quoniam, ut GROTIUS ait, asinus est pacis animal, Bello autem armantur equi. Conspirat etiam, quod mox apud Zachariam sequitur v. 10. qui ad minimum documento est, si vel maxime notionem *paupertatis & humilitatis* non excluſam quis velit, *mansuetudinis* tamen notionem in voce עָנִי h. l. prævalere, atque propterea præcipue attendi debere. c)

§. VI.

c) Nescio sane, cur Interpretes inter τὸ עָנִי apud Zachariam vel τὸ πραΰς apud Matthæum, & inter *vecturam Christi super asino* nexum tam arctum tamque necessarium quæsiverint, quasi posterius in explicationem prioris adhibitum sit; unde multa deinceps & varia disputatio orta est, num עָנִי *pauperem* notet an *mansuetum*, sive num Christus in *paupertatis* sive *mansuetudinis* documentum asino vehi voluerit. Nos, uti plane concedimus, עָנִי utrumque denotare posse, adeoque neque improbandos esse LXX. Interpretes, qui illud per πραΰς reddiderunt; neque Matthæum, quod hosce secutus est; ita tamen τὸ עָנִי & τὸ πραΰς a vectura Christi super asino separatum censemus, ut ille neque paupertatem neque mansuetudinem, hac vectura præcise, profiteri voluisse videatur. Nimirum quatuor prædicat Zacharias de Rege Zionis, quod צַדִּיק וְנוֹשָׁע הוּא & quod עָנִי וְרֹכֵב עַל־חֲמוֹר, in quibus non magis cohæret וְרֹכֵב cum עָנִי, ac quidem וְנוֹשָׁע cum צַדִּיק. Nam si is esset nexus inter רֹכֵב & עָנִי, quem Interpretes vulgo quærunt; abstrahendo etiam a prioribus prædicatis, eorumque ad hæc posteriora habitu, sonare debuisset עָנִי כִּי רֹכֵב sive עָנִי לְרֹכֵב. Quatuor itaque Vates filiæ Zionis de suo Rege promisit: fore enim *justum, salvatorem*, sive etiam *salvandum, mansuetum*, & *vectum iri asino*. Ex suis vero quatuor unum præ reliquis in signum esse poterat Judæis sub adventum Christi viventibus, scilicet *vectura super asino*, quæ sola sub omnium conspectum cadebat: hinc etiam utrumque

§. VI.

3tium Dubium, idque graviſſimum, natum eſt e diſſenſu Matthæi & reliquorum Evangeliſtarum. *Ille* enim conſtanter in tota hiſtoria ſolennis hujus introitus *duo jumenta* memorat, *aſinam & pullum ejus; hi* vero æque ſibi conſtant in mentione *unius* ſolummodo *pulli*. Studium hæc conciliandi varias peperit ſententias: a) Ut plane monſtroſa & ridicula ſimpliciter rejicienda eſt illa, quando PET. KIRSTENIUS *in not. ad Evang. Matth. Arab. fol. 96. & 97.* Chriſtum ſibi fingit, utroque animali, & aſina & pullo, miraculoſe vectum, ita ut corpore quidem inſederit aſinæ, pedes autem impoſuerit tergo pulli matrem comitantis, qui, per miraculum, placide ſuppedanei vices ſubierit. Ita enim non pullo, ſed aſina potius vectum eſſe dicere debuiſſent reliqui Evangeliſtæ; neque adeo nodus hoc modo ſolvitur, ſed nodus nodo innectitur. Probabilior eſt b) illa ſententia, quæ Chriſtum utrique, ſed per vices, primum aſinæ, dein pullo; vel contra primum pullo, dein aſinæ, inſediſſe tradit, atque in eo ſingulare myſterium quærit, quaſi aſina, oneribus aſſueta, Judaicum populum, tot Legum Moſaicarum & cerimoniarum jugo onuſtum; pullus vero indomitus populum gentilem, nullo hactenus Legis onere preſſum, præfiguret. Ita e Veteribus JUSTINUS MARTYR, HIERONYMUS, AUGUSTINUS, CHRYSOSTOMUS, CYRILLUS, THEOPHYLACTUS; e Recentioribus LIRANUS, CAJETANUS, JANSENIUS, OSIANDER, HUNNIUS, GERHARDUS, FRANZIUS, &c.

§. VII.

que Evangeliſtam, qui Zachariam excitabat, hujus meminiſſe oportebat. E reliquis tribus prædicatis, quæ non tam in apertum ſignum erant, poterant pro ſua libertate unum & plura & nullum allegare; Johannes nullum allegavit, Matthæus unum πραΰς. *Juſtum* eſſe Jeſum Nazarenum & *Salvatorem*, experiri demum debebant, poterant certe, Judæi; *manſuetum* eſſe, & ſi placet, etiam *pauperem*, dudum experti erant: ſed *aſino vectum* Illum Hieroſolymas ingredi debere, illo uno die & poterant & debebant edoceri. Favet etiam nobis, quod neque Matthæus τὸ πραΰς aliter vel *magis cauſaliter* connexuit cum vectura Chriſti ſuper aſino, ac quidem Zacharias, in quo quatuor prædicatorum relatio apertior eſt. *Inſolitum* erat, Chriſtum aſino vectum Hieroſolymas ingredi, & tanto magis id ipſum in ſignum cedebat, & ut a Propheta prædiceretur, dignum erat. Num vero inglorium fuerit Chriſti tempore aſino uti, nec ne? huc non facit: Neutrum per ſe intendit Chriſtus. Loca certe ex antiquis temporibus allegata nihil probant. Noſtrorum Patrum memoria multa decore fiebant, quæ hodie minus: Quid? ſi multis abhinc ſeculis aliquid in uſu fuerit? Romanorum quoque mores multum in Judæorum moribus, reſpectu Decori certe, immutarunt. Sed nos iſta omnia non tangunt. Paucis: Aſino vectus eſt Jeſus in complementum Prophetiæ; & hoc prædictum erat, ut ad rem inſoliram eamque maximi momenti eo magis attenderent Judæi: pauperem & manſuetum ſe alias demonſtrarat; at aſinus certe nihil eo pertinebat.

§. VII.

Sed habent alii, quod excipiant: α) Enim, etsi Matthæus asinam & pullum abducta, & pluraliter *illis* impositum scribat Christum, idemque Zachariæ vaticinio confirmet, nullibi tamen ait, *per vices*, primum asinæ, dein pullo, aut v. v. ipsum insedisse: Ratiocinando demum hoc ita in textum infertur. β) Si ratiocinio locus sit, verosimilius sane ex *brevitate itineris* concludi potest, uno illud jumento confecisse Christum. γ) Si dicas, non quidem itineris rationem exegisse hanc vicissitudinem, sed tamen mysterium, quod illa adumbrandum erat; tum consideres velim, si tale quid subfuisset, non id explicatius modo Matthæum enarraturum, sed nec reliquos Evangelistas vecturam asinæ prorsus tacituros fuisse. δ) In eo potius quærendum videtur mysterium, quod Christus hujusmodi asino vehi voluit, ἐφ' ὃν οὐδεὶς ἀνθρώπων κεκάθικε, ut exserte Marcus ait Cap. XI. 2. coll. Luc. XIX. 30. perinde ut Arca Fœderis olim, plaustro novo imposita, per jumenta nullum hactenus jugum experta reducebatur. 1 Sam. VI. 7. quod idem & de Vacca rufa, typo Christi, dicitur Num. XIX. 2. cf. BENGELIUS *in Gnom. ad Marc. XI. 2.* ε) Qui in eo consentiunt, quod utroque jumento vectus sit Christus, in eo tamen dissentiunt, an asina prius, an pullo usus sit? Ac sane utrumque allegoricam interpretationem admittit. Si asina prius, dein pullo usum esse statuas; hoc ipso Christum factam initio N. T. Judæorum primo, dein Gentilium conversionem præsignificasse dices: Si vero pullo primum, dein asina; tum illud mysterium hoc loco adumbratum videbis, quod Paulus Rom. XI. 25. 26. proponit, secuturam introitum gentium conversionem Israëlis prædicens. Quin nec tum nos deseret imaginandi facultas; si Christum asina plane non, sed pullo unice usum statuamus: Sic enim figuram quandam rejectionis Judæorum & electionis gentilium cernere nobis videbimur. Fluctuat ergo Allegoria, nec habet, ubi pedem tuto figere liceat. d)

§. VIII.

Alii proinde c) ad conciliandum cum reliquis Evangelistis Matthæum figuram illam, quæ *Hendyadys* dicitur, in subsidium vocant, & in verbis Mat-

d) Qui ejusmodi inventis delectantur, his forte rationibus nostra in causa inducuntur: Non probabile esse, Propheram ad nihil aliud, quam ad asinam ejusque pullum, quibus Christus in suo in urbem Hierosolymitanam introitu usus est, respexisse, Christumque ipsum actionem, ubi tantum externæ ejus considerantur circumstantiæ, haud ita notabilem, *sine respectu ad rem aliam per imaginem prædicendam* suscepisse; vel Spiritum sanctum illam ab omnibus Evangelistis nullam aliam ob causam, quam ut ea legentibus innotescat, litteris tradi voluisse. At vero Christi in urbem populi sui regiam introitus per se res satis notabilis fuit, & digna, quæ secundum singulas circumstantias litteris mandaretur, & a Propheta quoque prædiceretur, quia hæ ipsæ circumstantiæ *in signum* esse debebant. Quare etiam impletio vaticinii de Christo ad litteram facta tanti omnino erat, ut ab omnibus Evangelistis memoraretur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0226
DFG

Matthæi ἐπὶ ὄνον καὶ πῶλον voculam καὶ non *copulative*, ſuper aſina & pullo, ſed *exegetice*, ſuper aſino, *id eſt* pullo, accipiunt, quaſi poſterius ſolum explicet, qualem ὄνον, ſeu aſinum, Scriptura intelligat; nempe non quemvis, ſed pullum, πῶλον; ipſumque adeo nomen ὄνος non in fœminino *aſinam*, ſed in maſculino *aſinum* reddunt. Et favet ſane huic ſententiæ: α) Quod & Zachariæ verba per Hendyadyn exponenda eſſe videantur, cum חֲמוֹר non ſignificet *aſinam*, qualem vox אָתוֹן alias denotare ſolet, ſed *aſinum*; ut adeo & Propheta non de *aſina & pullo*, ſed de *aſino, qui eſt pullus*, loqui cenſendus ſit, conſequenter τὸ vav mere exegeticum haberi debeat. Favet illi β) quod Johannes, Prophetam allegans, ſenſum verborum ejus ſimpliciter ſic reddat: ἐπὶ πῶλον ὄνου; conſequenter Hendyadyn in iis agnoviſſe videatur. Favet γ) quod interpretatio hæc bene congruat Idiotiſmo Linguæ ſacræ, cui uſus tam præfixi hebraici vav, quam voculæ græcæ καὶ in ſenſu exegetico frequens eſt, prouti GLASSIUS docet *in Phil. S. p. 553. & 688.* Quibus rationibus δ) accedit conſenſus DAV. KIMCHII, GROTII, COCCEJI, TARNOVII, CALIXTI, HOMBERGII, WOLFII, PFAFFII aliorumque.

§. IX.

Audiamus vero etiam, quid CARPZOVIUS *in Diſſ. de Aſino Meſſiae p. 36 ſq.* huic ſententiæ objiciat: Hendyadyn locum hic habere poſſe non exiſtimat א) ex eo, quia Matthæus, quod ex Propheta v. 5. ſine articulo ὄνον καὶ πῶλον dixerat, non in ſequenti modo v. 7. articulis additis per τὴν ὄνον καὶ τὸν πῶλον, ſed & in antecc. v. 2. per clariſſimam aſinæ à pullo diſtinctionem interpretatur: εὑρήσετε ὄνον δεδεμένην, καὶ πῶλον μετ' αὐτῆς. Hinc ב) inferri poſſe cenſet: Quod ſibi adduci mandavit Chriſtus, & diſcipuli, mandatum Ejus exſecuti, adduxerunt, id Zacharias per חֲמוֹר וְעַיִר h. e. ut Matthæus vertit, ὄνον καὶ πῶλον intellexit. Atqui ὄνον δεδεμένην καὶ πῶλον μετ' αὐτῆς adduci mandavit Chriſtus, & diſcipuli actu utrumque adduxerunt. E. ג) Hebræum nomen חֲמוֹר terminatione quidem maſculinum eſt, ſed ex illorum numero, quæ Grammaticis ἐπίκοινα dicuntur, & ſub terminatione maſculini generis, ut alia animalium & volucrum nomina, tam marem quam fœminam ſignificant. Quamquam ergo Hebræi *aſinam* peculiari nomine אָתוֹן deſignare ſolent, tamen eandem quoque חֲמוֹר dixerunt, utpote quod ſpeciei, non ſexus nomen eſt; id quod unus locus 2 Sam. XIX. 26. ſi maxime plura non darentur, ſatis evincit, ubi Mephiboſeth ad Davidem: Dixit ſervus tuus, ſternam mihi הַחֲמוֹר; num *aſinum*, an *aſinam*? Immo vero *aſinam*, ut LXX. reddunt τὴν ὄνον: addit enim expreſſe וארכב עליה, non עליו, *& vehar ſuper ea*, non *ſuper eo*. Licet

igitur γ) verba Zachariæ sic optime fluant, si nomen חֲמוֹר masculine, & præfixum vav exegetice exponas: *equitans super asino*, i. e. *pullo*; clavim tamen alterius interpretationis, quæ linguæ genium non minus sequitur, suggerere videtur Matthæus, qua nomen חֲמֹר fœminine & præfixum vav copulative accipiendum est. Hæc CARPZOVIUS opponit *cit. loco.*

§. X.

Pergimus δ) ad sententiam, quæ statuit, utrumque jumentum, asinam ac pullum, Christo adductum, quod Matthæus refert, sed uno saltim eorum vectum fuisse, nempe *pullo*, quem ejus mater, simul adducta, sessorem omnium primum admittentem comitabatur, quod reliqui Evangelistæ narrant; quum vero Matthæus ait, *utrique jumento* vestes primo, dein Christum impositum fuisse, bis inquiens v. 7. ἐπάνω αὐτῶν: id ex consueto Hebraismo idem esse, ac *super uno ex illis*. Rationes sunt sequentes: α) Nihil Hebræis familiarius est, quam ita loqui, ut *pluralem* pro *uno ex pluribus*, *per ellipsin nominis distributivi* אֶחָד *unus*, אַחַת *una*, tunc semper subintelligendi, ponant; cujusmodi exemplum in hoc ipso Zachariæ vaticinio conspicimus, cum pullus, qui certe non plurium asinarum, sed unius asinæ pullus erat, בֶּן־אֲתֹנוֹת *filius asinarum* dicitur. Pertinet huc quoque locus Jud. XII. 7. ubi Jephtha sepultus dicitur in *urbibus* Gilead, h. e. in *una* ex urbibus Gilead. cf. GLASSIUS *in Phil. S. p. 624.* β) Hunc ipsum Hebraismum Scriptores N. T. & inprimis Matthæus, frequenter suum fecere: Ita enim Cap. XX. 30. *duos* memorat cœcos, cum Marcus Cap. X. 46. *unius* tantum, Bartimæi, tanquam insignioris, mentionem faciat; Cap. XXVI. 8. in plurali de *discipulis indignantibus* loquitur, cum Johannes Cap. XII. 4. ἕνα τῶν μαθητῶν fœminæ Christum ungenti indignatum scribat; Cap. XXVII. 44. itidem *latrones*, in plur. Christum conviciatos esse dicit, quod tamen Lucas Cap. XXIII. 39. *uni* tantum tribuit. Cap. XXVIII. 2. contra *unius* tantum Angeli meminit, cum Lucas Cap. XXIV. 4. *duos* memoret. Atque huc γ) nostrum quoque locum referunt GLASSIUS *in Exeg. Evang. Dom. I. Adv.* VORSTIUS *in Phil. S. P. I. Cap. 15. p. 380. seqq.* LUD. *de* DIEU *ad h. l.* HACKSPANIUS *in Not. Philol. P. III. p. 144.* CARPZOVIUS *in cit. Diss. p. 42. seq.* E veteribus autem HIERONYMUS, EUTHYMIUS &c. δ) Versio *Syriaca* itidem hunc in modum Matthæi verba interpretatur: & adduxerunt *asinum & pullum*, & posuerunt *super pullum* vestimenta sua, & insedit *illi* Jesus.

§. XI.

Quodsi vero jam ε) nostra quoque dicenda sit sententia; duas postremas in unam esse conflandas censemus, ita quidem, ut *Hendyadys* esse statuatur

tuatur tam in oraculo Zachariæ, quam in allegatione ejus apud Matthæum v. 5. Quando autem Matthæus Christum & asinæ & pullo insedisse scribit v. 7. id per Hebraismum, quo *pluralis ponitur pro singulari*, explicetur. Neque enim tam clarum est, uti quidem CARPZOVIO aliisque videtur, quod verba Matth. v. 7. ἤγαγον τὴν ὄνον καὶ τὸν πῶλον, exponant, quid per ὄνον καὶ πῶλον, sine articulis v. 5. positum, intelligendum sit; cum respiciant potius v. 2. ejusque verba: ἐυρήσετε ὄνον δεδεμένην καὶ πῶλον μετ' αὐτῆς· λύσαντες ἀγάγετέ μοι. Expendatur modo nexus v. 7. cum v. 6. πορευθέντες — καὶ ποιήσαντες, καθὼς προσέταξεν — ἤγαγον τὴν ὄνον: Nonne hæc manifeste respiciunt v. 2. ubi προσταγὴ *mandatum* illud exstat: πορεύθητε — ἀγάγετε? Et quis dubitet amplius, articulum τὴν v. 7. non ad ὄνον v. 5. sed ad ὄνον v. 2. referendum esse? Frustra etiam CARPZOVIUS p. 37. urget verba v. 4. Τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῇ; colligens inde, etiam Zachariam de *asina* æque ac *pullo* vaticinari debuisse: hoc enim nimium probat, cum nec *loci* unde, nec *legatorum*, nec *solutionis* & *adductionis* illis imperatæ, nec promtæ *dimissionis* mentionem faciat Propheta, quæ tamen omnia τὸ ὅλον respicit.

§. XII.

Militato jam hoc bello, supereſt, ut II. *Applicationem* quoque abs Matthæo & Johanne factam vindicemus, verum hujus Prophetiæ *subjectum* determinando. 1) Non desunt inter *Judaeos*, qui Zachariæ vaticinium malunt de quovis alio, quam de Messia interpretari. Hinc a) R. MOSES *Haccohen* de *Nehemia* exponit, quippe de quo Neh. VI. 7. scriptum sit: *Rex in Juda.* Sed recte illum ex con extu refellit R. ABEN-ESRA; ipse licet in aliam æque absurdam opinionem deflectens, quando b) ad *Judam Hasmonaeum* hoc oraculum pertrahit, refutatus eapropter ab IS. ABARBANELE, qui recte contra ipsum urget, quod Judas Hasmonæus omnibus vitæ suæ diebus nunquam *Rex* vocatus fuerit, neque is pacem dixerit omnibus gentibus, neque imperium tenuerit a mari usque ad mare, neque illis temporibus arcus Regni Ephraim firmatus fuerit, cum ipsum Regnum X. Tribuum, quod Regnum Ephraim vocatur, nondum hactenus restitutum sit; addens etiam, omnia reliqua totius contextus verba hanc ejus sententiam summi erroris arguere. c) Non minus insulsa est interpretatio hujus dicti de *Alexandro M.* honorifice Hierosolymam veniente, & Jaddum Pontificem venerante. Neque d) melior est illa GROTII parhermenia, quando oraculum hoc Zacharianum, immediate & proxime ad *Zorobabelem* spectare contendit; hypothesi suæ serviens, qua prædictiones, quæ ad Christum referri soleant, non aliquas forte, sed omnes, primarium quendam ac proprium & proximum sensum ad historiam ejus temporis,

quo proferebantur, pertinentem habere, ſecundario vero & myſtico ſenſu tantum atque allegorico ad Chriſtum accommodari ſtatuit. Præeuntem Grotius in hoc errore habuit THEODORUM *Mops-veſtenum*, a Vigilio propterea in Synodo Romana damnatum: Conſulatur vero adverſus ipſum CALOVIUS *in B. Ill. ad h. l. Zachariae*, MARCKIUS *ad h. l.* & HUETIUS *p. 659.*

§. XIII.

2) Verum potius ſubjectum hujus Prophetiæ eſt *Meſſias*, isque *Jeſus Nazarenus*. *Prius* quidem, etiam multi Hebræorum Magiſtri agnoverunt, tam veteres, quam recentiores, quorum loca dabit CARPZOVIUS *in Diſſ. cit. p. 5. ſeqq.* longe plures autem nominat HUETIUS *in Dem. Evang. l. modo cit.* qui & recte ex Matthæi & Johannis allegatione & applicatione colligit, horum Evangeliſtarum ætate pro certo habitum fuiſſe inter Judæos, quod Zacharias de Chriſto vaticinatus ſit. Quum vero Judæis aqua hæreat in conciliando hoc Zachariæ vaticinio cum vaticinio Danielis, ubi cum *nubibus cœli* venturus dicitur Meſſias; id in culpa eſt, quod duplicem Meſſiæ ſtatum, Exinanitionis & Exaltationis, & duplicem Ejus adventum, ad paſſionem & ad judicium ignorant. *Alii* igitur ſic conciliant: ſi *digni* fuerint Judæi, veniet in nubibus cœli; ſin *indigni*, veniet pauper & vectus aſino. *Alii* vero duos fingunt Meſſias, unum, Joſephi filium, *aſino*; alterum, Davidis filium, *cum nubibus cœli* venturum: Licet inter ipſos quoque Chriſtianos ſint, qui ſaniori ſenſu hæc ita ab antiquioribus Judæis conficta judicent, non quaſi duos revera Meſſias, perſonas puta diſtinctas, diſpari gaudentes fortuna, aut aliis atque aliis parentibus prognatos, ſtatuerint, ſed ut duplicem unius Meſſiæ adventum, aut duplicem ejus ſtatum allegorice notarent. Vid. CARPZOVIUS *in cit. Diſſ. p. 20.* qui & ipſe ita judicat. *Poſterius* nobis Chriſtianis ἐξαγώνιον eſt; hinc CHRYSOSTOMUS *Hom. 67. in Matth.* Interroga Judæum, quisnam Regum aſino vectus Hieroſolymam venerit? neminem profecto dicere poſſunt, præter hunc ſolum, nempe Jeſum Nazarenum. Unde miror, VITRINGAM *Comm. in Jeſ. LIII. 4.* affirmare potuiſſe: Loco illi Zachariæ, ſecundum ſenſum ejus ſpiritualem & myſticum, ſuus conſtitiſſet ſenſus, absque hoc caſu ingreſſus Chriſti Hieroſolymitani.

XXIV. AL-

XXIV. ALLEGATUM.

MATTH. XXI. 13.

Καὶ λέγει αὐτοῖς, Γέγραπται, ὁ οἶκός μου οἶκος προσευχῆς κληθήσεται. ὑμεῖς δὲ αὐτὸν ἐποιήσατε σπήλαιον λῃστῶν.

MARC. XI. 17.

Καὶ ἐδίδασκε, λέγων αὐτοῖς, Οὐ γέγραπται, ὅτι ὁ οἶκός μου οἶκος προσευχῆς κληθήσεται πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν; ὑμεῖς δὲ ἐποιήσατε αὐτὸν σπήλαιον λῃστῶν.

LUC. XIX. 46.

Λέγων αὐτοῖς, γέγραπται, ὁ οἶκός μου οἶκος προσευχῆς ἐστιν· Ὑμεῖς δὲ αὐτὸν ἐποιήσατε σπήλαιον λῃστῶν.

JES. LVI. 7.

כִּי בֵיתִי בֵּית־תְּפִלָּה יִקָּרֵא לְכָל־הָעַמִּים׃

VERSIO LXX.

Ὁ γὰρ οἶκός μου οἶκος προσευχῆς κληθήσεται πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν.

JER. VII. 11.

הַמְעָרַת פָּרִצִים הָיָה הַבַּיִת הַזֶּה׃

VERSIO LXX.

Μὴ σπήλαιον λῃστῶν ὁ οἶκός μου;

§. I.

Primum hoc est Allegatum, in quo, & quidem in ore Christi Servatoris Ipsius, duo vet. Test. oracula in unum coaluerunt. A Matthæo hic Marcus & Lucas nulla in re differunt, nisi quod in *priori* Allegati membro, *ille* ex Propheta addit verba: πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν; & *hic*, pro κληθήσεται ponit ἐστιν. In *posteriori* autem omnes tres Evangelistæ enunciationem Prophetæ interrogativam affirmative exprimunt.

§. II.

Haud itaque magno labore nobis constabit I. *Conciliatio Allegationum* tam cum Textu hebræo, quam inter se ipsas. Etenim 1) commode Matthæus omit-

omittere potuit verba לְכָל־הָעַמִּים, quoniam ea, quæ adduxit, satis probant, quod probandum erat; scilicet, in Templo Dei non esse locum negotiatoribus, sed precantibus; cætera tamen, quæ sequuntur, non abjiciens plane, sed potius subintelligens. Vid. SURENHUSIUS *p.* 299. Neque tamen minus commode addidit illa Marcus, ut locum connotaret, e quo negotiatores expulit Dominus, scilicet *Atrium Gentium*, ubi cujusvis gentis hominibus licitum erat, Deum Israelis adorare. Probe enim notandum est, per ἱερὸν, quod vendendo emendoque profanatum dicitur, non intelligi magnificum illud Palatium, הֵיכָל dictum, in quo duo erant recessus, *Sanctum* ac *Sanctum Sanctorum*; sed spatium illud quadratum, quaquaversum spatium 500 ulnarum complectens, quod מִקְדָּשׁ *sanctuarium* appellabatur. Intra hoc spatium *tria* erant *Atria:* primum *Mulierum*, alterum *Israëlitarum*, & tertium *Sacerdotum*, in quo Sacerdotes sacrificia faciebant. Ante Atrium vero Mulierum erat spatium aliquod חֲנִיוֹת; *tabernae* seu *cellulae* dictum, in quibus vinum, oleum, sal, columbæ, aliaque id genus, quæ ad sacrificia erant necessaria, comparari poterant. Atque hoc in loco etiam *Nummularii* ad sacram monetam cum profana commutandam sedebant. Quando igitur Matthæus tradit, Jesum intrasse templum, & hæc-ce hominum genera ejecisse; intelligitur illud spatium, quod erat post ingressum per portam orientalem, ante atrium mulierum, ubi spatiosum erat *Atrium Gentium*, quod hoc præcipue tempore, ubi Festum Paschatos instabat, magna negotiantium turba repletum erat.

§. III.

2) Quum Lucas pro κληθήσεται ponit ἐστὶν, eo ipso firmat Canonem illum philologicum: Voces *verbales*, qualis est κληθήσεται, quandoque pro *realibus* ponuntur; ita ut *dictum* pro *facto*, & *vocare* seu *appellare* pro *facere*, *vocari* vero pro *fieri* seu *esse* sumantur. Vid. GLASSIUS *in Phil. S. p.* 790. 3) Evangelistas in altero hemistichio enunciationem Jeremiæ interrogativam affirmative exprimere, non est, cur miremur. Ita enim optime contrahitur totum comma Prophetæ, ubi Deus quærit: An spelunca latronum facta est domus hæc, quæ à nomine meo nomen habet? Et mox sibi Ipse respondet: *Immo vero, ecce video:* adeoque affirmat, ita esse.

§. IV.

II. Quoad *Applicationem* bini hujus oraculi quæri posset, 1) quoad oraculum *Jesaianum*, num Christus & Evangelistæ recte illud applicent ad Templum materiale, quod Hierosolymis erat, cum Prophetia hæc omnino tempora N. T. respiciat, adeoque magis de templo mystico ac spirituali, h. e. de Ecclesia N. T.

N. T. & gentibus ad illam aggregandis, ut Dominum invocent, accipi debeat. R. Quemadmodum prophetia non potest in omni suo ambitu impleta dici per id, quod de *primo* jam *Templo* legimus 1 Reg. VIII. 41-47. scilicet Alienigenas quoque in illo adoraturos esse; quodque de *secundo* Templo Historia testatur, nimirum post tempora Alexandri, & maxime post incrementum Reipublicæ sub Hasmonæis & Herode, plures ex gentibus in Templo Hierosolymitano Deum Israëlis adorasse, partim ut Proselytos, abdicato pristino Idolorum cultu, partim ex hypothesi, plures esse Deos *veros*, & cuique regioni *suos:* ita tamen hoc ipsum non plane excludendum est, tanquam præludium quoddam ejus, quod in Templo Dei mystico ac Spirituali, h. e. in Ecclesia N. T. plenius ac modo augustiori fieri debebat. Ac sane tanto justior erat Christi indignatio erga Judæos, Atrium gentium profanantes, quanto magis hæc profanatio contraria erat consilio Dei, qui ista peculiaris atrii in Templo typico pro gentibus destinatione præmonstrare volebat, suam illis in gratia universali partem in salvo manere, etiamsi hactenus Judaicam gentem peculiari favore complexus sit, quod ipsum illis pridem in alimentum odii sui nationalis erga gentes cesserit.

§. V.

2) Quoad Oraculum ex *Jeremia* petitum quæri potest, quo jure Christus Judæis sui temporis hic exprobret, quod Templum fecerint *speluncam latronum*, cum vix credibile sit, à Judæis, Templum Dei ad superstitionem usque venerantibus, Jer. VII. tam atrociter peccatum fuisse in loco hoc sacratissimo, ut ad *homicidia* usque perventum sit; immo ne fieri quidem id potuerit ob Custodes Templi? Unde & Christus in prima illa Templi purgatione Joh. II. 14-16. nil tale iisdem objiciat, sed hoc tantum, quod Domum Dei οἶκον ἐμπορίου faciant. R. a) Tanti hoc dubium quibusdam visum esse, ut omnino non homicidia in loco sacro patrata; sed vel id α) respici putarent, quod Judæi Templo abusi sint ad spolia & furta sua occultanda, sicut Arabes, Cananæi, Idumæi antris petrarum ac montium; ita EPISCOPIUS, KEUCHENIUS, *le* MOYNE: vel frivolam istam Judæorum fiduciam, qua ob Templum Dei, quod in medio ipsorum erat, ob cultum Dei, qui in isto vigeret, & ob sacrificia, quæ ibidem offerrent, tutos se ab omni periculo existimabant, patratis licet atrociissimis latrociniis; perinde ut in antra sua, qualia in Palæstina erant frequentissima, latrones se recipiunt, patratis cædibus: ita (inquit Dominus) vos Judæi in Templum Dei vos recipitis, quasi hoc, uti speluncæ latronibus pro perfugio sunt, contra omnia scelera, & promeritam illis iram Dei vos defensurum sit. Ita GROTIUS, aliique, inprimis FULLERUS *in Miscell.* qui Templum

Hierosolymitanum imaginem talis spelunca pulcre repræsentare scribit. Ac sane sufficientem hæc rationem continent, cur tam Propheta, quam Christus Judæis exprobrare potuerit, quod Templum Dei speluncam latronum fecerint. Addunt alii γ) quod hebræum פָּרִיצִים & græcum λῃσταὶ non præcise *latrones*, sed quoslibet etiam *praedones* notet, cum descendat a λεία, *praeda*, pro quo poëtice dicatur λῆϊς, & hinc λῃΐζω *praedor*, quod in præterito passivo habeat λελῃϊσται, unde λῃϊστὴς, & per Synæresin λῃστὴς.

§. VI.

Quamquam vero hæc ita se habeant; alii tamen b) respectum ad homicidia in loco illo sacro patrata eapropter non exclusum volunt: α) Quia valde sit credibile, ob exactiones & emunctiones nummulariorum, plus justo pro permutatione monetæ poscentium, sæpe à jurgiis ad verbera, & ab his ad cædes ventum esse; cum præsertim hi Trapezitæ de lucro suo aliquid impertirentur Præfectis Templi, atque hinc homicidia non plecterentur. Ita SURENHUSIUS *p. 239.* & RUSIUS *p. 100.* β) Quoniam & Jeremias testatur, omnia rapinis ac *cædibus* plena fuisse Cap. VII. 6. 9. γ) Quoniam loca sacra quoque cruore humano polluta fuisse, passim JOSEPHUS testatur. e. g. *Ant. Jud.* L. XI. 7. L. XX. 6. de *Bello Jud.* L. VI. 11. quo ultimo loco Judæis exprobrat, ἐνδοχεῖον κλεπτῶν, φονέων, ἁρπάγων, τὸ Ἱερὸν γέγονε. Conferri huc etiam potest locus Matth. XXIII. 35. ubi Christus Judæis objicit cædem in Zacharia, Barachiæ filio, ab ipsis inter Templum & Altare perpetratum. Neque obstat δ) huic sententiæ, quod Christus in prima Templi purgatione nil tale Judæis exprobret Joh. II. Observandum enim, zelum Christi tam *realem*, quam *verbalem*, in utroque facto gradatim esse progressum. cf. Joh. II. 14-16. cum Matth. XXI. 12. 13. Marc. II. 15-17. Si denique quæras, annon hæc Gnome etiam accipi possit de Pseudodoctorum pharisaicorum *latrocinio spirituali (vom Seelenmord)* Joh. X. 1. 8. quo pacto Christus existimandus esset non vendentes ac ementes, sed cingentes se summos Sacerdotes ac Scribas compellare Matth. XXI. 15. id quidem alienum nobis ac coactum videtur.

XXV. ALLEGATUM.

MATTH. XXI. 16.

Ὁ δὲ Ἰησοῦς λέγει αὐτοῖς, Ναὶ, οὐδέποτε ἀνέγνωτε, ὅτι ἐκ στόματος νηπίων καὶ θηλαζόντων κατηρτίσω αἶνον;

PS. VIII. 3.

מִפִּי עוֹלְלִים וְיוֹנְקִים יִסַּדְתָּ עֹז׃

VERSIO LXX.

Ἐκ στόματος νηπίων καὶ θηλαζόντων κατηρτίσω αἶνον.

§. I.

Respondet hoc Allegato Christus Pontificibus ac Scribis, acclamationes puerorum indignantibus, Ipsumque *Audisne, quid dicant hi?* interrogantibus. Quæritur hic I. Num fide satis & accurate *allegaverit* Matthæus? II. Num Christus hoc oraculum recte ad rem præsentem *applicaverit?* Quod itaque I. *Allegationem* concernit, videri posset, verba Textus hebræi מִפִּי עוֹלְלִים וְיוֹנְקִים יִסַּדְתָּ עֹז *ex ore infantum & lactentium fundasti robur*, quoad extremas voces minus feliciter ita translatas esse — κατηρτίσω αἶνον *perfeciſti laudem.* Neque enim καταρτίζειν significat *fundare*, neque αἶνος *robur.*

§. II.

Respondetur autem: 1) Quod PEZRONIUS hinc male fingat, aliam olim in textu hebræo lectionem obtinuisse, solide ostendit BRAND. HENR. GEBHARDI *in Vind. Text. Hebr. contra Pezron. p. 159.* cf. WOKENIUS *p. 261.* Non sequitur, Scriptores N. T. retinuerunt Versionem LXX. Interpretum a Textu hebraico aliquatenus discrepantem. Ergo utrique aliter olim in hoc legerunt. Hoc saltim inde conficitur, quod *illis* hæc discrepantia tam levis visa sit, ut *horum* versionem eapropter deserendam haud putarent. 2) Ut alibi, ita & hic Paraphrastas potius, quam nudos Metaphrastas agere voluerunt tum Interpretes LXX. tum Scriptores N. T. quod facile potest ostendi. a) Enim hebræum יָסַד & græcum κατα-

 καρ-

καρτίζω *quoad sensum* valde cognata sunt: unde utrumque de creatione mundi usurpatur, *illud* Hebr. I. 10. *hoc* Hebr. II. 3. Quin SURENHUSIUS *p.* 265. etiam hoc observat, verbum יָסַד in Kal quidem notare simpliciter alicujus rei *fundamenta jacere*, in Piel vero, *facta fundamenta aptè disponere*, concinnare, confirmare, huncque significatum hic & Jes. XXVIII. 16. obtinere putat. b) Quod hebræum עז LXX. & Matthæus per αἶνον, & Vulgatus, nec non utraque Hieronymi, tum quam ex LXX. tum quam ex hebræo confecit, per *laudem* reddunt; iterum exegeseos ergo factum est, ut intelligatur, quid per עז *robur* sumitur Ps. XXIX. 1. XCVI. 7. ubi junguntur כָּבוֹד וְעֹז *gloria & robur*. Posset etiam dici, *robur* appellari laudationem illam solennem, quia infantes robusta, clara & intrepida voce Christo acclamabant, unde κράζοντες dicuntur v. 15. Ita SEB. SCHMIDIUS: vel quia divinæ *potentiae* in istis pueris opus erat illa acclamatio; sed minus coacta est interpretatio ante dicta.

§. III.

II. Quoad *Applicationem* hujus dicti videri posset, eapropter non quadrare illud in rem præsentem, quoniam in Ps. sermo sit de *infantibus & lactentibus*, adeoque puerculis usu loquelæ adhuc carentibus; hic vero de pueris hymnum Davidicum Christo acclamantibus. R. Vocabula hebræa עוֹלְלִים & יוֹנְקִים, sicque & græca νήπιοι & θηλάζοντες non præcise accipienda sunt de infantibus fari adhuc nesciis & lactentibus in prima sua infantia, cum denotare etiam possint ac soleant *pueros aliquot annorum*. עוֹלְלִים sunt parvuli *ablactati*, qui jam *factitare* aliquid & *ludere* incipiunt, ceu patet ex etymo vocis, derivatæ quippe ab עָלַל *operatus est*, quod in Hithpäel significat *factitavit*, *ludificatus est*. cf. Jer. VI. 11. IX. 21. Thren. I. 5. II. 20. IV. 4. Atque sic & νήπιοι Gal. IV. 1. sunt omnes filii minorennes. יוֹנְקִים vero, θηλάζοντες, seu *lactentes*, apud Judæos fuisse etiam eos, qui non amplius horas modo aut dies, sed *annos* jam à nativitate sua numerabant, ex 2 Macc. VII. 28. constat.

§. IV.

Cæterum Psalmus hic in N. T. ter de Christo exponitur, scilicet hoc loco, à Christo ipso, adeoque maxime authentice; & a Paulo 1 Cor XV. 27. & Hebr. II. 6. sqq. Quas allegationes si in meras accommodationes convertere velles, eo ipso argumentis ex hoc Ps. ductis omnes nervos incideres. cf. CALOVIUS *in Bibl. Ill. ad hunc Ps.* ubi contra *Judaeos*, GROTIUM & RIVETUM, quibus LIMBORCHIUS quoque succinit *in Comm. ad Hebr. Cap. II. 7.* solide

lide disputat. Inconsiderate etiam scribit R. A. KORTÜM *in Notis ad hunc Ps: quoad sensum litteralem in hoc Psalmo nil aliud quaerendum esse, quam Theologiam quandam naturalem.* Sic enim ex Theologia naturali probaret *h. l.* Christus, se esse Messiam, cui secundum Ps. CXVIII. acclamandum sit *Hosianna;* & ex eadem argumenta peteret Paulus, quod Christo omnia sint subjecta 1 Cor. XV. 27. quodque Statum Ejus Exinanitionis insequi debuerit Status Exaltationis, Hebr. II. 6. sqq. [e])

e) De proprio & immediato Ps. VIII. *Subjecto* multa disputata fuerunt. GROTIUS hominem illud constituit, prout e manu Creatoris integer prodiit: RIVETUS hominem lapsum & totum genus humanum, rerum sublunarium Dominum, & providentiæ divinæ specialis objectum; *ita tamen*, ait *Opp. T. II. p. 32. ut ex Allegationibus hujus Ps. in N. T. dubium non sit, quin Psaltes ad Messiam futurum respexerit, & — Spiritu prophetico mentem illustratam eo exexerit, in quo maxime elucere debuit humano generi praestita gratia. Alii* de Christo quidem interpretantur, ita tamen, ut initio a regno naturæ facto transitus fiat ad Christum & regnum ejus spirituale. cf. S. Rev. D. ERNESTI *Theol. Bibl. P. VII. p. 451. Alii* denique totum Psalmum agere existimant unice de Christo. Ut singula excutiamus, hujus loci non est: putemus vero, Allegationes in N. T. factas subjectum Psalmi nobis Christianis satis determinare. In Allegationibus Christi & Apostolorum probe distinguendi sunt illi casus, ubi ipso Allegato ad silentium redigi debebant, & redacti sunt Adversarii. Hic enim jure supponimus, Eos ita allegasse, ut non haberent hostes, quod exciperent. Allegarunt itaque V. T. oracula secundum Interpretationem ipsius Ecclesiæ judaicæ: quod ipsum tanto certius esse videtur, quanto fortius Judæi recentiores contra insurgunt; & hos tamen, quod jure mireris, *Calvinus, Grotius* & sequaces maxime duces sequuntur. Si difficultatibus non plane caret communis interpretatio, neque reliquæ nullis premuntur, neque levioribus. Apponimus his verba ISR. GOTTL. CANZII *in Diss. in h. l. p. 22.* Finge, Verba Davidis ad providentiam Dei circa lactatos generatim consideratam proxime referenda; & à Christo in se applicata, ob aliquam rationis tantum similitudinem: Num putas, iis verbis, ex levi similitudine rationis ad Christum applicatis, refutari solide potuisse Judæos? Annon solidissimo dubio reliquisset locum Servator: *Verba hæc de Dei circa lactatos providentiam agunt; non de rumore ac tumultu, quem tu, O Jesu Nazarene, temere excitasti?* Nisi hæc verba de Messia ipsimet intellexissent Judæi, in promtu ipsis fuisset adversus applicationem Christi exceptio; nec ea Christus tuto & cum fructu allegasset.

XXVI. ALLEGATUM.

MATTH. XXI. 42. f)

Οὐδέποτε ἀνέγνωτε ἐν ταῖς γραφαῖς; λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας· Παρὰ Κυρίου ἐγένετο αὕτη, καὶ ἔστι θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν·

MARC. XII. 10. 11.

Οὐδὲ τὴν γραφὴν ταύτην ἀνέγνωτε; λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας παρὰ Κυρίου ἐγένετο αὕτη· Καὶ ἔστι θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν·

LUC. XX. 17. f)

Τί οὖν ἐστι τὸ γεγραμμένον τοῦτο, λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας;

ACT. IV. 11.

Οὗτός ἐστιν ὁ λίθος ὁ ἐξουθενηθεὶς ὑφ' ὑμῶν τῶν οἰκοδομούντων, ὁ γενόμενος εἰς κεφαλὴν γωνίας.

1 PET. II. 7.

Ἀπειθοῦσι δὲ, λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας·

PSALM. CXVIII. 22. 23.

אֶבֶן מָאֲסוּ הַבּוֹנִים הָיְתָה לְרֹאשׁ פִּנָּה׃ מֵאֵת יְהוָה הָיְתָה זֹּאת הִיא נִפְלָאת בְּעֵינֵינוּ׃

VERSIO LXX.

Λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας· Παρὰ Κυρίου ἐγένετο αὕτη, καὶ ἔστι θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν·

§. I.

f) Interjecto uno verſic. 43. Matthæus Allegoriam de Lapide reaſſumit v. 44. Καὶ ὁ πεσὼν ἐπὶ τὸν λίθον τοῦτον, συνθλασθήσεται· ἐφ' ὃν δ' ἂν πέσῃ, λικμήσει αὐτόν· Et Lucas immediate cum his verbis connectit v. 18. πᾶς ὁ πεσὼν ἐπ' ἐκεῖνον τὸν λίθον, συνθλασθήσεται· ἐφ' ὃν δ' ἂν πέσῃ λικμήσει αὐτόν· Quæ verba etiam nonnullis Allegatum ex V. T. ſiſtere viſa ſunt, defumta ex Jeſ. VIII. 15. Vid. WOLFIUS *in Curis. ad Matth. XXI. 43.* At ipſa cum Fontis hebræi, tum Verſionis LXX. inſpectio contrarium docet. Licet enim in his locis de

§. I.

Pleniſſime allegarunt hoc oraculum Matthæus & Marcus, a quibus & in eo diſcedit Petrus, quod nulla expreſſa allegandi formula uſus eſt: Omnes vero verba Verſionis LXX. retinuerunt. Quod jam I. *Allegationem* hanc ipſam attinet, *αὐτοψία* quemvis docebit, Textum hebræum in græco verbotenus exprimi, inſerto tantum pronomine relativo *ὃν*, (*λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν*) ad ſupplendam ellipſin Textus hebræi, ubi poſt אֶבֶן manifeſte ſubaudiendum eſt אֲשֶׁר. Reliqua Textum originalem exacte referunt, ita quidem, ut Græca Verſio etiam duos illos Hebraiſmos, quando in voculis זֹאת & הִיא *fœmininum* pro *neutro* ponitur, religioſe aſſervaverit, & pro *τοῦτο* dicat *αὕτη*, & pro *θαυμαστὸν θαυμαστή*. Unde & Hebraiſmi Fautores hactenus locum hunc N. T. pro invicto argumento habuerunt, quod ſtylus N. T. Hebraiſmi colore tinctus ſit. Age, diſpiciamus paululum, an omnino Hebraiſmus hic ſit agnoſcendus?

§. II.

Sunt 1) qui, ad evitandum Hebraiſmum, tam hebræum Textum, quam græcam Verſionem aliter interpretandam cenſeant; & a) in hebræo, inquiunt, fœminina illa הָיְתָה זֹאת & הִיא נִפְלָאת ad totius orationis ſubjectum, hoc eſt ad אֶבֶן referenda ſunt, quod eſt generis fœminini, & cum adjectivis, pronominibus ac verbis formæ fœmininæ conſtrui ſolet, qua ratione hic emergit ſenſus: Lapis, quem ædificantes reprobarunt, evaſit in Caput Anguli; a Domino factus eſt (ſcilicet obtigit nobis, ſeu conſtitutus eſt) *ille lapis*, & eſt mirabilis *ille* in oculis noſtris. Vid. OLEARIUS *in Not. ad Matth. p. 579.* Atque ſic b) etiam in Græco fœminina *αὕτη* & *θαυμαστὴ* vel *α*) ad *λίθον* referri poſſe contendunt, quia vocabulum hoc apud Græcos, Atticos inprimis ſcriptores, etiam fœminini generis ſit, non maſculini tantum; ita OLEARIUS *l. c.* licet ipſe nil audeat definire: vel *β*) ad *κεφαλὴν γωνίας*, ut ſenſus ſit: a Domino factus ſive conſtitutus eſt *ille angularis*, & mirabilis eſt in oculis noſtris: Ita ELSNERUS & WOL-

de eodem ſubjecto, *Lapide*, Allegoria continuetur, nulla tamen verborum, & multo minus ſententiæ *integræ* convenientia obſervatur. Diſtinctionis inter eos, qui cadunt ſuper hunc lapidem, & eos, ſuper quos cadit Lapis, quibus tota Chriſti ſententia apud Evangeliſtas abſolvitur, neque vola neque veſtigium apud Prophetam deprehenditur. Si multum concedatur, dici poſſet, Chriſtum in phraſeologia hujus dicti aliquid ex loco Jeſaiano petiiſſe. At hoc nondum dat Allegatum, niſi latiſſimo ſenſu, qui noſtri Inſtituti non eſt, vocem accipias.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0239
DFG

WOLFIUS: vel γ) ad præcedens fœmininum פִּנָּה γωνία, ut ſenſus ſit: Hic angulus, i. e. hæc coagmentatio Eccleſiæ, in Chriſto, ut Capite Anguli, facta, eſt a Domino & vere mirabilis eſt, non hominibus tantum, ſed etiam angelis. Eph. III. 9 - 11. coll. Cap. II. 20. 21.

§. III.

Verumenimvero 2) hæc omnia ingenioſe magis quam ſolide nobis dicta videntur. Nam a) Fœminina hebræa incommode ad אֶבֶן referri, inde patet, quia ſic α) ſine neceſſitate ad *remotiora* referuntur, quæ cum *proximis* connecti poſſunt, ſi modo Hebraiſmum admittas, alias quoque in Lingua S. frequentem. β) Si hæc conſtructio obtineat, aut א) dicendum erit, τὸ *factum eſſe a Domino* & τὸ *mirabilem eſſe* prædicari de Lapide *in ſe ſpectato*, quod tamen ſine dubio Spiritus S. non intendit, cum ſeries ſermonis non tam ipſum Lapidem, quam id, quod ex Lapide reprobato factus eſt Caput Anguli, tanquam opus mirabile Dei nobis ſiſtat; ut taceam, poſteriori הָיְתָה hoc modo alienam & a priori diverſam ſignificationem tribui, dum verti deberet, non ut antea, *factus eſt*, ſed *obtigit* vel *datus eſt*. Aut ב) ſi prædicata hæc omnino non ad ſubjectum in ſe, ſed cum connotato ſuo ſpectatum referas, quatenus jam eſt Caput Anguli; nimis magna ellipſis ſtatuenda, & Textus hebræus ſic ſupplendus erit: Lapis, quem reprobarunt ædificantes, factus eſt in Caput Anguli; a Domino factus eſt ille (in Caput Anguli) & ille, (quatenus jam eſt Caput Anguli) mirabilis eſt in oculis noſtris. Hac vero ellipſi non opus eſt, ſi זֹאת & הִיא neutraliter accipias, de omni eo, quod præceſſit: *hoc*, quod Lapis reprobatus factus eſt in Caput Anguli, a Domino factum eſt, hocque factum mirabile eſt in oculis noſtris. Incommodius adhuc b) fœminina αὕτη & θαυμαϛὴ in Textu græco α) ad λίθον referuntur. Nam conceſſo etiam, quod λίθος ſit generis communis, nullo tamen modo probabile eſt, LXX. Intt. & Evangeliſtas in uno eodemque ſermone vocabulum λίθος nunc ut *maſculinum*, cum ὃν & ἅτος, nunc ut *fœmininum*, cum αὕτη & θαυμαϛὴ conſtructuros fuiſſe. β) Fœminina græca eapropter ad fœmininum κεφαλὴν referri nequeunt, quia hebræa non poſſunt referri ad רֹאשׁ, quod eſt generis maſculini, adeoque Verſio græca Textum hebræum non bene exprimeret, ac diverſus ſic oriretur ſenſus dicti noſtri in Vet. & Novo Teſt. γ) Conſtructio cum γωνίας, quæ FRANC. JUNIO placuit, plane coacta eſt.

§. IV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0240
DFG

§. IV.

Præstat igitur, fœminina זאת & הִיא נִפְלָאת ἄυτη & θαυμαστὴ ad totam orationem præcedentem referre, in genere *neutro*, ut sensus sit: *Lapis, quem aedificantes reprobarunt, factus est in Caput anguli; a Domino factum est* HOC OMNE, *& mirabile est in oculis nostris.* Ita BEZA, CASAUBONUS, GLASSIUS, VORSTIUS, HEUPELIUS, BENGELIUS. Immo ipse etiam ER. SCHMIDIUS Hebraismum hic agnoscit, totus alias in eo, ut omnes e N. T. eliminet. Ac sane alibi quoque in Textu hebræo V. T. cum Hebræi careant genere *neutro*, masculinum vel fœmininum pro neutro usurpari, GLASSIUS docet *in Phil. S. p. 602.* Hoc sensu τὸ זאת occurrit Ps. CII. 19. CXIX. 50. 56. Jud. XXI. 3. 2 Reg. III. 18. ubi LXX. semper reddunt per ἄυτη. Geminum est, quod VORSTIUS ex Ps. XXVII. 4. allegat, ubi fœminina אַחַת & אֹתָה LXX. retinent, vertentes per μίαν & ταύτην, licet utrumque idem valeat quod ἓν & τοῦτο. Merito itaque subscribimus CASAUBONO, ad hæc Matthæi verba annotanti: *Purus putus sine dubio Hebraismus.* g) Fuere quidem, qui hanc Enallagen fœminini pro neutro venditarent *pro elegantia attica.* e. g. J. ALBERTI in *Obs. Philol. p. 122.* & CASP. WYSSIUS in *Dialectologia S. p. 97.* quorum ille hunc in finem provocat ad loca quædam ex Sophocle, Homero & Æliano: Sed cum illa partim sint poëtica, partim alias quoque expositiones admittant; loca vero e Vet. Test. supra adducta clare demonstrent, usum fœminini pro neutro esse Idiotismum Linguæ S. rectius hoc loquendi genus pro Hebraismo habetur.

§. V.

II. Quoad *Applicationem* dicti ad Christum, notamus, 1) *Judaeos* hic in partes abire. Sunt a) qui per Lapidem ne *Messiam* quidem, ac multo minus *Jesum Nazarenum*, intelligunt: Ineptissime quidam acceperunt de *Abrahamo*, ab ædificatoribus turris Babel reprobato, quod ita frigidum est, ut recitasse, sit refutasse. *Alii* interpretantur de *Deo ipso; alii* de *populo Israëlitico*, quod mireris etiam inter Christianos LUD. FERRANDO placere potuisse. Vid. SURENHUSIUS *p. 268.* & OLEARIUS *p. 595.* *Alii*

g) *Es sind ja offenbar die Worte der 70. Dollmetscher, und diese haben den hebräischen Text,* mit Beybehaltung des Hebraismi, *von Wort zu Wort übersezt.* Dn. ERNESTI *Theol. Bibl. P. X. p. 415.*

Alii denique de *Davide*, primum a Saule & aula ejus rejecto, tandem vero in Caput Anguli: h. e. in Regem Israëlis & Judæ electo. Est vero b) etiam inter ipsos Judæos, qui de *Messia* exponat, scilicet R. SAL. JARCHI. Licet enim *in Comm. ad h. l.* per Lapidem etiam intelligat *Davidem*, ab Israële rejectum in diebus Saulis; nec non alio sensu, *Ecclesiam* contemtibilem inter gentes: vocem tamen lætitiæ v. 15. refert ad Messiæ tempora, quin & *in Comm. ad Mich. V. 1.* oraculum nostrum de Lapide reprobato, de Messia interpretatur. Verba ejus hæc sunt: Æquum est, ut sis parvula &c. ob impuritatem Ruth Moabitidis, quæ in te est: sed ex Te egredietur mihi Messias, filius Davidis: Sic enim ait: *Lapis, quem reprobaverunt aedificantes.* cf. RAYM. MARTINI *in Pug. Fidei p. 342* & alibi.

§. VI.

Quod vero 2) ad Christianos Interpretes attinet, a) Multi eorum *litteraliter* de *Davide*, *typice* vero ac *mystice* de *Christo* exponunt, ut CALVINUS, BUCERUS, VATABLUS, JUNIUS & TREMELLIUS, GROTIUS, PISCATOR, *Auctores notarum Belgicarum*, RIVETUS, JANSENIUS, SIM. MUYSIUS, CLERICUS, PFAFFIUS. b) Tamen longe plures, e Nostris præsertim *litteraliter* de *Christo*, eoque solo, sine respectu ad Typum: HILARIUS, AUGUSTINUS, THEODORETUS, LUTHERUS, & qui magno numero hunc secuti sunt, CALOVIUS maxime *in Bibl. Ill.* E Pontificiis GENEBRARDUS, MENOCHIUS, TIRINUS, ESTIUS, EM. SAA, BELLARMINUS. E Reformatis COCCEJUS, SURENHUSIUS &c. h) Rationes hujus sententiæ dabit prolixe CALOVIUS l. c. & MARPERGERUS *in Tr. de Agno ad arae cornua ligando p. 74. seqq. 123. seqq.* Nobis sequentia annotasse sufficiat: α) Solemne est Veteri Testamento, Messiam sub emblemate *Lapidis* sistere. Jes. VIII. 14. & Cap. XXVIII. 16. coll. Rom. IX. 33. & 1 Pet. II. 6. 8. Adde Dan. II. 45. Zach. III. 9. β) HIERONYMUS jam testatur, quod Psalmus hic isto tempore frequenter Judæis lectus, in Synagogis decantatus, ac de Messiæ adventu exponi solitus fuerit. Hinc certe factum, ut ipsis etiam Judæorum puerulis notus esset, hique illum de Messia agere probe scirent, ideoque Jesu Nazareno, Hierosolymam adventanti, quem pro Filio Davidis, h. e. Messia habebant, ex eo acclamarent: *Hosianna Filio Davidis.* Neque Christus aversatus est hunc hono-

h) Viros Cell. HARENBERGIUM & VENEMAM Ps. CXVIII. ad tempora Maccabæorum referre, licet v. 22. 23. nihil eo minus de Messia exponant, didici ex cit. *Theol. Bibl. P. VIII. p. 853.*

honorem, sed contra Judæos indignantes potius defendit, puerosque a Deo ad hymnum hunc excitatos esse tuitus est. γ) Christus ipse publice hunc locum, tanquam proprie ad se spectantem, allegat Matth. XXI. Marc. XII. Luc. XX. neque ullus Scribarum respondet, hæc verba de Davide esse intelligenda. Iterum Petrus Act. IV. 10. 11. coram omni populo hunc locum allegavit, tanquam de Christo proprie scriptum, & nemo contradixit. δ) Davides, ε) etsi a Saule & aula ejus rejectus fuerit, non tamen ab *Architectis*, qui ædificandæ domui Domini præerant, h. e. à Sacerdotibus reprobatus fuit. ζ) Si a Proceribus ecclesiasticis reprobatus fuit, cur domum Aaronis v. 26. peculiariter ad gaudium super electione sua in Regem excitat, eique bene dicit? η) Ubinam propter Davidis reductionem peculiariter celebratum legimus Festum Tabernaculorum, aut aliud quoddam, quale v. 27. describitur? θ) Num David unquam factus est *Lapis Angularis*, *duos populos* continens & conjungens in unum? *Duos* inquis, *populos* rexit, Israël & Juda: Respondeo, 1) Israël & Juda tum nondum scissos fuisse in duos populos, sed *unum* constituisse, *unum* Corpus Reipublicæ. Eorum ergo respectu Lapis Angularis dici haud potuit. 2) David nec *primus*, nec *solus* sub imperio suo utrosque continuit, sed ante ipsum Saul, & post ipsum Salomon Rex Israëlis & Judæ simul fuit. Neque Israël & Juda proprie erant duo populi, sive gentes diversæ, quod de Hebræis contra & Gentilibus propriissime dici potest. ι)

ι) Plenius hæc, quæ de Davide dicta sunt, contra *Parvisium* edisserit, & totum Ps. ad Christum applicat, LILIENTHALIUS *in der guten Sache. P. II. p. 651. seqq.*



XXVII. ALLEGATUM.

MATTH. XXII. 31. 32.

Περὶ δὲ τῆς ἀναςάσεως τῶν νεκρῶν, ὐκ ἀνέγνωτε τὸ ῥηθὲν ὑμῖν ὑπὸ τȣ̃ Θεȣ̃ λέγοντος, ἐγώ εἰμι ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ, καὶ ὁ Θεὸς Ἰσαὰκ, καὶ ὁ Θεὸς Ἰακώβ;

MARC. XII. 26. 27.

Περὶ δὲ τῶν νεκρῶν, ὅτι ἐγείρονται, ὐκ ἀνέγνωτε ἐν τῇ βίβλῳ Μωσέως, ἐπὶ τȣ̃ βάτȣ, ὡς εἶπεν αὐτῷ ὁ Θεὸς, λέγων, Ἐγὼ ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ, καὶ ὁ Θεὸς Ἰσαὰκ, καὶ ὁ Θεὸς Ἰακώβ;

LUC. XX. 37. 38.

Ὅτι δὲ ἐγείρονται οἱ νεκροὶ, καὶ Μωσῆς ἐμήνυσεν ἐπὶ τῆς βάτȣ, ὡς λέγει Κύριον τὸν Θεὸν Ἀβραὰμ, καὶ τὸν Θεὸν Ἰσαὰκ, καὶ τὸν Θεὸν Ἰακώβ.

EXOD. III. 6.

וַיֹּאמֶר אָנֹכִי אֱלֹהֵי אָבִיךָ אֱלֹהֵי אַבְרָהָם אֱלֹהֵי יִצְחָק וֵאלֹהֵי יַעֲקֹב׃

VERSIO LXX.

Καὶ εἶπεν αὐτῷ· Ἐγώ εἰμι ὁ Θεὸς τȣ̃ πατρός σȣ, ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ, καὶ Θεὸς Ἰσαὰκ, καὶ Θεὸς Ἰακώβ.

§. I.

Probat hoc dicto Christus contra Sadducæos Mortuorum resurrectionem, in quo dilucidando I. Observationes quasdam ad ipsas Evangelistarum *Allegationes* dabimus: Et quidem 1) *Verba* oraculi citati *ipsa* exacte referunt Evangelistæ: Matthæus & Marcus in stilo *recitativo*, quorum tamen hic verbum substantivum *εἰμὶ*, quod ille habet, ad Exemplum Textus hebræi omittit; Lucas autem in stilo *relativo*; unde nulla hic conciliatione cum Textu hebræo opus est. Differunt vero 2) *Formulae allegandi*. Nam a) Matthæus in genere *Deum loquentem* allegat, nullam vel *Scriptoris*

ptoris S. apud quem, vel *Libri*, in quo, vel *loci* in Libro, ubi ista loquatur Deus, mentionem faciens; Marcus autem & Lucas omnia hæc expresse memorant, scilicet *Mosen*, adeoque *Scriptorem*, immo & *Librum* ac *locum*, in hoc libro, dum addunt: ἐπὶ τῦ βάτυ, vel uti Lucas habet ἐπὶ τῆς βάτυ; utrumque enim dici potest, τῦ & τῆς βάτυ: τῦ apud Marcum habent plurimi Codices & LXX. quoque loco cit. τῆς vero est usitatius apud reliquos Scriptores Græcos. Vid. BENGELIUS *in App. Crit.* ad Marc.

§. II.

Quod autem phrasis ἐπὶ τῦ vel τῆς βάτυ *locum* Scripturæ, ubi oraculum citatum legatur, indicet, scite probat D. E. JABLONSKI *in Praef. ad Bibl. sua Hebr. §. 37.* Ex hoc Evangelistæ loco, inquiens, patescere videtur, quo ritu *loca Legis*, in *Libros* & *Capita* nondum divisæ, citari olim consueverint; nempe Salvator dicit: Nonne legistis in Libro Mosis ἐπὶ τῆς βάτυ, quomodo Deus dixerit &c. quas voces græcas vulgo interpretantur *super rubum*, vel *in rubo*, & per trajectionem ad verba ὡς εἶπεν ὁ Θεὸς referunt, hoc sensu: Nonne legistis in Libro Mosis, quomodo Deus *in rubo* dixerit, constructione nisi fallor coacta. Viderint vero Eruditi, annon voces illæ *materialiter* sint accipiendæ pro *formula citandi locum Scripturae*, ut sensus sit: Nonne legistis in Libro Mosis, *eo loco*, quo historia rubi ardentis describitur, h. e. in Exodo, ejusque Cap. III. quomodo Deus Mosi dixerit? Ita enim, ante divisionem in Capita, non Capitulorum vel Sectionum *Numerus*, sed earum *argumentum*, *pauculis verbis constrictum*, citabatur. — Et priscus hic mos laudandi loca Scripturæ etiam Talmudi est familiaris. Exempla videantur *in cit. Praef.* Placuerunt hæc cogitata WOLFIO *in Curis ad Marc.* RUSIO *p. 197.* & BENGELIO *in Gnom. ad Marc.* Ac sane hoc modo nec *trajectione* opus est ac deletione commatis post ἐπὶ τῦ βάτυ, & positione ejus ante hæc verba; nec *ellipsi*, ut subaudiatur post illa, apud Marcum ὄντος, scil. in Libro Mosis, *stantis* apud rubum; vel apud Lucam ὤν, Moses, cum apud rubum *esset.* cf. Formula allegandi Rom. XI. 2.

§. III.

b) Quum Lucas contradicere videtur tam Mosi, quam cæteris Evangelistis, dum, quæ isti Deum ipsum prolocutum esse aiunt, Mosi tribuit, tanquam ab eo pronunciata; facile hæc componuntur. In Litte-

ras enim retulit Moſes hoc Dei effatum, ideoque omni jure id ei, ut teſti δυτηκόῳ, & cauſæ relationis hujus inſtrumentali in acceptis ferri poteſt; neque enim opponendæ ſibi ſunt invicem cauſa principalis & inſtrumentalis. cf. Matth. XIX. 4. 5. ubi v. v. Deo adſcribuntur, quæ Gen. II. 23. 24. per Adamum dixerat. cf. WOKENII *Harm. V. & N. Teſt. p. 81.*

§. IV.

2) Altera Obſervatio hæc eſto: Quare Chriſtus, reſurrectionem mortuorum contra Sadducæos probaturus, ad locum hunc Pentateuchi primo intuitu tam obſcurum, nec expreſſius de reſurrectione mortuorum loquentem, provocaverit, non vero ad alia loca V. T. quæ clariora ſunt, pridem inter Eruditos diſputatum fuit. Sunt a) qui cauſam facti in eo quærant, quod *Sadducaei* nonniſi *Pentateuchum* Moſaicum ceu divinum agnoverint, reliquos vero in Hebræorum Codice libros repudiaverint, ceu primus tradidit HIERONYMUS *Comm. in Matth. L. III.* quem deinde ſecuti ſunt ex Pontificiis plurimi, FABER *Stapulenſis*, PET. COMESTOR, ALPH. SALMERON, SEB. BARRADIUS, CORN. JANSENIUS, BEN. PERERIUS &c. ſed præter rem Sadducæis hoc imputari pridem evicere Viri doctiſſimi, SELDENUS, HOTTINGERUS, SPANHEMIUS, SALDENUS, SCALIGER, BÆLIUS *in Dict. Hiſt. & Crit.* T. III. p. 2640. not. G. E noſtris vero HACKSPANIUS *de Uſu Script. Rabb. p. 226. ſeqq.* DORSCHEUS *ad hunc Matth. loc. p. 7.* Quibus adſtipulantur WOLFIUS *in Curis* & RUSIUS *in Harm. Ev. p. 199.* Qui *duas* pervulgati hujus erroris *cauſas* allegat, *primam*, quod Judæi tradiderint, Sadducæos nonniſi *Legem* admittere; unde poſtea creditum fuerit, eos præter *Legem* in ſenſu ſtricto ſic dictam, ſcil. *Pentateuchum*, nullos alios V. T. libros pro divinis agnoviſſe, cum illud Judæorum de Sadducæis dictum nonniſi de Lege, *Traditionibus*, haud vero reliquis Libris V. T. oppoſita, intelligendum ſit, quos revera Sadducæi ſusque deque habebant, ringentibus licet Phariſæis: *ſecundam*, quæ & WOLFIO placet, quod Sadducæi cum *Samaritanis*, quos Pentateucho ſolo uti pervulgatum eſt, paſſim confundantur. k)

§. V.

b) Altera ratio, quam nonnulli Chriſto ſuaſiſſe putant, ut ex Pentateucho contra Sadducæos argumentaretur, æque fallit, cum exinde petitur,

k) Conferri hic etiam meretur JOH. GOTTL. CARPZOVIUS *in App. Hiſt. Crit. Antiq. Sacri Cod. p. 208.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0246
DFG

titur, quod hoc modo duos dealbare potuerit parietes una fidelia, hoc est, cum Sadducæis, Samaritanos simul, solum Pentateuchum admittentes, refellere. Supponitur enim, Samaritanos æque ac Sadducæos Mortuorum resurrectionem inficiatos esse, quod falsum esse docuerunt HUMPH. HODIS *in Hist. Res. Corp.* & ADR. RELANDUS *in Diss. Misc. P. II. Diss. 7.* Restat itaque c) tertia ratio, quæ hæc est: Sadducæos ex *Lege Mosis* de Leviratu impugnaverant Resurrectionem mortuorum. Sapienter itaque ex *ipso* etiam *Mose* eandem adversus illos adstruit, eoque ipso demonstrat, Sadducæos, dum ex Mose contra resurrectionem mortuorum ratiocinantur, Mosen contradictionis arguere, quoniam is ipse alibi eandem testetur. Alias adhuc rationes dabit WOLFIUS *in Curis*, & RUSIUS *in Harm. Evang.* Adde BENGELI *Gnom. p. 128.* ubi probat, locum hunc ad Sadducæos citatum esse omnium exquisitissimum.

§. VI.

Pergimus II. ad *Applicationem* hujus Oraculi a Christo factam, quando Mosen in eo testem excitat resurrectionis mortuorum. Sunt 1) qui κατ' ἄνθρωπον duntaxat hoc dictum ad probandam Resurrectionem Mortuorum adhiberi existimant, quos inter est *Card.* PERRONIUS, contendens, Resurrectionem ex eo *non satis* probari, *sepposita Ecclesiae Auctoritate;* cujus vestigia secutus RICHARDUS SIMONIUS *in Resp. ad Jud. Theol. Batav. de Hist. sua Crit. Cap. XX.* non veretur scribere, quascunque in partes argumentum Christi vertatur, nihil ex eo pro demonstranda Resurrectione mortuorum confici posse, nisi supponatur, usu receptum fuisse Christi ætate certum quendam Scripturas explicandi modum, qui auctoritatem traxerit ex Ecclesiæ traditione, huncque secutum hic esse Christum, qui juxta cum discipulis suis alias quoque haud indignum se esse existimaverit, in Disputationibus suis cum Judæis istud præjudicium sequi. Mireris etiam, JAC. BASNAGE *in Hist. des Juifs. T. III. p. 387.* itidem hunc errare potuisse errorem. Quid enim hoc est aliud, quam Christi argumentum prorsus enervare, dum a) vis ejus omnis ab incerta traditione suspenditur, & b) Christus hoc modo plumbeo Traditionum telo adversus Sadducæos pugnasse dicitur, qui tamen easdem respuebant, ipso fatente SIMONIO *in Hist. Crit. Vet. Test. L. I. cap. 16.* Num os illis tali petitione principii obturari potuit?

§. VII.

§. VII.

Sunt 2) qui Christum *Animorum immortalitatem* duntaxat hoc argumento probare voluisse contendunt, non vero *Corporum resurrectionem*. Quod ut obtineant, nihil non agunt, ut ostendant, vocem ἀναστάσεως hoc loco nil aliud notare, quam *vitae alterius statum*, vel perseverantiam in vita, etiam post mortem. Est hæc HAMMONDI & DAN. HEINSII sententia, cui obviam ivit CLERICUS *in Nott. ad Hamm.* & OLEARIUS *in Obss. in Matth. p. 608.* Certe huic opinioni adversatur Sadducæorum hic contra Christum disputantium scopus. Mos enim hic *Corporum resurrectionem* impugnare voluisse, ex eo intelligitur, quod argumentum ducunt a commercio matrimoniali, quod sane non cadit in animam, seu naturam corporeæ affectionis expertem, sed in corpus. His igitur dum respondet Christus, omnino statuendus est in eadem causa agenda perstitisse. Sunt 3) interque eos GROTIUS maxime, qui *directe* quidem *animae immortalitatem* a Christo probari dicant, *indirecte* vero etiam *Corporis resurrectionem*. Cum enim anima naturaliter cum corpore suo conjungi appetat, & æquitas Dei insuper exigat, ut ne anima & corpus separentur *in mercede*, quæ conjuncta fuerunt *in opere*, omnino cum *illa hanc* quoque probatam esse. At vero minus commode id, quod in quæstione præcipuum erat, *indirecte* saltim probari dicitur.

§. VIII.

Rectius itaque 4) alii directam eamque solidissimam demonstrationem Resurrectionis Mortuorum in his Christi verbis proponi tuentur. Nervum argumenti dabit BENGELIUS *in Gnom. ad h. l.* cf. OLEARIUS *l. c.* SEB. SCHMIDIUS *in Coll Bibl. post. p. 377. sega.* WOLFIUS *in Cur. ad h. l.* Res eo redit: Quibuscunque Deus declaravit, se *ipsorum Deum* esse, iis communionem ac fruitionem sui æternam detulit; ut vero æternum cum Ipso vivere Eoque frui possint; eos, interveniente etiam morte corporis, *quoad animam* tamen semper vivere, & *quoad corpus* aliquando resuscitari, immo jam nunc, licet hominibus mortui sint, *Deo* tamen *vivere*, necesse est. *Minorem* Christus ut ἐξαγώνιον supponit ex Theol. Judaica. *Majorem* probat ex eo, quia Deus non sit Deus mortuorum, sed viventium. Vim & efficaciam hujus argumenti non Sadducæi saltim senserunt, obmutescentes, & ne hiscere quidem amplius ausi, sed etiam turba circumstans, in admirationem venerationemque erga Christum majorem rapta, ac Scribæ, infensissimi cæteroquin hostes Christi, ἀκρίβειαν Ejus propalam prædicantes. Matth. XXII. 33. Luc. XX. 39. 40.

XXVIII. AL-

XXVIII. ALLEGATUM.

MATTH. XXII. 43. 44.

Πῶς οὖν Δαυὶδ ἐν πνεύματι Κύριον αὐτὸν καλεῖ; λέγων, Εἶπεν ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου.

MARC. XII. 36.

Αὐτὸς γὰρ Δαυὶδ εἶπεν ἐν πνεύματι ἁγίῳ, λέγει ὁ Κύριος τῷ Κυρίῳ μου, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου.

LUC. XX. 42. 43.

Καὶ αὐτὸς Δαυὶδ λέγει ἐν βίβλῳ ψαλμῶν, εἶπεν ὁ Κύριος τῷ κυρίῳ μου, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου.

ACT. II. 34. 35.

Οὐ γὰρ Δαυὶδ ἀνέβη εἰς τοὺς οὐρανούς, λέγει δὲ αὐτὸς, Εἶπεν ὁ Κύριος τῷ Κυρίῳ μου, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου.

HEBR. I. 13. [1])

Πρὸς τίνα δὲ τῶν ἀγγέλων εἰρηκέ ποτε, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου;

PS. CX. 1.

נְאֻם יְהוָה לַאדֹנִי שֵׁב לִימִינִי עַד־אָשִׁית אֹיְבֶיךָ הֲדֹם לְרַגְלֶיךָ׃

VERSIO LXX.

Εἶπεν ὁ Κύριος τῷ Κυρίῳ μου· Κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου.

§. I.

Allegat Christus hoc oraculum, ut convincat Phariſæos, Meſſiam, quem *Davidis filium* recte ſtatuant, non poſſe eſſe *merum hominem*, quoniam Davi-

1) His quinque locis oraculum noſtrum proprie allegatur, prævia formula allegandi; pluries vero ſervatis ejusdem verbis ad Chriſtum applicatur. Vid. 1 Cor. XV. 25. Hebr. X. 12. 13. Quin, tota phraſeologia, qua Status Exaltationis Chriſti per *ſedere ad dextram Dei* exprimitur, huic loco debetur. Quid mirum, ſi GROTIUS auſus non eſt, eam vaticiniis eximere, quorum Subjectum *litteraliter* & *unice* ſit Chriſtus?

Davides eum *ſuum Dominum* vocaverit. Patet vero, I. *Allegationes* has ipſas cum Textu hebræo ita convenire, ut nulla conciliatione opus ſit; dabimus tamen obſervationes quasdam philologicas, circa Applicationem deinceps uſui futuras. 1) Quum Interpretes LXX. tam hebraice quam græce docti hebræum nomen יְהוָה æque per κύριος vertant, quam אֲדֹנָי, & vice verſa: Argumento id eſt, diverſitatem nominum hebraicorum יְהוָה & אֲדֹנָי non arguere inæqualitatem Meſſiæ ac Jehovæ, quaſi אֲדֹנָי de Meſſia uſurpatum minus diceret, quam Jehova, uti ENJEDINUS voluit. Certe ſi κύριος non deſignaret *Deum verum ac ſummum*, nunquam illud nomen ſubſtituiſſent nomini *Jehova*, neque ipſi Judæi pro יְהוָה lectitaſſent אֲדֹנָי.

§. II.

Quum vero GROTIUS ex eo ipſo, quod LXX. יְהוָה reddiderunt κύριος, colligit, nomen illud hebraicum jam temporibus Ptolemaicis אֲדֹנָי legi ſolitum fuiſſe; CALOVIUS eapropter id inde ſequi negat, quoniam aliis ex cauſis fieri potuerit, ut *Jehova* redderent κύριος, quia ſcilicet nomen aliud non habebant, quo id commode exprimerent, & vere in omnibus linguis Nomen Tetragrammaton eſt ἀνέκφρασον καὶ ἀνεκφώνητον; non quidem ideo, quod tot vocalium concurſum ſermo græcus non pateretur, ut Vir quidam doctus putavit; cum a) ut recte GROTIUS monet, idem uſu veniat in multis nominibus aliis, quæ tamen, ut poſſunt, ſæpe etiam litteris aliquot omiſſis, LXX. exprimunt; & b) hæc ratio non tangat Judæos, hebræo utentes ſermone: ſed *ex ſuperſtitione.* Olim enim non ipſi modo Judæi; ſed etiam Alienigenæ, de Hebræorum Deo loquentes, illud pronunciarunt, ut Regis Hirami exemplo conſtat. 1 Reg. V. 7. Erat enim nomen Dei διακριτικὸν, quo Deus Hebræorum à Diis cæteris diſcernebatur; nomen, in quo non eſt participatio inter Creatorem & aliquid aliud, ut MAIMONIDES loquitur; revelatum à Deo hunc in finem, ut eodem inſigniretur ac coleretur: Poſtea vero, cum religio degeneraſſet in ſuperſtitionem, piaculum ducebant Judæi, illud pronunciare.

§. III.

2) Tametſi Cel. MICHAELIS *in Coll. Crit. p. 477. ſqq.* pro lectione recepta אֲדֹנָי *Domino meo*, legendum videatur אֲדֹנָי, Domino *abſolute* tali, quod nomen mere divinum v. 5. occurrat: nos nihilominus lectioni Maſorethicæ eapropter inhærendum putamus, quia omnes tres Evangeliſtæ, &

& ante illos LXX. legerunt אֲדֹנִי, vertentes κυρίῳ μου [m]). Neque obstat, quod in quæstione, quam Christus ex hisce verbis formavit v. seq. 45. Matth. pronomen μου omittatur; id ipsum enim, quod ex isto oracluo formata est quæstio, supplere in hac ex illo jubet τὸ μου [n]). Et si in seqq. corrigere quasi voluisset Christus versionem LXX. simpliciter dicendo κύριον, non κύριον αὐτοῦ: satius omnino fuisset, τὸ μου omittere in ipsa statim allegatione oraculi.

§. IV.

3) Verba שֵׁב לִימִינִי frigide satis exponit GROTIUS, quando sic interpretatur, *securus esto fiducia mei auxilii;* frigidam hoc modo suffundens Judæis. Tam in Scriptura S. quam in omnibus aliis linguis prorsus sine exemplo est hæc expositio phraseos, *sedere ad dextram alicujus.* Magis adhuc contorta est explicatio Interpretis Chaldæi, cui שֵׁב לִימִינִי idem est, ac *sede ad Benjaminitam*, hoc est, exspecta, donec Saul *Benjaminita* moriatur, sicque regnum tibi cedat. אִישׁ יְמִינִי quidem *Benjaminitam* notat 2 Sam. XX. 1. Esth. II. 5. sed יְמִינִי, absolute positum, semper significat *dextram meam.* Et quam monstrosum est, sedere ad Benjaminitam, interpretari: *exspecta, dum Benjaminita moriatur.* Melius sane Paulus τὸ *sedere ad dextram Dei* exponit per βασιλεύειν 1 Cor. XV. 25. cf. v. 2. nostri Ps. 4) Quum additur עַד־אָשִׁית אֹיְבֶיךָ הֲדֹם לְרַגְלֶיךָ *usque dum ponam hostes tuos scabellum pedum tuorum* optime hæc verba explicantur ex more Veterum, ubi Victores, in signum dominii sui ac ignominiosæ ac plenariæ subjugationis hostium, colla eorundem vel terga pedibus calcabant, ceu videre est ex Jos. X. 24. coll. 1 Reg. V. 3. Ps. XVIII. 39. XCI. 13. Jes. LI. 23.

§. V.

Hisce observatis II. jam de *Applicatione* [o]) oraculi nostri dispiciendum

 est.

m) Habet quidem Vir Illustris, quod ad hæc respondeat, scilicet Scriptores N. T. allegasse ex LXX. etiam ubi mendosa sit. cf. supra *not.* y) *Alleg. XX.* Sed assertum suum Vir eruditissimus ipse eo restringit, *siquidem* argumentationi, quam ex loco V. T. ducunt Scriptores N. T. nihil per Versionem Græcam decedat. Multum vero hoc loco nervo probandi decedere, si pro לַאדֹנִי legatur לַאדֹנָי, Ipse opinatur *p.* 482. Ergo. Quod Davides, abdicato regno, Salomonem filium *Dominum suum* vocare potuerit, nihil habet singulare & a nostris moribus alienum; sed filium, multa post secula demum nasciturum, *suum Dominum* vocare, longe aliud quid involvit, ut plane opus non sit pro לַאדֹנִי substituere לַאדֹנָי, ut robur habeat argumentatio Christi.

n) *In den andern Worten kan man verstehen αὐτῦ. Dann es wäre sonst kein Schluß. Dann jemand* einen *Herren nennen, ist nicht gleich ein Zeichen einer Unterwürfigkeit.* Subjicit S. R. D. ERNESTI *Theol. Bibl. P. I. p. 45. not.*

o) Cf. omnino LILIENTHALIUS l. c. *p. 621 - 648.*

est. 1) Antiquissima omnium Parhermenia, quæ & in Talmude jam deprehenditur, per Dominum, cui dictum sit, sede a dextris meis, *Abrahamum* intelligit, cui Psalmum hunc, velut Epinicium, acclamaverit servus Eliezer, aut, ut alii volunt, Melchisedec, cum a victoria adversus quatuor Reges reverteretur. At vero in Abrahamum non quadrat a) Elogium de *Sessione ad dextram;* b) mentio *Zionis* v. 2. quod Abrahami tempore nondum exstitit, ad minimum in historia Ejus nullibi memoratur; c) mentio *aeterni Sacerdotii*, secundum ordinem Melchisedec, quod tam ab Abrahamo alienum est, ut idem potius a Melchisedeco, jure sacerdotii, decimatus fuerit. Alii proinde, 2) & quidem maxime Judæi recentiores Psalmum hunc de *Davide* interpretantur, cujus regiam dignitatem ac victorias Poëtarum aliquis in eo decantaverit. Sed obstat a) Inscriptio Psalmi מִזְמוֹר לְדָוִד. Quod enim præfixum ל hic sit nota Genitivi, adeoque *Auctorem* Psalmi designet, ex tot aliis Psalmorum titulis patet, ubi nomina propria cum ל constructa semper *Auctorem* eorundem produnt. Si vero Davides hujus Psalmi CX. auctor sit, alius sane ab illo erit Dominus ille, quem *suum* appellat, aut inepte prorsus David se ipsum appellavit Dominum suum. cf. GROTIUS *ad Matth. XII. 43* GEIERUS *ad Tit. hujus Ps.* & MICHAELIS *in Colleg. Crit. p. 474. sq.* b) Davides nulla ratione *ad dextram Jehovae sedisse* vel *sedere* dici potest. Neque is c) unquam *Sacerdos* fuit, & omnium minime *aeternus*, & quod d) vel maxime notandum est, nomen אֲדֹנָי v. 5. ut mere divinum, ipsi plane non competit.

§. VI.

Restat itaque, ut 3) dicamus, Vatem in hoc Psalmo nil nisi *Christum* canere. a) Enim huic uni *omnia* hujus Psalmi *praedicata*, in emphasi sua spectata, conveniunt. Vid. CALOVIUS *in Bibl. Ill. p. 1087.* & GROTIUS *ad Matth. XXII. 43.* & *de Verit. Rel. Christ. L. V. §. 22* b) Cum Christus in argumentatione sua contra Pharisæos pro confesso sumeret, Psalmum hunc & *Davidis* esse, & *de Messia* vaticinari, neutrum Pharisæi in dubium vocarunt; Neque Petro Act. II. 34. aut Paulo 1 Cor. XV. 25. Hebr. I. 13. V. 6. X. 12. 13. verba hujus Psalmi ad Messiam applicantibus, quisquam contradixit. c) Ad Messiam pertinere hunc Psalmum agnoverunt Judæorum haud pauci, tam e Veteribus, quam e Recentioribus: Doctores *Talmudici in Tit. Sucah. Cap. V.* Auctores *Midrasch Tillim* sive Mysticorum in Psalmos Commentariorum; ISAAC *Ben-Arama ad Gen. XLVII.* MOSE HADARSAN *ad Gen. XVIII.* I. R. SAADIAS GAON *in Dan.* aliique, quorum loca dabunt CALOVIUS *in Bibl. Ill. ad Ps. CX.* RAYM. MARTINI *in Pugione fidei p. 507. sq.*

537.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0252
DFG

537. *sq.* & SCHUDTIUS *in Comm. in Ps CX. p. 33. sq.* Unde d) Ipse etiam GROTIUS, qui alias Psalmos non litteraliter, sed mystice tantum de Christo agere contendit, hunc tamen Psalmum, eumque unicum, Christianis, ut vaticinium de Christo solo explicandum, relinquit.

§. VII.

Operam vero e) ludit ENJEDINUS, Socinianus, alioquin acutissimus, quando phrasin Matth. XXII. 43. ἐν πνεύματι eo interpretatur, quasi Christus Psalmum, qui litteraliter de Salomone, aut potius de ipso Davide sit compositus, nonnisi *spiritualiter* ad Messiam retulerit. Quod ut obtineat, multis probare contendit, verba ἐν πνεύματι κύριον αὐτὸν καλεῖ nil aliud dicere, quam quod David πνευματικῶς, hoc est, nonnisi *spiritualiter* & *mystice* Messiam Dominum vocaverit; huncque in finem plura exempla adducit, quæ doceant, præpositionem ἐν cum suo casu sæpe significationem adverbialem formare. R. a) Verum quidem hoc esse, sed inde non sequi, hanc quoque phrasin ἐν πνεύματι adverbialiter hic sumendam esse. Sæpius illa in N. T. occurrit, v. g. Luc. II. 27. Act. XIX. 21. 1 Cor. XII. 9. nunquam vero significat *spiritualiter* vel mystice, sed semper idem ac *in Spiritu Sancto*; ἐν πνεύματι hoc loco idem dicit, quod phrasis 2 Pet. I. 21. φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος ἁγίου. cf. Apoc. I. 10. ἐγενόμην ἐν πνεύματι. b) Omnem elabendi rimam ENJEDINO obstruit Marcus, Cap. XII. 36. pro ἐν πνεύματι, quod Matthæus habet, dicens, Davidem ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ Messiam Dominum appellasse, quod sane prædicatum *Spiritum S.* cujus afflatu id fecerit, prodit, neutiquam vero sensum ab eo dictorum mysticum significare potest. cf. Luc. IV. 1. ubi ἐν τῷ πνεύματι idem dicit, quod antea πνεύματος ἁγίου πλήρης. c) Si ἐν τῷ πνεύματι idem hic esset, quod πνευματικῶς, *mystice* & *spiritualiter*, non potuisset Christus dicere, *Davidem* hæc dixisse de Christo, sed Interpretes potius ejus allegoricos, *Medraschim* dictos, debuisset nominare. cf. WOLFIUS *in Cur. ad h. l.* RUSIUS *in Harm. Evang. T. III. p. 224.* OLEARIUS *in Obss. in Matth. p. 627. sq.* SAL. DEYLINGIUS.

XXIX. ALLEGATUM.

MATTH. XXIV. 15. 16

Ὅταν οὖν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τοῦ προφήτου, ἑστὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ· ὁ ἀναγινώσκων νοείτω· Τότε οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν ἐπὶ τὰ ὄρη.

MARC. XIII. 14.

Ὅταν δὲ ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Δανιὴλ τοῦ προφήτου, ἑστὼς ὅπου οὐ δεῖ· ὁ ἀναγινώσκων νοείτω· Τότε οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν εἰς τὰ ὄρη.

DAN. IX. 27.

וְעַל כְּנַף שִׁקּוּצִים מְשֹׁמֵם׃

VERSIO THEODOTIONIS p).

Καὶ ἐπὶ τὸ ἱερὸν βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων ἕως.

§. I.

Notandum in hoc Allegato I. quando Christus Danielem expresse *Prophetam* appellat, æque ac v. gr. Jesaias sub nomine *Prophetae* citatur Matth. III. 3. VIII. 17. XII. 17. Luc. IV. 17. Joh. XII. 38. coll. Matth. XV.

p) JOH. FRICKIUS *in Proleg. Edit. LXX.* Lipſ. 1704. p. 30. hæc habet: Quin immo tantum auctoritatis obtinuit apud Chriſtianos Verſio THEODOTIONIS, ut, eodem HIERONYMO teſte, integra Danielis Prophetia non e LXX. ſed ex illa publice legeretur: unde & hodienum in noſtris Græcis MSS. editisque Codicibus ſolus quoque Theodotionis Daniel ſupereſt, vetere τῶν LXX. maxima ſui parte exſtincto; niſi quod breves tantum ejus lacinias ad Cap. VII. IX. pertinentes JUSTINUS *Mart.* CLEMENS *Alex.* & TERTULLIANUS (poſtremus in Latinum transfuſas) conſervarunt; quas utiliſſimo labore collegit, & è regione Verſioni THEODOTIONIS appoſitas ſuo *de LXX. Syntagmati* inſeruit — USSERIUS. Recuſa fuerunt iſta FRICKII *Proleg.* in *Ejusdem Meletem. Var.* Ulmæ 1756. ubi allegata verba p. 184. leguntur. Feliciſſime vero expleta jam eſt hæc Verſionis LXX. lacuna, poſtquam ſuperiori anno prodiit: *Daniel ſecundum LXX. ex Tetraplis Origenis. Nunc primum editus e ſingulari Codice Chiſiano 800. Annorum. Romæ.* 1772. Cum vero Exemplar Romanum ad paucorum manus in noſtris regionibus perventurum ſit, gratiſſimum omnibus eſto donum *Gœttingenſe*, quo Verſio iſta Danielis Græca LXX. nobiscum communicabitur. Num illa, & quantum a Verſione Theodotionis noſtro in loco abludat, definire nondum poſſumus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0254
DFG

XV. 7. ubi προφητεύειν illi adscribitur; eo ipso Judæis contradicit, Danielem numero Prophetarum, tam *priorum*, quam *posteriorum*, eximentibus, & libris כְּתוּבִים seu *Hagiographis* accensentibus; quemadmodum etiam Syracides Cap. XLVIII. 25. & XLIX. 8. 10. Jesaiæ quidem, Jeremiæ & Ezechielis meminit, Danielis contra ne verbulo quidem; statim v. 12. ad XII. Prophetas progrediens. Cujus rei 1) Causam in eo a) GROTIUS quærit, quod Daniel vitam egerit non propheticam, sed Satrapicam; uti Davides, eodem nomine inter Hagiographos relatus, regalem. Verum hæc ratio jussisset eos, *Jeremiae Threnos* inter Prophetas referre, quibus tamen inter Hagiographa sedem assignarunt, adeoque alia quærenda est; quam b) inveniisse aliqui putant in distinctione illa Rabbinis usitatissima, qua Hagiographos scripsisse quidem perhibent *per Spiritum S.* sed non *per Prophetiam;* majorem revelationis gradum per hanc intelligentes. Vid. CALOVIUS *in Proleg. ad Dan.* [9]) Alii c) hanc Danielis e Canone, non quidem totius Scripturæ S. sed tamen Prophetarum, exclusionem *odio* cuidam erga hunc Prophetam tribuunt, cujus hæc sit causa, quod vaticinia ejus nimis manifeste adventum Messiæ, etiam *quoad tempus*, designare, atque sic inani eorum exspectationi Messiæ futuri repugnare viderint; quam ob rem *Theodoretus* jam longa oratione invectus sit in Judæos, Danielem numero Prophetarum eximentes. d) BENGELII hæc est sententia: Quum ii, qui Libros V. T. in unum corpus redigere cœperunt, Danielis Librum nondum habuissent; is Liber, & *serius* & *extra Palaestinam* scriptus, Hagiographis adjectus est; & inde Danielem, qui Prophetis non esset adjectus, ne Prophetam quidem fuisse, aliqui putarunt, accedente *fastidio scrutinii temporum propheticorum. In Gnom. ad hunc loc. Matth.*

§. II.

9) Scilicet tres revelationis divinæ gradus Judæi constituerunt: quorum *primum* & supremum Mosi assignant, quocum ore ad os, absque visionum & somniorum involucris, Deus collocutus sit. Num. XII. 6-8. *Proximum* Prophetis tribuunt, qui sive dormientes, omni sensuum Ministerio orbati, vel vocem audierint secum loquentem, vel visiones propheticas in ἐκφάσει viderint. *Infimum*, quem רוּחַ הַקֹּדֶשׁ dicunt, Viris θεοπνεύστοις concedunt illis, qui integris manentibus sensibus, instar aliorum hominum locuti sint, ita tamen, ut, quamquam somniis vel visionibus, propheticis non gauderent, facultatem nihilominus divinam super se quiescentem senserint, qua excitante & suggerente verba laudis & confessionis, vel alia divina juxta ac civilia dixerint, ac litteris mandarint. Ita discrimen hocce exponit JOH. GOTTL. CARPZOVIUS *in Introd. in LL. Can. V. T. P. I. cap. 2. §. 4.* conf. *Eundem P. III. cap. 1. §. 25.* At neque sub hac distinctione Daniel e numero Prophetarum per Judæos eximi debebat, utpote cui, præ aliis pluribus, quos inter Prophetas numerarunt, *visiones propheticæ* obtigerunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0255
DFG

§. II.

Quicquid vero sit de Causis hujus facti, male 2) id factum esse, Christus ipse testatur, dum *Prophetam* appellat Danielem. cf. Hebr. XI. 32. 33. ubi inter Prophetas numeratur, qui ora leonum occlusit, quod nonnisi de Daniele legimus. JOSEPHUM quoque *de Antiq. Jud.* Danielem plus semel Prophetam vocare, & maximis æquiparare, CALOVIUS probat l. c. Quod itaque in nostro Codice hebræo Danielis Liber non inter Prophetas, sed inter Hagiographa comparet, tam non derogare apud nos debet propheticæ illius dignitati, quam non derogat *Davidis*, quod hujus etiam Psalmi inter כְּתוּבִים relati sint, qui tamen non minus Propheta dicitur Act. II. 30.

§. III.

II. Quæritur: Quum *ter* apud Danielem de *abominatione desolationis* sermo sit, scil. IX. 27. XI. 31. XII. 11. ad quemnam horum locorum Christus respiciat? Dissensus Interpretum videatur apud WOLFIUM *in Curis ad h. l.* & RUSIUM *in Harm. Evang. T. III. p. 347.* Nos cum iis facimus, qui directe locum Cap. IX. 27. respici putant, quoniam ipse ordo & series rerum a Propheta prædictarum suadet, ut de eo Urbis excidio sermonem esse credamus, quod sequi patratum adversus Messiam facinus, & cum omnimoda sacrorum cessatione conjunctum esse debebat. Atqui de hoc in reliquis locis sermo non est.

§. IV.

III. Quæritur: Quid per βδέλυγμα ἐρημώτεως intelligendum sit? Habent Matthæus & Marcus hanc phrasin e Græca Versione Prophetiæ, cum Textus originalis habeat שִׁקּוּצִים מְשֹׁמֵם *abominamentum vastans*: Mire vero discrepant Interpretes circa sensum hujus phraseos. GERHARDUS *in Harm. XI.* sententias recenset, quibus SEB. SCHMIDIUS *in Fasc. Disp. IV.* adhuc V. addit. Dabimus potiores, sua præ aliis specie commendabiles. Sunt 1) qui per βδέλυγμα ἐρημώτεως intelligant *statuam* vel *imaginem* quandam *Idoli* in Templo erectam, cujusmodi fere quatuor afferri solent, quarum alia his, alia istis placet. Scilicet vel a) statua *Jovis Olympii* & Idola *Antiochi Epiphanis*, factaque per illum Templi profanatio, de qua 1 Macc. I. & FL. JOSEPHUS *Ant. Jud. L. XII Cap. 7.* vel b) *Aurea Herodis Aquila* super maximam Templi porticum posita, cujus meminit JOSEPHUS *de Bello*

Bello Jud. L. I cap. 21. vel c) *Tiberii Caesaris* insignia & imago à Pilato, post Christum è vivis sublatum, in ipsum Sacrarium illata, de qua JOSEPHUS *Ant. Jud. L. XVIII. cap. 4.* vel d) statua *Caligulae*, Successoris Tiberii. Sed hæc neutiquam huc pertrahenda sunt: α) Quia pleraque ante habitum hunc Christi sermonem, Antiochi jam vel Herodis tempore, gesta sunt; aliqua vero saltim *diu* ante excidium Hierosolymitanum, cum Christus de *futuro* quodam *signo* hujus excidii, eoque proxime illud præcessuro loquatur. β) Pilati & Caligulæ temporibus tam præceps fuga, qualem Christus hic præcipit, nondum erat necessaria. γ) Sermo est Christo de excidio illo, quod finem allaturum erat Urbi & Reip. Judaicæ. δ) De Tiberii Cæsaris Insignibus & imagine JOSEPHUS *l. c.* non narrat, quod in Sacrarium sint illata, sed hoc saltim ait, tam ibi, quam *L. II. cap. 8. de Bello Jud.* quod ad Legis contumeliam *in Urbem* fuerint illata, quod ipsum etiam EUSEBIUS repetit in *Hist. Eccl. L. II. Cap. 6.* ε) Quæ de Caligulæ conatu referuntur, ne effectui darentur, Petronii, Syriæ Præsidis, & Aristobuli prudentia ac consilio cautum est.

§. V.

Alii proinde 2) per βδέλυγμα ἐρημώσεως innui putant *profanationem Templi* per Zelotas seditiosos, de quibus multa leguntur apud JOSEPHUM *de Bello Jud. L. II. cap. 22. 30. 31 32* & alibi. Summam dabit SURENHUSIUS *p. 273. seq.* qui & ipse, post LUD. CAPPELLUM, in ea est sententia. Adstipulatus est illis OLEARIUS *Obs 73. in Matth.* cui βδέλυγμα est profanatio Templi per Zelotas; licet haud abnuat, per מְשֹׁמֵם & ἐρήμωσιν innui exercitum Romanum, duo hoc modo faciens signa excidii, profanationem Templi & adventantem exercitum devastantem. Recte vero WOLFIUS *in Cur. p 343.* Viro docto opponit, quod binæ istæ voces, βδέλυγμα ἐρημώσεως, nimis arcte cohæreant, quam ut de diversis subjectis accipi possint; quodque Lucas in loco parallelo Cap. XXI. 20. nonnisi de uno imminentis desolationis signo loquatur. In genere vero profanationem Templi per Zelotas hic non intelligi posse, WOKENIUS contra CAPPELLUM & CASP. ERN. TRILLERUM disputat *in Meditt. S. XXIII. p. 140. sqq.* Certe abominationem *profanationis* secuta demum est abominatio *desolationis*, ut pœna culpam; & de hac posteriore, hic sermo est.

§. VI.

Hinc 3) plerique Interpretes per βδέλυγμα ἐρημώσεως intelligunt *Exercitum Romanum*, qui βδέλυγμα hic audiat, quoniam erat è *gentibus* con-

flatus, quæ Judæis erant *abominationi*. Act. X. 28. & quod in ſpecie Judæi *ſigna* ejus *militaria* abominabantur tanquam Idola, cum Romani divinitatem iſtis ſignis tribuerent: βδέλυγμα vero ἐρημώσεως quia hujus exercitus adventum ſecuta eſt *devaſtatio* Judææ & Urbis ipſius. Unde ſimul patet, quod in phraſeologia hac, ubi duo ſubſtantiva conſtruuntur, non *regens*, id eſt βδέλυγμα, *adjective* ſumendum ſit, quaſi ſenſus eſſet βδελυκτὴ ἐρήμωσις, ut RUSIUS vult cum DORSCHEO, SCHMIDIO, HOMBERGIO, WOLFBURGIO; neque enim ipſa ἐρήμωσις ſignum eſſe poterat ἐρημώσεως: ſed *rectum*, r) h. e. ἐρημώσεως, ut ſenſus ſit βδέλυγμα ἐρημωτικὸν, *abominatio devaſtans*, qualis omnino erat Exercitus Romanus, a quo nil niſi deſolationem exſpectare Judæos hic jubet Chriſtus, poſtquam ſigna ejus circa urbem jam eſſent conſpecturi. Egregie ſane hæc ſententia confirmatur à Luca in loco parallelo Cap. XXI. 20. quamvis ibi ad vaticinium Danielis haud provocetur. Ita enim ibi τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως exprimitur: Ὅταν δὲ ἴδητε κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων τὴν Ἱερουσαλὴμ, τότε γνῶτε, ὅτι ἤγγικεν ἡ ἐρήμωσις αὐτῆς. Hic ſane, ut optime WOLFIUS obſervat *p. 342.* manifeſtum eſt, *ſignum* a *vaſtatione* ipſa diſtingui, pro *ſigno* autem obſidionem exercitus Romani proponi, qui ab ἐρημώσει ideo appellatur, quod hæc ab illo proficiſci debebat. Nimis vero manifeſtus eſt loci hujus Parallelismus, quam ut dubium nobis eundem reddere poſſint, quæ SEB. SCHMIDIUS contra obvertit. Vid. RUSIUS *in Harm. Evang. p. 344. ſq.*

§. VII.

Quæritur jam IV. qua ratione verba Danielis וְעַל כְּנַף שִׁקּוּצִים מְשֹׁמֵם concilianda ſint cum verbis Matthæi? In Hebræo enim שִׁקּוּצִים cohærent cum כְּנַף, ut ſenſus ſit *& ſuper alam abominationum;* in Græco autem βδέλυγμα, quod reſpondet τῷ שִׁקּוּצִים, conſtruitur cum ἐρημώσεως, quod reſpondet τῷ מְשֹׁמֵם. Daniel ait: *& ſuper alam abominationum vaſtator*, vel *deſolans* ſcil. erit: Matthæus vero, *quum videritis abominationem deſolationis, ſtantem in loco ſancto.* Reſpondetur 1) in genere, quemadmodum alibi, ita & hic Evangeliſtas ſenſum potius, quam verborum apices ex fontibus retuliſſe, in Textu hebræo obſcurius dicta explicaſſe, & ſimul græcæ ver-

r) Vid. GLASSIUS *in Phil. S. p. 558. ſeqq.* ubi multis exemplis probat, in duobus ſubſtantivis, quorum unum alterum regit, modo prius, modo poſterius, adjectivi loco eſſe. Noſtrum vero locum p. 569. ad tertiam claſſem refert, ubi dubium ſit, num prius an poſterius adjectivi vices ſuſtineat, quia utroque caſu ſenſus commodus exiſtat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0258
DFG

versionis errores correxisse. s) Vid. SCHMIDIUS *l. c.* §. 4 - 6. 13. 22. & OLEARIUS *c. l* §. 6. 7. Patebit hoc, si 2) singula verba evolverimus: a) עַל כְּנַף respondet apud Matthæum phrasis ἕως ἐν τόπῳ ἁγίῳ, & apud Marcum, ἕως ὅπου οὐ δεῖ. Uterque hoc modo corrigit Versionem Græcam, quæ habet ἐπὶ τὸ ἱερὸν, quasi per כְּנַף *Templum* sit intelligendum; id quod ii avide arripiunt, qui per *βδέλυγμα profanationem Templi per Zelotas* innui volunt, (cf. OLEARIUS *l. c. p. 684.*) cum tamen כְּנַף nonnisi coacte de Templo intelligi queat; sed vel α) *alam* designet, unde א) quidam e. g. SEB. SCHMIDIUS per כְּנַף intelligit *aves* illas, quæ loca desolata inhabitent, & quos fugatum iri hic aiat Daniel ex ruderibus aliquamdiu relictis, sed tandem plene dirutis per continuatam desolationem: Quod vero alienum hic esse, nemo non perspicit, cum devastatio *consummata* non possit esse *signum fugae.* Alii ב) per *alam* intelligunt *Aquilas Romanorum*, &, per Metonymiam signi pro signato, qualis etiam v. 28. Cap. XXIV. Matth. occurrit, *Exercitum Romanorum*, quod autem non congruit cum eo, quod *vastator super hanc alam fore* dicitur, cum ipsa potius *ala*, scil. Exercitus Romanus, Vastator ille fuerit. t) Cæterum de *Aquilis Romanorum* legatur LIPSIUS *in Annott. ad Tacitum & L. IV. de Militia Rom. Dial. 4. p. 164.* Scilicet in singulis Legionibus *Aquila* fuit, ex argento primum, postea ex auro, summæ hastæ insidens, alis expansis, & pede fulmen aureum tenens: In Summitate hastæ breve lignum transversum erat, instar crucis, cui adjunctæ erant Cæsarum imagines. Atque istæ Aquilæ militum erant Numina, adeo ut adorarent illa, ac per ea jurarent.

s) Scilicet, ubi Versio Græca vel argumentationem infringebat, ex Textu originali petendam, vel in apertum errorem Lectores N. T. induxisset, uti hic. Nam supposito tantisper, Danielem Græcum LXX. non aliter legere ac Theodotionis, quando τὸ βδέλυγμα ἐρημώσεως jam ἐπὶ τὸ ἱερὸν esset, non amplius fugæ locus erat. Ex hoc quoque elucet, quo Spiritu ducti Novi Test. scriptores allegaverint. Ipsi profecto per se non videbant, quantum falsitatis inesset Versioni Græcæ. Caveamus ergo, ne de Allegationibus eorum temere judicemus.

t) Eadem hæc sententia cum priori difficultate premitur, ut per durissimam Synecdochen *ala* diceretur pro tota *ave*. *Alarum* quidem in exercitu Romano frequentissima mentio fuit; verum ea vox, per Metaphoram satis manifestam, de Equitum tantum ordinibus usurpata fuit, qui circum Legiones dextra sinistraque, tanquam alæ in Avium corpore locabantur. Aquilæ integrarum Legionum signa erant.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0259
DFG

§. VIII.

Cum itaque פֶּגֶן *alam* designare non possit, alii β) illam vocem per *plagam* exponunt, quo sensu illa sumitur Jes. XI. 12. ut adeo פֶּגֶן hoc loco designet regionem illam circa urbem Hierosolymarum, ubi exercitus Romanus obsidionem cœpit, & præcipua obsidionis vis fuit, scil. *Montem Olivarum.* cf. JOSEPHUS *de Bello Jud. L. VI. cap. 3.* Ex hac Orientis plaga, cum Hierosolymitanis se ex illa conspiciendum præberet Exercitus Romanus, signum Deus hoc ipso dedit piis ad fugam. Ita optime BENGELIUS *in Gnom* At, inquis, quomodo *montem Olivarum ἅγιον τόπον* dicere potuit Matthæus & Daniel contra פֶּגֶן שִׁקּוּצִים *plagam abominabilem?* Resp. Utrumque verum est diverso respectu: *Sancta* erat plaga illa terræ judaicæ, quia Hierosolymæ, Urbi sanctæ, tam propinqua erat; quia ex Monte Olivarum Templum vicinum introspici poterat; quia Christus, ut sæpe, ita cum hæc diceret, illum sua præsentia Sanctum habuit. cf. Zach. XIV. 4. Erat vero simul plaga *abominabilis* tempore excidii, quod Idololatrarum exercitus in illa Hierosolymorum incolis se conspiciendum præbuit. Atque sic Mons Olivarum fuit פֶּגֶן שִׁקּוּצִים secundum Danielem, & fuit etiam *τόπος ἅγιος* secundum Matthæum.

§. IX.

Sequitur 6) in evolutione singularum vocum participium ἑστὼς, quod explicationis ergo adjecerunt Evangelistæ, & recte refertur ad antecedens *βδέλυγμα*, licet HOMBERGIUS *in Parerg. S. ad hunc Matth. locum*, & OEDERUS *in Misc. Lipsi. T. 12. p. 115.* ad sequentia referre malint. α) *Ille* quidem verba ἑστὼς ἐν *τόπῳ ἁγίῳ* transponenda judicat post *τότε* &c. hoc sensu, ut fuga præcipiatur primo ei, qui stat in loco sancto; deinde iis, qui sunt in Judæa: Sed durissimam esse hanc trajectionem OLEARIUS probat *l. c. p. 686. sq.* add. RUSII *Harm. Evang. p. 351.* β) *Hic* vero construit illa cum proxime sequentibus, *ὁ ἀναγινώσκων νοείτω*, & una cum his parenthesi includit, hoc sensu: (qui in loco sancto stat, Lector, animadvertat!) per *τὸν ἑστῶτα ἐν τόπῳ ἁγίῳ* intelligens Lectorem publicum in loco sancto, scilicet in Synagoga, singulis Sabbathis stantem, & Haphtaras propheticas populo prælegentem, quem jubeat Christus ad Vaticinium Danielis attendere, & auditores de imminente excidio admonere. Sed vide, quæ Paradoxa huic sententiæ obvertunt WOLFIUS *ad Marc.* XIII. 14. RUSIUS *p. 351.* & BENGELIUS *in Gnom. ad h. l.* At, inquis

inquis τὸ ἑφῶς videtur esse Masculinum, neque adeo convenire τῷ βδέλυγμα, quod est neutrius generis. R. ἑφῶς cum ω etiam in Neutro dicitur. Nam *communis formae* participium præteritum activum Neutrius generis ἑφηκὸς, quod extat Marc. IX. 1. *attice* formatur ἑφακὸς, & *ionice*. elisо κ, ἑφαὸς, ex quo deinde per contractionem duarum vocalium, α & ο, fit ἑφῶς cum ω: Ut adeo non sit opus, vel ad hebraicam generis Enallagen, qua sæpe Masculinum ponatur pro Neutro, vel ad Codices quosdam aut Editiones confugere, in quibus ἑφὸς legatur. conf. ἑφῶτα & ἐνεφῶτα, in sensu Neutro, & tamen cum ω. Luc. V. 2. Rom. VIII. 38.

§. X.

γ) Monitum, ὁ ἀναγινώσκων νοείτω, congruit cum illo, quod Danieli datum fuit Cap. IX. 25. וְתֵדַע וְתַשְׂכֵּל *scito & animadvertito*, & pios excitat, ut tales se præbeant, quales describuntur Dan. XII. 10. הַמַּשְׂכִּילִים יָבִינוּ *Prudentes intelligent.* Atque sic Danieli & Evangelistis omnino sua constat harmonia. Si quem vero nihilominus male habeat, quod Evangelistæ βδέλυγμα cum ἐρημώσει construant, cum Daniel שִׁקּוּצִים cum כָּנָף, non cum מְשֹׁמֵם, quod ἐρήμωσιν innuit, connectat; eum ablegamus ad loca Prophetæ Cap. XI. 31. & Cap. XII. 11. ubi שִׁקּוּץ cum שֹׁמֵם & מְשֹׁמֵם construitur, ut adeo Evangelistæ etiam in hoc Danielem præeuntem habeant.

XXX. ALLEGATUM.

MATTH. XXVI. 31.

Γέγραπται γὰρ, πατάξω τὸν ποιμένα, καὶ διασκορπισθήσεται τὰ πρόβατα τῆς ποίμνης.

MARC. XIV. 27.

Ὅτι γέγραπται, πατάξω τὸν ποιμένα, καὶ διασκορπισθήσεται τὰ πρόβατα.

ZACH. XIII. 7.

הַךְ אֶת־הָרֹעֶה וְתִפֹּצְנָה הַצֹּאן׃

VERSIO LXX.

Πάταξον τὸν ποιμένα, καὶ διασκορπισθήσονται τὰ πρόβατα τῆς ποίμνης.

§. I.

Primum hoc est Allegatum, quod *Historia Passionis* nobis offerat, & quo Servator in via ad montem oliveti discipulos suos alloquitur, πάντες ὑμεῖς σκανδαλισθήσεσθε ἐν ἐμοὶ ἐν τῇ νυκτὶ ταύτῃ, γέγραπται γὰρ &c. Observandum hic I. Quoad *Allegationem* Evangelistarum, recedere illam nonnihil a fonte, sed ita, ut haud difficulter conciliari queat. Etenim 1) non est, cur ægre quis ferat, Matthæum, vel Christum, e mediotantum versu quædam verba allegare, *prioribus:* Gladie, evigila super pastorem meum & super virum proximum meum; & *posterioribus:* reducam manum meam ad parvulos, transmissis. Quippe integrum omnino Christo fuit, ea tantum ex oraculo Zachariano excerpere, quæ scopo Ejus proxime inserviebant; qui erat, discipulos suos etiam e verbo prophetico certos facere de dispersione ipsorum post percussionem Ejus. Priora comprehendunt mandatum aliquod, quo percussori præcipitur, ut se ad percussionem præparet; hæc vero omittere jam poterat Christus, cum percussores jam essent parati, & gladius expergefactus, cum Jesus hæc diceret: Mox enim veniebant captores ejus cum gladiis & fustibus. Matth. XXVI. 47. Postrema autem verba promissionem continent; neque hæc plane a Christo neglecta dici

dici potest, quia v. 32. ipse etiam talem subjungit, quæ singulare quoddam specimen erat curæ Ejus pro parvulis.

§. II.

2) Quum apud Matthæum & Marcum Imperativus hebraicus הַךְ, *percute*, in prima persona Futuri exprimitur, *πατάξω*, *percutiam;* male hinc colligit PAULUS PEZRONIUS, Textum N. T. corruptum, & pro *πατάξω* legendum esse *πάταξον*, prouti habeant LXX. presse in eo Textum V. T. authenticum secuti, vapulans merito ob temerariam hanc Crisin B. H. GEBHARDI *in Vind. contra Pezron. p. 168.* a) Enim commode prorsus præcedentem Imperativum in primam personam Futuri transponit Christus, quia mox in fine versus Deus ipse in ista persona de se loquitur: *Reducam manum meam.* b) Deus est, qui initio versus gladium per Prosopopœiam alloquitur, & Imperativo עוּרִי excitat ad percutiendum Pastorem suum; Idem hanc Prosopopœiam ad gladium continuat in medio versus per Imperativum הַךְ. Cum vero Dominus, *percutere jubens, ipse percussisse* censendus sit, unde Messias a Deo percussus dicitur Jes. LIII. 4. Ps. LXIX. 27. recte omnino Christus Imperativum mutavit in primam personam Futuri, eoque ipso lucem simul quandam prætulit Prophetæ dicto facilius intelligendo.

§. III.

Equidem dubitare quis possit, an Imperativus הַךְ, *percute*, æque ac antecedens עוּרִי *abs Deo ad gladium dictus* censeri queat, cum prior, in fœminino positus, vocabulo חֶרֶב, quod est generis fœminini, omnino respondeat; alter vero non æque, הַךְ enim dicitur, non הַכִּי. Unde & RUSIUS *l. c. p. 873.* in secundo Imperativo Prophetam *Deum alloqui* statuit, & SURENHUSIUS *in* Βιβλ. Κατ. *p. 279.* eundem habet pro Imperativo Propheta ad percussorem. Sed non opus est huc confugere; observetur modo, quod MICHAELIS monet *in Bibl. Hal. ad h. l.* Scilicet Imperativum הַךְ hic esse *indefinitum* & *impersonalem*, ita ut æquipolleat Indicativo *percutietur*, vel *percutiam*, quo sensu idem Imperativus occurrit Amos IX. 1. 3) Verba וְתִפּוֹצֶיןָ הַצֹּאן in quibusdam Codicibus Versionis LXX. male sic translata sunt *καὶ ἐκσπάσατε τὰ πρόβατα, & avellite oves;* & si ita legit Matthæus in suo Exemplari, recte illam correxit, vertens *διασκορπισθήσεται.* Tantum de Allegatione.

§. IV.

§. IV.

Quod jam II. *Applicationem* hujus oraculi concernit, 1) *Judaei* quidem ad omnia alia potius, quam ad Messiam illud spectare contendunt; contra quos videatur GUSSETIUS *in Tract.* quo Librum famosum *Chisfuk Emunah* refutavit. 2) Pollicem illis premit a) CALVINUS, qui per *Pastorem* totum ordinem Pastorum populi Judaici intelligit; & b) GROTIUS, qui α) *in Annott. ad Zach.* non veretur scribere: Pastor hic est *Judas Maccabaeus*, qui in prœlio cum Bacchide interiit, teste Josepho: Hunc Bacchidem Deus alloquitur: Tu Bacchide Judam percute, & fugiet ejus exercitus; ego vero paucos faciam sospites. Cum vero applicationem a Christo factam sibi adversari videret, deinceps β) *in Annott. ad Matth.* nullus dubitat asserere, Christum non tam vaticinium aliquod hic allegare, sed *proverbium* modo quoddam adhibere voluisse, ut sensus sit, *fiet, quod dici solet, quodque alicubi scriptum meministis:* Percusso pastore, disperguntur oves; ubi simul per manifestum abusum Antiquitatis ad loca quædam Virgilii, Livii & Homeri provocat. Quin ibidem γ) eo progreditur audaciæ, ut plane inficietur, oraculum Zacharianum de bono aliquo Pastore agere, cum potius de aliquo *non bono*, & quidem de eodem, cujus in fine Cap. XI. mentio fiat, intelligendum sit; ubi itidem ille, quisquis tandem sit, vocetur *Pastor meus*, & gladius illi imminere dicatur.

§. V.

At vero, quod δ) *Calvini* sententiam attinet, solide ea refutari potest hac una ratione, quod Deus in singulari loquitur de Pastore aliquo certo, eoque non gregario, sed κατ' ἐξοχὴν tali, qui est Christus; quodque hic unus, quem *suum* notanter vocat, jam opponitur falsis Prophetis, quos v. 2. hujus Cap. reprobaverat; quemadmodum idem superius Cap. XI. 4. seqq. tanquam verus Pastor, pro triginta argenteis vendendus v. 12. 13. pastoribus infidis ac stultis jam oppositus fuit [u]).

§. VI.

ב) *Grotio* responderi potest, 1) *Judam Maccabaeum* eapropter in hoc oraculo non quærendum esse, quoniam a) is nunquam hoc *nomine*, nedum

u) Atque hæc ipsa oppositio in causa est, cur CALVINUS non possit singularem רֹעֶה *collective* interpretari, licet idem alias frequentissime in Codice hebræo fieri possit ac debeat.

dum tam emphatice *Pastor Jehovae exercituum*, appellatus est, quod tamen de Christo constat Ezech. XXXIV. 23. XXXVII. 24. b) Vim phraseos גֶּבֶר עֲמִיתִי, *Virum*, qui est *socius* vel *proximus mihi*, sive, ut Vulgatus vertit, *Virum mihi cohaerentem*, plane non exhaurit *Grotius*, quando vertit: *quem maxime amo.* Videantur, quæ de emphasi Vocis עֲמִית ex Coccejo affert CALOVIUS *in Bibl. Ill. ad h. l. p. 1020.* Adde MARKIUM *ad h. l. p. 1160.* c) Christus ipse hoc vaticinium interpretatur α) non de alio pastore, quam semet ipso; non de Juda Maccabæo, Duce bellico, sed de se, Pastore animarum: β) Non de clade in prælio, sed de percussione in passione sua, quæ tum ipsi imminebat; γ) non de exercitu cædendo, sed de Pastoris unius cæde; δ) non de clade ac dissipatione exercitus militum, sed de dispersione ovium, h. e. discipulorum suorum, quos timor in fugam dedit[x]); ε) non de interitu finali, aut dissipatione in perpetuum, sed de tali dispersione, è qua post resurrectionem Ejus oves rursum sint colligendæ. v. seq. Quando autem 2) GROTIVS Christum hic proprie non allegasse, sed proverbialiter tantum locutum esse perhibet; jure illi regerimus, quod *diserte ad Scripturam provocet*, eadem phrasi, qua in manifestis allegationibus uti solet; quodque uti per alia, ita & per hanc discipulorum fugam, Scriptura dicitur impleta esse Matth. XXVI. 56. 3) Quo jure GROTIVS finem Cap. XI. huc pertrahit; eodem, immo longe maiori jure nos provocamus ad ea loca in antecc. ubi falsis istis pastoribus opponitur verus ac unicus, pro triginta argenteis æstimandus Cap. XI. 4. 13. in qua descriptione cœcus sit oportet, qui Christum non videat.

x) Sola oppositio inter Pastorem *percutiendum* & oves *tantum dispergendas*, dissuadere debebat GROTIO istam interpretationem. In quonam prælio solus Dux percussus, & milites tantum dispersi fuerunt?

XXXI. ALLEGATUM. y)

MATTH. XXVII. 9. 10.

Τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ (Ἱερεμίου) τοῦ προφήτου λέγοντος, καὶ ἔλαβον τὰ τριάκοντα ἀργύρια, τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ· καὶ ἔδωκαν αὐτὰ εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, καθὰ συνέταξέ μοι Κύριος.

ZACH. XI. 12. 13. z)

וָאֹמַר אֲלֵיהֶם אִם־טוֹב בְּעֵינֵיכֶם הָבוּ שְׂכָרִי וְאִם־לֹא חֲדָלוּ וַיִּשְׁקְלוּ אֶת־שְׂכָרִי שְׁלֹשִׁים כָּסֶף׃
וַיֹּאמֶר יְהוָה אֵלַי הַשְׁלִיכֵהוּ אֶל־הַיּוֹצֵר אֶדֶר הַיְקָר אֲשֶׁר יָקַרְתִּי מֵעֲלֵיהֶם וָאֶקַּח שְׁלֹשִׁים הַכֶּסֶף
וָאַשְׁלִיךְ אֹתוֹ בֵּית יְהוָה אֶל־הַיּוֹצֵר׃

VERSIO LXX.

Καὶ ἐρῶ πρὸς αὐτούς· Εἰ καλὸν ἐνώπιον ὑμῶν ἐστι, δότε στήσαντες τὸν μισθόν μου, ἢ ἀπείπασθε· καὶ ἔστησαν τὸν μισθόν μου τριάκοντα ἀργυροῦς. Καὶ εἶπε Κύριος πρός με· κάθες αὐτοὺς εἰς τὸ χωνευτήριον, καὶ σκέψομαι αὐτό, εἰ δόκιμόν ἐστιν, ὃν τρόπον ἐδοκιμάσθην ὑπὲρ αὐτῶν. Καὶ ἔλαβον τοὺς τριάκοντα ἀργυροῦς, καὶ ἐνέβαλον αὐτοὺς εἰς οἶκον κυρίου εἰς τὸ χωνευτήριον.

§. I.

Duo sunt præcipuè in hoc Allegato, quæ crucem figunt Interpretibus: I.) quod tamquam abs IEREMIA dictum citetur, nec tamen, ubi in Jeremia exstet, commode ostendi possit, adeoque in ZACHARIA potius, ubi Cap. XI. 12. 13. legimus, quæ verbis Matthæi gemella sunt, quærendum videatur. II.) Quod nec hunc *Zachariae* locum *Textus Matthaei* exacte satis referre deprehendatur, instituta utriusque *collatione*. Habet ergo heic Crisis nostra, in quo se exerceat.

§. II.

y) Damus hocce Allegatum non ex MScto. sed ex Libello Academico à B. Viro 1759. in materiam publicæ Disputationis propositio. Subjectæ Textui notæ Eundem omnes Auctorem habent.

z) Liceat hic supponere, Allegatum hoc ex Zacharia petitum esse, quod infra probabitur. Neque ægre quis feret, quod in Textu græco Matthæi nomen Ἱερεμίου, per anticipationem quandam, parentheseos signis inclusimus, & indicta adhuc causa obelo quasi confiximus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0266
DFG

§. II.

Primum Dubium miram ſententiarum varietatem peperit, quas paſſim quidem apud Auctores reperias, ſed indigeſtas, ut adeo operæ pretium facturi ſimus, ſi in certum illas ordinem digeramus: I.) *mam Claſſem* Interpretum conſtituunt illi, qui Locum Matthæi *in mendo cubare* aſſerunt, quod eorum aliqui tribuunt 1) *ipſi Evangeliſtae*, eique *vel* a) *inſcio*, quod nimirum *per lapſum memoriae* Jeremiam pro Zacharia poſuerit, quæ ERASMI ROT. eſt ſententia [a]), nec non PHOTINIANORVM, ſed præ ceteris omnibus minime admittenda, α) quia Theopnevſtiæ Scriptorum N. T. inimica eſt, & injuria in officium Spiritus S. mnemonevticum, β) ſi ſtatuatur iſtud ἁμάρτημα non a Spiritu S. ſed a Scriptoribus ea in parte ſibi relictis ortum, ſequitur, S. Scripturam eſſe partim verbum DEI, partim verbum humanum, γ) ſi in uno alterove Scriptores SS. erraſſe admittitur, non poſſumus certi eſſe, quod non etiam in aliis labi potuerint ac lapſi ſint, atque ſic fides noſtra in lubrico ponitur. δ) Recte VITRINGA [b]) regerit: „Evangeliſtam ipſum memoriæ lapſu humanitus quid paſ„ ſum eſſe, nemo hic cum ratione ſtatuet; Evangeliſta enim hic non in „ transcurſu nominis alicujus Prophetæ facit mentionem, ſed ipſum „ Prophetæ locum & verba hic excerpit & recitat, quod facere non po„ tuit, niſi nomen Prophetæ ipſius, cujus hæc ſunt verba, ejusque Pro„ phetiæ argumentum & nexus illi verſata eſſent ob oculos; In argumen„ to hiſtorico, ubi ſimiles caſus diverſis acciderunt hominibus, vel mo„ rali, ubi ſententiæ ab aliis avulſæ ſeorſim ſubſiſtunt, facilius evenire „ poteſt, ut minus attentos memoria fallat, &c.„ b) *Conſcio* Evangeliſta, & poſtquam vel ipſe, vel monitus ab aliis animadvertiſſet, emendare tamen nolente, hoc erratum in ejus Evangelio manſiſſe, AUGUSTINUS [c]) ſtatuit, cauſam, cur emendare noluerit Matthæus, in eo quærens, quod exiſtimaverit, recordationi ſuæ, quæ S. Spiritu regebatur, non fruſtra occurriſſe aliud pro alio nomen Prophetæ, & Dominum ita ſcribi ab ipſo voluiſſe. Sed durum eſt dicere, quod non tantum permittente, ſed etiam volente Spiritu S. aliquod hiſtorice falſum fuerit inſertum;

a) In Annotationibus ad h. l. Tribuit quoque hanc ſententiam CALOVIUS in Bibl. Ill. ad h. l. PIGGIO & MELCH. CANO, *Pontificiis*, & C. M. PFAFFIUS *in Notis ad Matth.* NORT. KNACHTBVLLO; Quo jure autem HIERONYMO etiam & CALVINO tribuatur, me quidem fugit, cum neutrius verba id præ ſe ferant; De *Hieronymo* vid. §. ſq. & XII. Calvinus autem plus non dicit, quam quod *Hieremiæ nomen errore poſitum ſit pro Zacharia*, addens, *quomodo obrepſerit, ſe neſcire, nec anxie laborare.*

b) In Proleg. Comm. in Eſai p. 23. col. a.

c) De Conſenſu Evangeliſtarum L. 3. C. 7.

tum; unde miror, GLASSIUM d) & HVLSEMANNVM e) inter ſententias, quæ ſine erroris periculo adoptari poſſint, etiam hanc referre, quod Evangeliſtæ divina Providentia unius Prophetæ nomen pro alio occurrerit, ad innuendum, uno eodemque Spiritu Prophetas impulſos fuiſſe.

§. III.

Malunt itaque alii 2) à *Librariis* ſeu deſcriptoribus mendi originem repetere; Hi vero rurſum diverſas ineunt vias: Sunt a) qui contendant, Librarios *addendo* peccaſſe, & quidem vel *in ipſo Textu*, ubi indefinite a Matthæo ſcriptum fuerit: τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ Προφήτου, addendo nomen Jeremiæ, vel ſaltem *in margine*, unde poſtea in Textum irrepſerit. *Occaſionem* huic additioni in Textu, aut, quod malim, gloſſæ marginali præbere poterat *Scriptum aliquod Jeremiae apocryphum*, quale HIERONYMVS ad h. l. ſe legiſſe teſtatur, *Legi nuper*, inquiens, *in quodam hebraico Volumine, quod Nazarenae Sectae mihi Hebraeus obtulit, Hieremiae Apocryphum, in quo haec:* & acceperunt &c. *ad verbum ſcripta reperi.* Quemadmodum & ORIGENES ad h. l. vel Jeremiam pro Zacharia poſitum eſſe, vel ab Evangeliſta *ſecretam* reſpici *Jeremiae Scripturam* exiſtimat, ut adeo hunc quoque de *Apocryphis* Jeremiæ aliquid inaudiviſſe oporteat. Sed de his infra amplius dicendi locus erit, ubi devenerimus ad ſententiam eorum, qui non Librarium ſaltem, ſed Matthæum ipſum ex Apocrypho Jeremiæ hæc verba hauſiſſe ſuſpicantur. Quidquid ſit de *Occaſione* additi à Librario nominis Jeremiæ, α) magna ſane cum ſpecie aſſeritur, nomen Jeremiæ apud Matthæum *non adeo univerſali Codicum* ac *Verſionum conſenſu* gaudere, ac vulgo prætenditur; AUGUSTINUS jam teſtatur l. c. nomen Jeremiæ *non* fuiſſe *in omnibus Codicibus latinis* adſcriptum; quin & LYRANUS, LUC. BRUGENSIS ac TIRINUS ſuo adhuc tempore tales exſtitiſſe perhibent; Porro, GLOSSA ORDINARIA, *quidam Codices*, ait, *non habent*, per Hieremiam, *ſed tantum*, per Prophetam; ut adeo fraudi eſſe non debeat huic ſententiæ, quod *hodie* nonniſi unum Codicem Colbertinum 8. (qui tamen vetuſtiſſimas lectiones habere ſolet) f) ut ſibi faventem allegare queat. Omittit etiam nomen Prophetæ VERSIO SYRIACA g), PERSICA h) NEOGRÆCA, & CHALDAICUM EXEMPLAR apud BUXTORFIUM *de Vulg.* L. 2. p. 267. Si denique Eruditorum conſenſum deſideres, allegari poſſunt

d) Philol. S. p. 221.
e) In Tr. de V. & N. T. natura C. 9. §. 4.
f) Judice BENGELIO in App. Crit. p. 415.
g) Conf. de hac Vers. BENGELIUS c. l. p. 410. init.
h) Vid. ibid. ſub fin.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0268
DFG

sunt e Pontificiis, BARONIUS, IANSENIUS, MALDONATUS, SUAREZ, TIRINUS, & multi alii, e Reformatis CALVINUS, MUSCULUS, BEZA, PISCATOR, SCALIGER, BYNÆUS, CLERICUS, DODDRIDGE i), e Nostris, CENTURIATORES MAGDEBURGICI, FRANZIUS, GESNERUS, BARTHIUS, CALIXTUS, HÜLSEMANNUS, SEB. NIEMANNUS, THEOPH. ALETHÆUS (Laur. Müllerus) & B. Noster BENGELIUS, qui in App. Cr. p. 493. *glossam* ait, *plane redolet Jeremiae nomen, eamque vetustissimam, ex Apocryphis Jeremiae in Matthaeum illatam*, ac idem *in margine Textus* hanc lectionem, quae Ἱερεμίᾳ omittit, per signum β firmiorem declarat lectione recepta, licet non plane certam; Ceterum, quum β) aliqui hujus sententiae Patroni etiam provocant ad *consuetudinem* Matthaei, dicta prophetica citandi absque mentione certi alicujus Prophetae, nolim id cum fiducia urgere, quoniam loca opponi possunt haud pauca, ubi v. g. *Jesaias*, *Jeremias*, *Daniel*, expresse nominantur; *Objectio* omnium speciosissima haec est, quod Codices graeci longe plurimi, imo tantum non omnes, nec non Latini, paucis illis, quorum AUGUSTINUS meminit, exceptis, Jeremiae nomen exhibeant; Et maximum sane hi testes pondus haberent, si demonstrari solide posset, hanc prophetiam in Jeremia contineri; cum vero, ut postea patebit, frustra hoc tentaverint hactenus Eruditi, satius omnino est, unam voculam pro subposititia habere, quam Matthaei fidem in allegando suspectam reddere.

§. IV.

Pergimus b) ad eos, qui *immutando* Librarios peccasse statuunt, pro *Zacharia*, quem Matthaeus habuerit, scribentes *Jeremiam;* EUSEBIUS jam ita suspicatus est, k) & lectionem Ζαχαρίᾳ primigeniam fuisse BRENTIUS l) censet, nec non L. & A. OSIANDRI, & AEG. HUNNIUS; Ac sanè, si idoneis ex antiquitate testimoniis firmari posset haec suspicio, absque haesitatione amplectenda foret, cum verò praeter *Arabicum* aliquod *exemplar* apud BUKENTOPIUM l. c. & unum Codicem Colbertinum τὸ Ζαχαρίᾳ in nullo alio *Codice* aut *versione* legatur, neque etiam *Patrum* ullus hanc Prophetiam sub Zachariae nomine allegaverit, praestat utique prior sententia, quae Librarios *addendo* potius Jeremiae nomen, quam illud nomini Zachariae *substituendo*, adeoque *immutando* peccasse statuit.

i) In Paraphr. N. T. a Ven. F. E. RAMBACHIO germ. versa p. 472. n. 4.
k) Demonstr. Ev. L. X. C. 5.
l) Opp. T. V. f. 1504.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0269
DFG

§. V.

Sunt vero etiam c) qui eosdem *Scriptionis ſuae compendiis*, h. e. abbreviaturis, anſam corruptioni Textus dediſſe autumant; Atque huc pertinent α) ii, qui ſtatuunt, Librariorum aliquem vel in *Textu* Matthæi, vel in *margine* inveniſſe nomen abbreviatum Ζρια, ac per incuriam pro eo legiſſe nomen contractum Ιρια, vel etiam contractius, pro ζῆ, ἰᾶ, ſicque nomen Ἱερεμίας in Textum irrepſiſſe, cumque uni alterive Codici jam inhæreret hoc σφάλμα γραφικὸν, ita dein in alios iſtud propagatum fuiſſe, ut univerſis propemodum, indeque etiam verſionibus, inoleſceret, ita HUETIUS [m]), quem ſecuti ſunt CAMP. VITRINGA [n]), & C. M. PFAFFIUS [o]), qui tamen hanc ſententiam *in Notis ad Matth.* rurſus deſeruit. Habent ſcil. Eruditi, quæ opponant: א) mos per compendia ſcribendi recentioris ætatis eſt, quam lectio illa, Ἱερεμίας, quam antiquiſſimam eſſe, & *Origenis* ævo jam diſputandi anſam dediſſe, ſupra obſervavimus, nec a quoquam negatur. ב) Nonniſi rariſſime in nominibus propriis, iisque longe frequentiſſimis, v. g. Θεὸς, Ἰησᾶς, χριστὸς, adhibita fuit à deſcriptoribus N. T. Scriptio compendiaria, ſecus autem in iis, quæ rarius in N. T. occurrunt, qualia certe ſunt Jeremiæ & Zachariæ nomina. ג) Literarum Z & I, vel ζ & ι non tanta eſt affinitas, ut tam proclivis in iis permutandis lapſus ſit; Alia v. g. ratio eſt literarum A, Δ & Λ, Θ & O, Π & T, E & Σ [p]), Quum ד) aliqui etiam urgent *univerſalem Codicum conſenſum* in exhibendo Jeremiæ nomine, propter quem *univerſalis* etiam Textus S. *corruptio* admittenda foret, nimis illud liberaliter dictum eſſe, ſupra docuimus. β) Alia adhuc ratione ſcriptionem compendiariam in ſubſidium hic vocarunt ii, qui, ſuppoſito temerè, quod Matthæus ebraice ſcripſerit Evangelium ſuum, eundem hariolantur in Textu poſuiſſe ביד הנביא, *per manum Prophetae*, pro quo Librarius oſcitans poſtea legerit ביד הנביא, *per Jeremiam Prophetam*, unde tandem enatum ſit, quod hodie legimus: διὰ Ἱερεμίου τοῦ Προφήτου. Debemus hasce conjecturas ALEX. MORO [q]), & STEPH. MONACHIO [r]) (le Moyne). Sed jure deſideratur in hac ſententia, quod meris nitatur ſuppoſitis, nondum probatis & numquam probandis. Quis enim hacte-

m) Dem. Ev. Prop. IX. Cap. CXXV. p. m. 983.
n) In Proleg. Comm. ad Eſai. p. 23. ſ.
o) In Diſſ. Crit. de Var. N. T. Lect. p. 149. ſ.
p) Vid. CLERICI Ars Crit. P. III. S. I. C. VIII. & MILLII Nov. Teſt. ad h. l.
q) In Cauſa DEI p. 106.
r) In Diſſ. ad Jer. XXIII. 7. C. III. §. 14.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0270
DFG

hactenus evicit, Matthæum ebraice scripsisse Evangelium suum s)? & quis idoneis antiquitatis exemplis ostenderit umquam, solitos fuisse isto jam tempore Hebræos, ita decurtare nomina propria, ut duas tantum literas initiales, variis nominibus communes, ponerent?

§. IV.

Discussimus huc usque VI. Sententias, quæ I.mam Classem constituunt, & in quibus omnibus conceditur, mendum fuisse admissum vel ab Evangelista, vel a Librariis; Nunc progredimur ad II.dam *Classem*, quæ copiosius præ priori agmen ducit, & omne in hoc Textu Evangelistæ mendum, quod subesse aliis videtur, negat ac pernegat. Atque hic rursum mira se produnt sententiarum divortia; Quædam 1) *unum modo Prophetam* a Matthæo respici volunt, & *triplici* ratione nodi hujus solutionem tentant: a) attendendo ad *Modum citandi*, quo Matthæus utitur; Observantes nimirum, quod Matthæus non dicat, *quod scriptum est*, sed potius, *quod dictum est* per Jeremiam Prophetam, facillimam elabendi viam multi se reperisse existimant; Hinc enim α) quidam colligunt, Jeremiam *ore* primum hanc Prophetiam protulisse, *non* autem *literis consignasse*, Matthæum vero illam accepisse *vel* ex immediata inspiratione divina, *vel* per traditionem oralem, non scriptam, ad sua usque tempora conservatam, atque sic demum, divino nutu, Scripturæ commisisse; ita CALOVIUS in Bibl. Ill. ad h. l. Matth. qui ὁμόψηφον sibi laudat KESSLERUM in diss. inaug. de Dictis Scripturæ in N. T. allegatis; quo vero jure HIERONYMUM quoque & ORIGENEM in partes vocet, non perspicimus, cum *ille* disertis verbis asserat, e Zacharia sibi videri desumtum esse hoc testimonium, *hic* autem dubius hæreat inter duas has sententias, *vel* Jeremiam ex errore pro Zacharia positum esse, *vel* ab Evangelista secretam respici Jeremiæ Scripturam; GERH. IO. VOSSIUM itidem alii iis potius accensent, qui in solvendo hoc nodo ad διωνυμίαν Zachariæ confugiunt t); E nostris suam fecit hanc sententiam B. JO. AD. OSIANDER, in diss. ad h. l. A. 1742. habita? *Rationes* allegari video sequentes: ß) quia verba Matthæi aperte non *scriptionem* innuant, sed *dictionem* tantum; &, quamvis similes phrases interdum

s) Si vel maxime verum esset, quod Patrum haud pauci tradunt, de Evangelio Matthæi, ebraice primitus scripto, citius tamen crederem, eundem & *græce* illud, dictante Spiritu S. scripsisse, (quemadmodum v. g. Jeremias eandem Prophetiam *bis* scribere jussus fuit, C. XXXVI. 28.) quam quod hodie versionem tantum istius Evangelii habeamus, in qua Interpres de suo saltem addiderit interpretationem nominis יהושע. Matth. I. 23. coll. XXVII. 46.

t) Vid. JO. REINH. RUSII Harm. Ev. T. III. p. 1069.

dum etiam occurrant, cum *Scriptura* allegatur, hic tamen τὸ ῥηθὲν ſtricte adhibitum eſſe videatur, quoniam tale proferatur vaticinium, quod in omni V. T. nuspiam reperiatur; Sic CALOVIUS ratiocinatur c. l. ב) Quia modus hic loquendi alias quoque familiaris ſit Matthæo, ut ſcil. per τὸ ῥηθὲν intelligat *dictum Scripto contradiſtinctum*, e. g. Matth. II. 23. V. 21. 42. ג) Quia alibi quoque in N. T. non infrequentes ſint ejusmodi allegationes ex traditione orali profectæ, quorſum GROTIUS [u]) refert 1 Cor. II. 9. Eph. V. 14. Judæ ℣. 14. 15. ד) Quia generatim dubitari nequeat, Prophetas *plura dixiſſe*, quam *ſcripſiſſe*, per traditionem oralem demum ad poſterorum memoriam propaganda. ה) Quia nec ipſius Chriſti *Dicta & Facta* omnia ſcripto tradita ſint, Joh. XX. 30. XXI. 25. unde dictum Ejus ἄγραφον allegetur Act. XX. 35. & factum ἄγραφον 1 Cor. XV. 6. ו) Quia per hanc interpretationem retineatur nomen Jeremiæ, omnium prope Codicum, Verſionum ac Patrum conſenſu gaudens, & feliciſſime ſimul evitentur difficultates iſtæ, quæ conciliationem Matthæi cum Zacharia premant.

§. VII.

Aſt habent alii, quæ contra hæc argumenta excipiant: ad א) Reſponderi poteſt, *dici* non *probari*, quod τὸ ῥηθὲν h. l. non ut aliis in locis *tam late* accipiendum ſit, ut *ſcriptionem* quoque involvat, ſed *ſtricte* pro *non-ſcripto*; Saltem ratio allata, quod ſcil. vaticinium a Matthæo allegatum *nuspiam* in *V. T. legatur*, petit, quod eſt in principio: Legunt ſane id alii Zach. XI. 12. 13. Ad ב) R. negando, quod tam familiare ſit Matthæo, per ῥηθὲν intelligere dictum non-ſcriptum; Certe biga locorum id non evincit [x]); Eorum vero, quæ adducuntur, plane dispar eſt ratio, ita ut ab iſtis haud concludere liceat ad noſtrum. Matth. II. 23. tale allegatur oraculum, quod κατὰ ῥητὸν manifeſte nullibi in V. T. occurrit, in noſtro autem loco ejusmodi dictum, quod Zach. XI. ſcriptum reperiri, nemo negat, niſi cui Jeremiæ nomen, in fronte Allegati obvium, ita præſtrinxit oculos, ut, quod alii vident, videre nequeat. In altero loco Matth. V. τὸ ἐῤῥέθη plane non oracula divina in ſe ſpectata innuit, ſed traditiones judaicas, illorum ſenſum imminuentes atque obfuſcantes, quibus deinceps Chriſtus ſuam opponit interpretationem. Ad ג) R. 1) *negando* aſſertum quoad loca 1 Cor. II. 9. & Eph. V. 14. quæ GROTIUS absque ulla neceſſi-

u) In notis ad hunc Matth. loc.

x) Et eo minus quidem, quo plura in contrarium produci poſſunt loca, ubi ipſe etiam Matthæus τὸ ῥηθὲν uſurpat de vaticiniis *Scriptis*, e. g. Matth. I. 22. II. 17. III. 3. IV. 14. VIII. 17. XII. 17. XIII. 35. XXI. 4.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0272
DFG

ceſſitate e turbido Traditionis oralis fonte derivat, cum in Eſaia reperiantur. 2) *Concedendo* illud tantiſper quoad locum Judæ, ſed negando conſequentiam; Magna ſane differentia intercedit inter *Enochi* vaticinium ab Apoſtolo Juda, & *Jeremiae*, a Matthæo citatum: *illud* fruſtra quæritur in univerſo V. T. *hoc*, ſi Jeremias quærentem fruſtretur, in alio Libro V. T. canonico, ſcil. Zacharia, reperiri poteſt, adeoque hic non æque, ac ibi, neceſſitas nos compellit, ut ad aſylum Traditionis non-ſcriptæ confugiamus. Ad ר) R. concedi poſſe, quod Prophetæ plura dixerint, quam ſcripſerint, ſed juſtiſſimum quoque Poſtulatum eſſe, ut Interpretes ad dictum non-ſcriptum prius ſe non recipiant, quam evictum ſit, in toto V. T. nil hujusmodi ſcriptum exſtare. Ad ה) eadem recurrit reſponſio. Ad ו) regeri poteſt, 1) *nimis exaggerari commoda* hujus ſententiæ, *incommoda* vero *nimis* extenuari; a) *commodum* eſt in illa, quod retineat nomen Jeremiæ, tot teſtium ſuffragio munitum, ſed *exaggeratur* illud, quando unicus modo Codex, Colb. 8. diſſentire dicitur, cum plures in contrarium teſtes ſuppetant, uti ſupra docuimus e BENGELII Apparatu critico. b) *incommodum*, quod eandem premit, præcipue hoc eſt, quod locum Zach. XI. cujus cum noſtro convenientia magna certe, ſi non omnimoda, eſt, plane diſſimulat, ac ſi nihil horum, quæ Matthæus adducit, ullibi in V. T. ſcriptum reperiatur; Hoc incommodum vero *extenuatur*, dum potius inter prærogativas ejus refertur, quod abſtrahat a Zacharia ץ). 2) Contra nimis *exaggerantur incommoda* alterius ſententiæ, quæ Matthæum, nomine Jeremiæ omiſſo, Zachariam reſpicere ſtatuit, ejusdem vero *commoda* nimis *extenuantur*. 4) *Incommodum* eſt in ea, quod Matthæi locus a Zachariano nonnihil diſcrepat, ac propterea conciliatione opus eſt, ſed nimis *exaggeratur* illud, ac ſi tam difficilis eſſet conciliatio; Contrarium infra demonſtrabitur. Certe, ſi Zacharias ideo hic deſerendus eſt, quia verba illius non ſine labore cum Matthæi verbis conciliari poſſunt, quam plurima N. T. Allegata ex eadem cauſa e Traditione potius, quam e V. T. derivanda erunt. b) Commendabile eſt in eadem, quod nil intentatum relinquit, ut Prophetiam a Matthæo citatam in V. T. inveniat, id vero ſusque deque habetur, dum ex altera parte, nulla urgente neceſſitate, ad Traditionem recurritur.

§. VIII.

Sunt proinde β) etiam inter eos, qui oraculum citatum a Jeremia oretenus ſaltem prolatum eſſe ſtatuunt, haud pauci, qui *Zachariam* tamen *exclu-*

ץ) Vid. cit. diſſ. Oſiandrina p. 23.

excluſum nolunt; Exiſtimant nimirum, Jeremiam hoc vaticinium primitus quidem dixiſſe ſaltem, non ſcripſiſſe, *Zachariam* vero, per Traditionem illud acceptum, *in literas retuliſſe*, quod deinde Matthæus ita allegaverit, ut *primum* potius *Autorem* ejus nominaret, quam *Scriptorem*. Quomodo autem Zacharias a Jeremia iſtud acceperit, diſſentiunt; α) In mentem aliquibus venit, *Zachariam* vixiſſe in *diſciplina Jeremiae*, atque ſic ex ore ejus hauſiſſe hoc vaticinium, poſtea vero, cum ipſe prophetaret, Prophetiæ ſuæ inſeruiſſe: ita RAVANELLUS in Biblioth. ſub voce: *Jeremias*. Cum autem nulla idonea ratione probari queat, Zachariam unquam Jeremiæ diſcipulum fuiſſe, ſpecioſius alii β) ita rationes ſuas inſtituunt, ut dicant, quemadmodum generatim in Scriptis Prophetarum V. T. obſervetur, *Veterum Prophetarum* verbis uti ſolitos eſſe *Prophetas poſteriores*, ita ſpeciatim *Zachariam* imitari ſolere locutiones *Jeremiae*, ceu doceat collatio Zach. I. 4. cum Jer. VIII. 11. XXXV. 15. Zach. I. 6. cum Thren. Jer. II. 17. Zach. III. 8. cum Jerem. XXIII. 5. unde & Judæis in proverbio fuerit, *Spiritum Jeremiae* fuiſſe in *Zacharia*; Haud itaque mirum eſſe, ſi & hoc oraculum de XXX. Siclis, ore primum ab Jeremia editum, hominumque memoria conſervatum, Zacharias repetierit, atque Scripto ad poſteritatem propagaverit. Ita GROTIUS in Annott. ad Matth. cui adſtipulatur HAMMONDUS ad h. l. & e Noſtris SAL. DEYLINGIUS [z]), JO. REINH. RUSIUS [a]), nec alienus eſt l. c. WOLFIUS [b]). Nos ad hæc ſequentia monemus, 1) quæ primo loco poſuit GROTIUS, admitti poſſe, ſi hæc ipſi mens ſit, quod idem omnis Scripturæ S. Autor, Spiritus S. ſimilia quandoque diverſis Prophetis inſpiraverit, & per unum dicta, per alterum repetierit, eo fine, ut alter alteri hoc modo teſtimonium præberet, & Scripturæ S. harmonia ſ. concentus eo magis eluceſceret; Si autem id velit, quod unus alterum exſcripſerit, & mere humano more imitatus ſit, cogitata ejus merito repudiamus. 2) Aliena plane ſunt, quæ de Zacharia, Jeremiæ imitatore, dicit, cum loca adducta omnia, ſi multum largiamur, hoc ſaltem probent, quod ille ſæpius Jeremiæ locutiones, in Scriptis ejus occurrentes, ſuas fecerit, non vero, quod etiam dicta ejusdem ἄγραφα & ἀνέκδοτα prophetiæ ſuæ inſeruerit. 3) Fatemur, ſuperare noſtram fidem, quod Matthæus, e ſcripta licet Prophetia verba quædam adducens, alium tamen eorum Autorem, de quo nonniſi ex Traditione quadam conſtabat, allegaverit. Major absque dubio inerat vis convincendi priori allegandi modo, quam poſteriori, *iſtum* igitur ſectatum fuiſſe Evangeliſtam, quis dubitet? 4) Zachariæ librum Viſiones ac Prophe-

z) Obſerv. SS. P. I. p. 191. §. XII.

a) Harm. Ev. T. III. p. 1071. b) In Cur. ad h. l. p. 395.

phetias, non ab altero auditas, sed ipsimet oblatas ac inspiratas, complecti, non modo testatur introitus libri: *factum est verbum Jehovae ad Zachariam*, C. I. 1. sed etiam in ipso oraculo nostro C. XI. formula ista: *& dixit Jehova ad me*, quæ mox v. 15. recurrit.

§. IX.

At pergendum jam est b) ad eos, qui difficultati, qua laborat hoc Allegatum, remedium quærunt *in Citati Nomine*, hucque pertinent α) ii, qui *homonymiam* statuunt in appellatione Jeremiæ, ita ut per eum non intelligatur *secundus* inter IV. Prophetas *majores*, filius *Chilkiae*, qui *Josiae* tempore prophetare cœpit, Jer. I. 1. 2. sed *undecimus* inter Prophetas *minores*, filius *Berechiae*, qui *&* Zacharias *&* Jeremias dictus, adeoque *binominis* fuerit, ac post captivitatem Babylonicam prophetaverit; Hanc solutionem ceteris præfert THEOD. THUMMIUS c), TARNOVIUS d), BALDUINUS e), AFFELMANNUS f), SEB. SCHMIDIUS g), GERH. JO. VOSSIUS h), FR. JUNIUS i), FRANC. GOMARUS k). Rationes pro hac sententia huc fere redeunt: א) Quia *uni* personæ haud raro in S. Scriptura tam V. quam N. T. *duo* vel *plura* imposita leguntur *nomina*; Exempla dabit GLASSIUS l). ב) Licet Zachariæ alterum nomen, nempe *Jeremiae*, in V. T. nullibi ipsi tribuatur, inde tamen non sequitur, eo caruisse, aut vulgo etiam id non fuisse traditione notum, & a Spiritu S. h. l. libero delectu nominis positum; neque ג) homonymia, quasi erroris periculum esset, hic objici potest, quia verba, Jeremiæ hic attributa, cum non sint ex altero Jeremia, sed ex Zacharia desumta, eundem satis indicant, & ab altero Jeremia; Propheta majore, citra erroris periculum distinguunt. ד) In ipso N. T. imo Matthæo, habetur exemplum rei, quando Matth. XXIII. 35. Christus Zachariæ occisi patrem vocat *Barachiam*, qui tamen 2 Chron. XXIV. 21. appellatur *Jojada*; Sed regeri potest ad א) concedendo assertum, sed negando ejus consequentiam: non sequitur, hic vel ille in Scriptura duobus pluribusve nominibus insignitur, E. nil obstat, quo minus & Zachariam dicamus binominem fuisse; multo minus hæc valet conse-

c) Disquis. de Verbo Dei, Theor. I. p. 107.
d) In Zach. XI.
e) In Comm. ad Zach.
f) In Syntagm. P. II. p. 201.
g) In Diss. de Venditione Christi.
h) In Harm. Ev. L. II. C. III.
i) In Parallelis SS.
k) Opp. Theol. P. I. fol. 143.
l) Philol. S. L. IV. Tr. 3. obs. 12. p. 1318. ff.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0275
DFG

quentia: Scriptura S. unam eandemque hiſtoriam *de uno eodemque ſubjecto ſub diverſis nominibus* narrat, E. & Matthæus, oraculum, quod in Canone V. T. ſub nomine Zachariæ occurrit, allegare potuit ſub nomine Jeremiæ, quia forte is duo hæc nomina geſſit: nullo prorſus modo probabile eſt, Evangeliſtam nomen Prophetæ *notius & Canonicum* permutare voluiſſe cum nomine ejus *minus noto*, quodque Prophetiæ illius non præfixum eſt. Valet hoc poſterius etiam contra 2) arg. Sit ita, Zacharias dictus quoque fuerit Jeremias, largiamur inſuper, vulgo id traditione notum fuiſſe: an vero credibile eſt, Matthæum, e Scriptura V. T. argumentantem, nomen, quod V. T. ignorat, ac ſola traditione nititur, poſiturum fuiſſe præ nomine, quod citata Prophetia præ ſe fert in V. T? ad 3) κ. Homonymiæ periculum præter rem extenuari, ipſa hæc controverſia teſtis eſt, cum Jeremiæ nomen multos eo adegerit, ut, contra manifeſtam literæ evidentiam, allegatum vaticinium in Zacharia reperiri inficias iverint. Quum denique 4) urgetur locus Matth. XXIII. 35. qui cum altero illo 2 Chron. XXIV. 21. nonniſi admiſſa homonymia conciliari queat, recte in contrarium urgetur diverſitas illius loci a noſtro, quæ non permittit, ut ab uno ad alterum concludatur: 1) in *narratione hiſtorica*, quæ habetur Matth. c. I. difficultatem ex homonymia ortam abſorbet quaſi exacta omnium circumſtantiarum harmonia; heic vero multis illa occaſionem præbuit, in Jeremia quærendi hoc vaticinium, ubi diverſis in locis ſimilia quædam reperiuntur. 2) Matth. XXIII. de nulla impletione alicujus Prophetiæ ſermo eſt, quemadmodum hic, ubi Matthæus totus in eo eſt, ut ex impletis in JESU NAZARENO vaticiniis ſummum hunc fidei articulum, quod Ipſe ſit verus Meſſias, demonſtret, unde & citationi hanc formulam præmittit: *tunc impletum eſt dictum per Prophetam.* 3) Zachariæ illius 2 Chron. XXIV. patrem πολυώνυμον fuiſſe, LIGHTFOOTUS [m]) deprehendiſſe ſibi viſus eſt *partim* in Chaldæo Paraphraſta, qui ad Thren. II. 20. filium *Iddo* eundem appellet, *partim* Eſaj. VIII. 2. ubi hic ipſe Zacharias filius *Berechjah* audiat, & ſi recte vidit, [n]) omnino manifeſta eſt differentia inter locum Matth. XXIII. & Matth. XXVII. Quoad *illum* non deeſſent hoc modo veſtigia, quæ *Jojadam* in L. Chron. arguerent πολυώνυμον fuiſſe, aſt quoad *hunc* nullum in omni Antiquitate indicium deprehenditur, quod Zacharias Propheta διώνυμος fuerit, ut adeo prætenſa iſta homonymia non poſſit non hac in cauſa pro mero effugio haberi.

§. X.

m) In Hor. Ebr. ad Matth. XXIII. 35.

n) VITRINGÆ certe non probatur expoſitio Lightfootiana loci Eſ. VIII. 2. vid. Comm. in Eſ. P. I. p. m. 205. col. a.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0276
DFG

§. X.

Aliam proinde β) viam inivit laudatus modo LIGHTFOOTUS o), existimans, *Jeremiam* in hoc Matth. loco stare *non pro se*, sed *pro toto Prophetarum choro*, ideo quod primum is locum occupaverit olim in ordine Prophetarum, indeque nominetur pro altera V. T. parte tota, ita, ut verba abs Matthæo allegata *proxime* quidem ac *proprie Zachariae* sint, unius ex ordine נביאים, sed tamen & sub *Jeremiae* nomine citari potuerint, qui apud veteres Judæos primum in Volumine Prophetarum locum tenuerit. Mirum est, quam certatim hanc *Viri* sententiam amplexi sint Eruditi, e quibus nominasse jam sufficiat SAUBERTUM p), SURENHUSIUM q), OPITIUM r), MICHAELEM s), WOLFBURGIUM t), CARPZOVIUM u), WOLFIUM x). *Rationes* sunt sequentes: α) quia negari nequit, Judæos quondam hoc ordine Prophetas disposuisse, ut Jeremias *primum* locum obtineret; ita sane legitur *in Codice Talmud. Bava Bathra*: „ Ordo Prophetarum hic est: Liber Josuæ, Judicum, Samuelis, Regum, *Jeremiae*, Ezechielis, Esaiæ, & duodecim. „ cujus ordinis ratio paullo post hæc redditur: „ Cum tempore præcesserit Esaias Jeremiam atque Ezechielem, præponendus quidem de jure esset Esaias, sed cum Liber Regum terminetur in Excidio Urbis & Templi, ac Jeremias totus agat de Excidio, cumque initium Ezechielis itidem sit de Excidio, & desinat in consolatione, totus vero Esaias in consolando versetur, conjunxerunt Rabbini nostri *desolationem* cum *desolatione*, h. e. libros de Excidio agentes, nempe Librum Regum, ac Jeremiæ, & Ezechielis initium, similiterque *consolationem* cum *consolatione*, h. e. libros de consolatione agentes, Ezechielem scil. quoad finem, & Esaiam y). „ Accedit, e Judæis quoque eundem cum Talmudistis ordinem servare MAIMONIDEM, *in Hilcot Thephillim* C. 7. §. 15. & alibi. Fidem etiam rei faciunt *Codices* nonnulli *Manuscripti*, hodienum superstites, in quibus pariter Jeremias *primus* incedit, v. g. *Masora manuscripta* Bibliothecæ Palatinæ, teste BUXTORFIO z), porro, duo *Codices Erfurten-*

o) In Hor. Ebr. ad Matth. XXVII. 9. p. m. 488.
p) In Palæstra Theol. Philol. p. 366.
q) In βιβλῳ κατακλ. p. 291. f.
r) In pec. diss. de Jeremia inter majores Prophetas primo.
s) In diss. de Codicibus Bibliorum MSctis.
t) In Observ. SS. ad N. T. p. 511.
u) In Crit. S. p. 137. 856. & in Introd. ad LL. V. T. P. III. C. III. §. 1. p. 127.
x) In Curis p. 395.
y) Vid. LIGHTFOOT. loc. supra cit.
z) In Comm. Mascr. C. XI. p. 26.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0277
DFG

furtenſes, & unus *Regius Berolinenſis*, quos a ſe inſpectos laudat OPITIUS l. c. 2) dum argumentum inveniſſe ſibi videtur LIGHTFOOTUS Matth. XVI. 14. ubi præ omnibus aliis Prophetis nominetur *Jeremias*, hanc ipſam ob cauſam, quia primas tenuerit in Syntagmate Prophetarum. 3) tium illi ſuppeditat locus Luc. XXIV. 44. ubi *Pſalmos* nominari putat pro *integro Hagiographorum libro*, ex eadem ratione, quia ſcil. inter *Ketubhim* primum locum obtinuerit Liber Pſalmorum.

§. XI

Enimvero *rationes* has non eſſe omni exceptione majores, facile oſtendi poteſt. א) Ad palmarium LIGHTFOOTI argumentum Cel. VITRINGA, DEYLINGIUS, RUSIUS [a]), aliique, ſeqq. regerunt: 1) Quidquid ſit de *Traditione* iſta *Talmudica*, & *cauſis* ejusdem (in quas diligenter inquirit VITRINGA c. l. p. 20. ſ.) ordo ſane ille Prophetarum, qui Jeremiam *primum* facit, nec antiquiſſimus fuit, nec conſtans & perpetuus; Semper hac in re diſſidium fuit inter Codices Maſorethicos & Talmudicos; Verſio LXX. vir. Eſaiæ primas defert inter Prophetas, & ſic omnes LL. Sacrorum Catalogi inde a primordiis Eccleſiæ Chriſtianæ, v.g. MELITONIS Sardenſis & ORIGENIS [b]). Ordinem vero *Talmudicum*, ELIA LEVITA teſte [c]) Doctores quidem judaici in *Germania* & *Gallia* ſuum fecere, ſed *Hiſpani* Maſorethas ſecuti ſunt, Prophetas ſecundum *ordinem temporis* locantes, adeoque Eſaiam primo loco ponentes; Quin ipſe etiam KIMCHI & ABARBANEL ordinem iſtum Talmudicum vehementer impugnant [d]). Gratis ergo ſupponit LIGHTFOOTUS, ordinem Talmudicum Chriſti jam ætate ab univerſa Eccleſia Judaica receptum fuiſſe. 2) Vel maxime fallit conſequentia LIGHTFOOTI, quum ex eo, quod Jeremias *primus* fuerit in ordine Prophetarum, adeoque reliquos omnes complecti viſus fit, colligit, nomen ejus ſupponi potuiſſe alterius cujusdam nomini; Largiamur, Evangeliſtam, implementum alicujus facti vel eventus, *de quo omnes vel plerique Prophetae vaticinati eſſent*, demonſtraturum, omnium loco allegare potuiſſe Prophetæ illius nomen, qui in Librorum illius generis frontiſpicio comparebat, num inde ſequitur. E. & Matthæus, in ſpe-

a) In Proleg. Comm. ad Eſai. p. 22. ſ. conf. DEYLINGIUS Obſſ SS. P. I. p. 190. ſ. §. IX. X. RUSIUS H. E. T. III. p. 1070.

b) Apud EUSEBIUM, H. E. L. IV. C. 26. L. VI. C. 25.

c) In Præf. III. Libri Maſoreth hammaſoreth, f. 19.

d) Vid. CARPZOV. l. c. p. 127. & FRISCHMUTH. in diſſ. ad vaticinium Zach. XI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0278
DFG

ſpeciali argumento verſatus, de quo *unus* tantum Prophetarum, Zacharias, ſcriptum aliquod reliquit, ceteri verbum nullum meminerunt, neglecto hujus Prophetæ nomine, appellare potuit Jeremiam, hoc ſolum argumento, quod hic primo in claſſe Prophetarum loco poſitus eſt? Non putem. Quis enim a) ferat hodie v. g. Libro Exodi vel Deuteronomii, vel ex Libris Samuelis aut Regum aliquid allegantem, ſub formula: Scriptum eſt in Geneſi, ſcriptum eſt in Joſua, eapropter tantum, quia primus eſt *ille* librorum *legalium*, *hic* Prophetarum hiſtoricorum? b) Prophetarum majorum libri ſeparatis conſtiterunt voluminibus c), nec potuit eorum qualiscumque conjunctio, ſi in unum compingerentur, argumento eſſe, ut alterius nomen pro altero uſurparetur; Imo, cum *Hoſeas* principem inter XII. Prophetas, in unum volumen digeſtos, locum obtinuerit, ferendus tamen non eſſet, qui, in citando qualicumque Propheta illius ordinis alio, *Hoſeae* nomen appellaret loco Joëlis, Amoſi, Malachiæ &c. quantominus *Jeremiae*, inter quem & Zachariam major eſt disjunctio? c) Quis, re diligenter animadverſa, ſerio ſibi perſuadeat, Evangeliſtam, Prophetæ nomen expreſſurum, cum eadem opera *Zachariam* ſcribere vel dictare poſſet, cujus nim. verba allegabat, nomen *Jeremiae*, absque ulla ratione, nulla urgente neceſſitate, absque ſuo & aliorum Scriptorum exemplo, illi voluiſſe ſubſtituere? Certe non eſt illud e Scriptorum SS. more, nec prudentium hominum, ut citra neceſſitatem paradoxi ſint. d) Alieniſſimum hoc eſſe a conſuetudine Scriptorum N. T. ex eo patet, quod ex Prophetis aliquid citaturi ſemper vel *Prophetas in genere*, vel *eum* præciſe *Prophetam* nominant, cujus eſt dictum illud, v. g. Eſaiam, Matth. III. 3. Jeremiam, Matth. II. 17. Danielem, Matth. XXIV. 15. e) Quod locum attinet, quem ex Matth. XVI. 14. in partes vocat LIGHFOOTUS, is plane non probat, quod probandum erat, neque enim Jeremias hic præ aliis Prophetis appellatur, quia *primus* erat in volumine Prophetarum, ſed alias plane ſubfuiſſe cauſas, cur Judæi Chriſtum pro Jeremia haberent, VITRINGA docet c. l. p. 22. &, ſi Jeremias loco omnium Prophetarum hic poneretur, non addidiſſent diſcipuli: ἢ ἕνα τῶν Προφητῶν· f) Locus Luc. XXIV. 44. itidem non favet LIGHTFOOTO; Recte enim g) obſervat VITRINGA, eosdem illos Doctores Talmudicos, qui ex antiqua traditione Jeremiam inter Prophetas primum faciant, in eodem Codice Bava Bathra, *Pſalmis* non dare primum in Hagiographis locum, quod heic ſupponit LIGHTFOOTUS

c) Ceu inter alia patet ex Luc. IV. 17. ubi Chriſto in Synagoga *Prophetæ Eſaiæ Volumen* traditum fuiſſe dicitur, non Codex Prophetarum, & biblicus integer. vid. CARPZOV. Introd. P. III. p. 90.

TUS, sed *secundum*, præmittentes librum Ruth. 2) Supponitur etiam, non probatur, Psalmos h. l. poni pro toto Hagiographorum volumine, cum potius ideo solus ex isto Psalmorum liber allegetur, quia pleraque alia Hagiographa sunt moralis & historici argumenti, is vero plurima & luculentissima de Christi Passione, Morte ac Resurrectione vaticinia continet. Atque sic constare jam putem, in LIGHTFOOTI cogitatis jure desiderari soliditatem. Addere jam eidem classi, quæ in Citati nomine quærit, quod ad solutionem nodi faciat, possemus γ) eos, quorum FR. IUNIUS *in Parall. SS. ad h. l.* meminit, quod nim. existimaverint, Evangelistam, citando Jeremiam, respexisse ad illam Judæorum opinionem, quod *vel* ipse Jeremias ex Ægypto tandem ad populum reducem venerit, *assumto Zachariae nomine*, *vel* per μετεμψύχωσιν in Zachariam transmigraverit, quo pertineat, quod 2 Macc. XV, 13. seq. & Matth. XVI. 14. legatur. Sed hæc recensuisse est refutasse.

§. XII.

Pedem itaque proferimus c) ad istam Interpretum IIdæ Classis Partem, quæ *citatum Textum* in *solo* Jeremia vel *exstitisse* vel hodienum *exstare* contendit. Quidam α) *exstitisse* illum aliquando perhibent ν) in libro quodam Jeremiæ nunc *deperdito*, unde Matthæus istum hic citaverit; Hunc vero librum deperditum rursus quidam 1) pro *divino* & *canonico* habent, id enim omnes statuant necesse est, qui librum hunc deperditum cum aliis similibus pro argumento allegant contra *integritatem* S. Scripturæ [f]); sed hanc sententiam pridem ex Ecclesia proscripsit pietas, ac reverentia Verbo DEI debita; alii itaque intelligunt 2) *divinum* quidem, sed *non canonicum* [g]), quæ quidem assertio priori longe est tolerabilior, sed tamen & ipsa mera *fictione* nititur; Rursum alii 3) librum *apocryphum*, licet difficile dictu sit, quid per *apocryphum* singuli intellexerint, an librum vere ab Jeremia scriptum, quamquam nec θεόπνευστον, nec canonicum, an plane suppositium? Ex Apocrypho certe Matthæum hæc verba sumsisse opinati sunt ISIDORUS CLARIUS [h]), NIC. ZEGERUS [i]) quibus WOLFIUS *in Curis ad h. l.* adjungit COLOMESIUM & FRANC. TURRIANUM, huncque ad ἀναγραφὰς Jeremiæ, de quibus 2 Macc. II. 13. sermo

f) Vid. SALMERON, Opp. T. X. tr. 25. & CORN. A LAPIDE ad Jer. XXXII. 14.
g) Vid. C. M. PFAFFIUS in Notis ad Matth. p. 201. in fine, qui tamen & Zachariam non excluſum vult, ibid. p. 202.
h) In Crit. Angl. T. VI. p. 824.
i) Ibid. p. 825.

mo sit, provocare ait k); Reliqui omnes ORIGENIS & HIERONYMI auctoritate se tuentur, quorum *ille* vel Jeremiam pro Zacharia ex errore positum esse, vel ab Evangelista *secretam* Jeremiæ *Scripturam*, h. e. apocryphum se vidisse, atque citata abs Matthæo verba in eo reperisse testatur. Huic sententiæ a Viris Doctissimis sequentia opponi video: a) Suspicio videtur suspicione depelli posse; HUETIUS certe l), Apocryphum, ait, Jeremiæ, *Hieronymo* communicatum, haud scio, an post Matthæum fuerit suppositum, & ad fidem ipsi faciendam confictum, ac Ebræis deinde obtrusum? quam vero suspicionem nostram haud facimus. Melius se habet b) altera *Huetii* responsio, quod Hieronymus ipse, non obstante αὐτοψίᾳ, huic apocrypho non multum se tribuere profiteatur, dum asserat, dictum hoc sibi magis e Zacharia videri desumtum esse. c) *Origenes* ne habuit quidem, quod alleget, apocryphum, sed nudam de secreta aliqua Jeremiæ Scriptura conjecturam profert, fluctuans ceterum inter hanc & aliam quandam. d) Vel maxime obstat huic sententiæ, quod non credibile est, Scriptorem θεόπνευστον allegare voluisse apocryphum, præsertim in demonstranda veritate hac palmaria, quod Jesus Naz. sit prædictus ille a Prophetis Messias; Secus enim se res habet, 1) ubi Paulus, in doctrina morum versans, ad quædam *Gentilium dicta* provocat, & κατ' ἄνθρωπον saltem ista allegat; Quis in hoc casu umquam ab eo hanc præfationem audivit: *tunc impletum est*, quod ab hoc illove Scriptorum vestrorum dictum est? 2) In *nudis historiis* recensendis Scriptores N. T. alicubi quidem accidentalia quædam in LL. Canonicis haud exstantia, addere videmus, vel ex traditione, vel ex LL. apocryphis, vel ex immediata inspiratione divina, sed in probando *fidei articulo* ad incertas atque ab Ecclesia non receptas Scripturas provocare, ipsis plane insolitum est.

§. XIII.

Quodsi autem, per hactenus disputata, dictum a Matth. citatum non e Libro quodam Jeremiæ deperdito haustum fuit, forte 3) *exstitit* illud

k) Cit. loco in Græco LL. Maccabaicorum Textu Edit. Breiting. lego quidem de ἀναγραφῆς κατὰ τὸν Νεμίαν, nil vero de ἀναγραφῆς Jeremiæ; forsan E. respicitur vers. 1. ejusdem Cap. ἐυρίσκεται δὲ ἐν ταῖς ἀπογραφαῖς Ἱερεμίας ὁ προφήτης, ὅτι ἐκέλευσε, κ. τ. λ. hæc vero non de ἀναγραφαῖς *Jeremiæ ipsius*, sed talibus, in quibus de Jeremia narretur, accipienda esse, recte WOLFIUS monet c. l. nec non I. C. FABRICIUS in Cod. Pseudogr. V. T. p. 1105.

l) Demonstr. Evang. p. m. 983.

lud olim in Libro ejus *hodienum superstite*, sed ita, ut vel *expunctum* postea fuerit Judæorum malitia, vel eorundem fraude e Libro Jeremiæ in Prophetiam Zachariæ *translocatum*. 1) *Prior* conjectura de sacrilega Judæorum manu, Libro Jeremiæ vim inferente, EUSEBIO jam in mentem venit, infer duas suspiciones etiam hanc proferenti, verba hæc forsan (cum tamquam Jeremiæ citentur, nec tamen in Jeremiæ Prophetia legantur) περιηρησθαι εξ αυτης κατα τινα ραδιουργιαν, per quandam malitiam ex illa sublatam esse [m]; Enimvero a) non est verosimile, Judæos, odio Jesu Nazareni flagrantes, hunc locum erasisse, plura vero alia, eaque illustriora, & quæ principalioribus adhuc dogmatibus firmandis inserviunt, intacta reliquisse. b) Commentum illud de corruptione S. Codicis per Judæos, a Pontificiis recoctum, pridem a Nostris profligatum est [n]. Nostri certe Textus e Jeremiæ libro exilium non demum post *Hieronymi* ætatem, quod tempus alias *Pontificii* corruptioni Codicis S. adsignare solent, contingere potuisse, ex eo liquet, quod antiquiores *Hieronymo* Doctores Ecclesiæ, & cum ipso coævi ejus, jam testantur, frustra se Textum, prout a Matthæo allegatur, in Jeremiæ libro quæsivisse. Non melius 2) suos calculos subducunt ii, qui oraculum nostrum non quidem ex Jeremiæ libro plane erasum, sed tamen ex eo in Zachariæ Prophetiam *dolose translatum* fuisse suspicantur. WHISTONUM præcipue innuo, qui [o]) contendit, tam hoc, quam alia nonnulla vaticinia, non solum Jeremiæ esse, sed & Sec. I. post C. N. in Jeremiæ volumine lecta, at Judæorum fraude in Zachariam translata fuisse; Quousque vero viam illi præiverit IOS. MEDE, statuendo, Capita quædam Zachariæ *non hunc Prophetam*, sed *Jeremiam Auctorem* habere, quæ proinde Spiritus S. per Matthæum genuino suo autori vindicare voluerit, apud WOLFIUM videre est [p]). Recte vero respondetur: a) fingi non probari illam, Sec. II.

m) Locus integer in EUSEBII Dem. Ev. L. X. sic habet: ἔνθα καὶ ἐπισκέψεως, ἐπὰ μὴ ταῦτα φέρεται ἐν τῇ τῶ Ἱερεμίᾳ προφητείᾳ, εἴτε χρὴ ὑπονοῆν, περιῃρῆθαι μύτὰ ἐξ αὐτῆς κατὰ τινὰ ῥαδιουργίαν, ἢ καὶ σφάλμα γραφικὸν γεγονέναι, τῶν ἀμελέτερον, τὰ τῶν ἱερῶν εὐαγγελίων ἀντίγραφα πεποιημένων, σφαλέντος τινὸς, ἀντὶ μὲν τῦ Ζαχαρίᾳ Ἱερεμίαν τεθεικότος.

n) Vid. e multis GLASII Philol. S. p. 15. sqq. CALOVII Criticus S. p. 401. sq. I. I. RAMBACHII Inst. Herm. S. p. 30. sq. conf. I. G. CARPZOVII Crit. S. p. 111. 966. sqq.

o) *In Conatu restituendi genuinum V. T. Textum, & vindicandi citationes inde in N. T. factas*, p. 91.

p) In Cur. p. 394. ubi & HAMMONDUM, KIDDERUM, BRIDGIUM, MEDI sententiam amplexos esse memorat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0282
DFG

II. initio factam, corruptionem Codicis S. q). b) Si aliena quædam intrusa fuissent in Textum Zachariæ, male ista cohærere ostendi posset e contextu, id vero ostendi nequit; Contrarium docent *Analyses* hujus Prophetiæ, quas Interpretes dederunt r). c) Quum ad *Constitutiones apostolicas* provocatur, quæ pariter L. II. C. 53. locum aliquem sub nomine *Jeremiæ* allegent, qui hodie nonnisi apud *Zachariam* legatur C. VIII. 17. bene obvertitur, Constitutiones istas non ejus esse auctoritatis, quæ a sede sua pericopas Scripturæ deturbare, aut ordinem textuum, ut Sec. I. se habuerit, demonstrare valeat; dicendum potius, lapsum esse auctorem illarum, Jeremiæ tribuendo, quæ apud Zachariam leguntur s).

§. XIV.

Sequitur, ut β) eorum jam quoque sententias examinemus, qui oraculum nostrum *hodienum in Jeremia exstare* adfirmant, studiose hunc in finem conquirentes ex Jeremia, quidquid vel e longinquo cum citata abs Matthæo pericopa, & quidem non in toto suo complexu spectata, sed, si multum largiaris, cum aliqua saltem circumstantia ejus, etiam minima, convenire videtur. Sunt 1) qui digitum intendi putant, ad Jer. C. XVIII. 2. sqq. ubi Propheta *figuli* domum ingredi jubetur; cum vero præter nomen *figuli* vix quidpiam adferri possit, quod in Evangelistæ scopum ac textum quadret, non est, cur expositioni huic immoremur. Verosimilius alii 2) provocant ad Jer. C. XXXII. cum enim Matthæum C. XXVII. 7. 8. 9. *emti agri & figuli & peregrinorum* mentionem facere audiunt, comparationem ab ipso institui putant cum Textu Jeremiæ, ubi pariter mentio fiat *emti agri* v. 9. *vasis figulini*, v. 14. & *peregrinorum*, in quorum potestatem urbs deventura esset, v. 28. 43. ac sane congruentia quædam, quoad has circumstantias, si in abstracto spectentur, extra contextum & scopum partim Jeremiæ partim Matthæi, negari nequit; Sed nec dissimulanda est insignis utriusque loci diversitas. Dissonat enim 1) agri utrinque emti *nomen* ac *pristinus possessor*: Ager, de quo *Matthaeus* loquitur, fuit & vocatus est *ager figuli*, cui proinde & pretium ab emtoribus solutum fuit, sed ager, quem Jeremias emit, numquam dictus fuit *ager figuli*, & pertinuit ad *Hanameelem*, patruelem vel consobrinum Prophetæ, adeoque Levitam & Sacerdotem. 2) *Emtor*, qui *heic* Propheta Jeremias erat, *ibi* vero Proceres Judaici. 3) *Situs*,

q) Vid. CARPZOVII Crit. S. P. III. C. IX. tot. p. 958. sqq.
r) Vid. e. g. BURKII Gnomon in XII. Proph. min. p. 590. sq.
s) Ita CARPZOV. Cr. S. p. 867.

tus, nam ager *Jeremiae* fuit in *Anathot*, urbe 3. milliaria ab Hierosolymis distante t), *Matthaei* autem *prope Jerusalem*, conf. Act. I, 19. 4) *Pretium*: Ager *Matthaei* emtus fuit 30 *argenteis*, *Jeremiae* vero 7. *siclis* ac 10. argenteis, sive, ut alii volunt, 7. ac 10. siclis argenteis. *Illud* pretium erat τιμὴ αἵματος, *pretium sanguinis*, *hoc* non item. 5) *Emtio*: *illa* jure protimiseos ob cognationem facta est a Propheta, *haec* non. 6) *Finis* ac *scopus* emtionis: apud *Jeremiam* emtus est ager in signum libertatis ex captivitate sperandæ, & restaurandæ post illam in Palæstina agrorum culturæ, Jer. XXXII. 15. 43. 44. apud *Matthaeum* autem in usum peregrinorum, & quidem in eorum *sepulturam*, adeoque non *vivorum*, quibus & Jeremiæ ager ad tempus cessit, sed *mortuorum*. E discrepantiis hisce patere omnino arbitramur, locum Jeremiæ non sine tortura pro eo haberi posse, quem Matthæus allegaverit, ac in emto 30. argenteis (pretio sanguinis Christi) agro, hujusque in sepulturam peregrinorum destinatione, *impletum* dixerit u).

§. XV.

Pensitatis hactenus (inde a §. VI.) sententiis, quæ *unum* modo Prophetam a Matthæo indigitari volunt, 2) *eos* etiam nunc audire par est, qui, cum *Zachariam* nimis aperte a Matthæo respici, ac tamen Jeremiam allegari viderent, *duorum pluriumve locorum* σύγχυσιν in hoc Allegato statuendam esse putarunt, ubi *Zachariam* quidem Matthæo in mente fuisse, omnes consentiunt, sed de Jeremia dissensus est, *quem* vel *quosnam* ejus locos respiciat Evangelista? Jeremiæ Cap. XVIII. huc non spectare, supra jam diximus; Sed præter hoc alia suppetunt Capita, quæ scopo melius inservire Viri Eruditi persuasum habent. a) DAN. HEINSIUS in Exerc. SS. Jeremiæ Cap. XIX. huc advocat, atque Matthæum ex hoc circumstantiam de *agro*, uti ex Zacharia circumstantiam de *pretio* XXX. argenteorum, sumsisse contendit, licentiosius simul, quam par erat, formulæ allegandi inserens copulam καὶ, ac si diceret Matthæus: διὰ Ἱερεμίου, καὶ τοῦ

t) Vid. VITRINGAE Comm. in Es. P. I. p. m. 292. col. b.

u) Oleum proin & operam perdidisse censendus est FRANC. WÖRGERUS, quando in Tr. sub tit. *Hakeldama*, probare sustinet, Matthæum plane non Zachariam respexisse, sed Jeremiam solum, ejusque C. XXXII. huncque in finem pro certo ponit, id, quod Evangelista *completum* scribat, esse instans toti Judææ fatale excidium, ita, ut ab hujus agri emtione paullo postea neque emendum esset quidquam terræ, nec vendendum, universa Palæstina sedibus romanis concessa, populoque judaico per totum terrarum orbem e terra illa sanguinis abducto: *Sic enim*, ait, *vere peregrinorum sepulturæ ager ab illis fuit deinceps omnis delegatus.* Quis non videt, adfingi hac ratione Matthæo *scopum*, de quo eumdem h. l. ne cogitasse quidem, totus contextus clamat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0284
DFG

τῦ Προφήτε, per Jeremiam & per Prophetam, h. e. *Zachariam*, quâ tamen violentia ne opus quidem habuiſſet, cum alias quoque Scriptores N. T. duorum pluriumve Prophetarum V. T. oracula, *quaſi unum*, citare ſoleant, *uno* tantùm nominato, e. g. Matth. XXI. 5. ex Eſaj. LXII. 11. & Zach. IX. 9. Matth. XXI. 13. ex Eſaj. LVI. 7. & Jer. VII. 11. Act. I. 20. ex Pſ. LXIX. 26. & CIX. 8. 1 Petr. II. 7. 8. ex Ps. CXVIII. 22. & Eſaj. VIII. 14. Nobis ſic videtur: haud mirum eſſe, ſi *Heinſio* ad id, ut locum Jeremiæ a Matthæo allegari crederet, ſuffecerit aliqualis tantum ſimilitudo utriusque loci, cum id valde ſit conſentaneum hypotheſi ejus, qua plurimas *allegationes* in N. T. pro meris *accommodationibus* habet, quas alibi *alluſiones* vocat, *parodias* & *inflexiones* verborum propheticorum ad aliud ſubjectum, quam quod Propheta in mente habuit; Qui vero ad id, ut *vaticinium* aliquod vel *typus* in N. T. queat impletus dici, plus requirit, hoc ſcil. ut Propheta vel *immediate* vel *mediate* idem ſubjectum in mente habuerit, cui oraculum ejus in N. T. adplicatur, adeoque hæc adplicatio fundamentum habeat in intentione Prophetæ ſeu Spiritus S. per eum loquentis, is ſane impetrare a ſe non poterit, ut locum Jeremiæ C. XIX. in iis, quæ Matth. XXVII. 3. ſeqq. narrantur, impletum fuiſſe agnoſcat, cum c. l. Jeremias juſſus tantum ſit emere *figulinam ollam*, (non *agrum*, de quo Matthæus loquitur) eamque in valle Benhennom confringere, quod ea ratione civitates & populos confringi debeant, & in Thophet ſepeliri, quoniam alius locus non ſuperfuturus ſit; Quæ ſane, ſi omnes ingenii nervos intendas, numquam demonſtrabis impleta fuiſſe in hiſtoria, quam Matthæus refert. *Agri* mentionem in Zacharia deſiderat *Heinſius*, ac propterea ad Jeremiam recurrendum ſibi exiſtimat, at vero & in hoc fruſtra eandem quærit. b) Aliis, e. g. CASP. SANCTIO ad Jer. XXXII. *hoc ipſum Caput* magis ad rem facere viſum eſt, cui adſtipulantur GLASSIUS [x]), & I. H. MAIUS [y]); Quin & AUGUSTINO [z]) jam ſuboluit, in hoc forſan Capite Jer. quærendum eſſe, quod in Zacharia deeſt, ſcil. circumſtantiam de emto agro. Sed ipſe fatetur GLASSIUS [a]), quædam eſſe *contortiora*, & *duriuſculam* analogiam, nosque per ea, quæ ſupra §. XIV. attulimus, plane *duriſſimam* pronunciamus [b]). Reſtat c.) ſententia D. CHRISTOPH. SCHLEGELII, qui [c]) probare conatus eſt, Matthæum Prophetiam tum Zachariæ

(x) Philol. S. L. I. Tr. II. p. 222. ſq.
(y) In Examine Hiſt. Crit. Simonianæ, p. 474. Add. D. PAUL. ANTONIUS in der Harm. Erklär. der IV. Evangg. T. XIII. p. 497. ſq.
(z) de Conſenſu Evangg. L. III. C. 7.
(a) Phil. S. p. 224.
(b) Conf. CORN. A LAPIDE ad Jer. XXXII, 14. ubi adv. *Sanctium* disputat.
(c) In diſſ. ſatis prolixa, ſub tit. *Ager ſanguinis* &c. A. 1663. edita, & 1706. Lipſiæ recuſa

riæ tum Jeremiæ simul allegasse, ita quidem, ut apud *Zachariam*, cujus plura verba citaverit, Prophetia de *Pretio*, apud *Jeremiam* vero Prophetia de *Agro* quærenda sit, quoad *situm*, *nomen* & *profanationem* C. XIX. (ubi & *Heinsius* illam quæsivit) & quoad subsecutam ejus *sanctificationem* C. XXXI. Quum vero hæc expositio ad *typum* confugere necessum habeat, hicque nonnisi vi adhibita, & per merum lusum ingenii, e loco Jeremiæ exsculpi queat, ac præterea hoc modo in uno eodemque loco e duobus V. T. locis *unus*, scil. Zachariæ, *literaliter*, *alter* autem, scil. Jeremiæ, *typice* saltem ac mystice applicatus esse dici debeat, facile intelligitur, hanc quoque interpretationem non ita esse comparatam, ut pedem in ea tuto figere liceat.

§. XVI.

Num vero, postquam cognovimus, omnes hactenus recensitas sententias suis laborare difficultatibus, necessario *vel* inter omnes, *vel* saltem aliquas earundem, quæ reliquis probabiliores sunt, fluctuare semper animus debet, ita ut ἐποχὴ, tamquam sacra quædam anchora, eligenda sit? Non pautem; Hærere hic quidem video plures Eruditos, IO. HULSEMANNUM [d]), qui inter IV. sententias dubius hærens, *Eligas*, ait, *quam velis, non errabis*, I. G. DORSCHAEUM [e]), qui *vel* delendum judicat nomen Jeremiæ, *vel* dicendum esse, quod *Grotius* dicit, SAL. DEYLINGIUM [f]), qui *Dorschæi* judicium suum quoque facit, I. C. WOLFIUM [g]), cui anceps visa est optio inter *Grotii* & *Lightfooti* sententiam, IO. MARKIUM [h]), cui pariter animus est inter duas sententias pendulus. At vero ponderatis probe uniuscujusque sententiæ momentis, & comparatione instituta, vix quemquam amplius dicturum puto, æquales esse calculos. Nos ita nostras subducimus rationes: Interpretes, qui nil non tentarunt, ut mendi suspicionem a textu Matthæi depellerent, eatenus laudabilem omnino operam præstiterunt, & si una e XIII. illis sententiis, quas hoc fine excogitarunt, solide nodum solveret, ambabus illa sine dubio amplectenda foret; sed omnes desiderium ac spem nostram frustrari, & postquam eos causam suam omni studio perorantes audivimus, incertiores multo quam dudum ab iis nos discedere, sentimus, & sentient quoque alii, qui rationes

(d) Loco supra citato.
(e) Comm. in Matth. p. 434.
(f) c. l. p. 192.
(g) In Cur. ad h. l. p. 395.
(h) Comm. in XII. Proph. min. p. 1113. Add. H. HAMMONDUS in *Annot. ad Hebr. VIII.*, 5. quem *Grotii* ex una & ex altera parte *Medi* sententia suspensum tenet.

nes in antecc. eisdem oppositas æqua judicii lance ponderare haud gravantur. Quibus quæso machinis, quibus fictionibus, ac suppositis numquam probandis opus est, ut nomen Jeremiæ apud Matthæum cum aliqua saltem specie verisimilitudinis tueri se possit? *Nunc* traditio quædam oralis, vel ad Matthæi usque ætatem pertingens, vel ad Zachariæ tantum, qui deinde scripto illam commiserit, sicque propagaverit, sec. *VII. & VIII. sententiam*, *nunc διανυμία* Zachariæ, sec. *IX. nunc* traditio quædam Rabbinica de primatu Jeremiæ in ordine Prophetarum, sec. *X. nunc* somnia quædam, quæ referre supra fere puduit, sec. *XI. nunc* Liber aliquis Jeremiæ deperditus, sec. *XII. nunc* figmentum de corruptione textus Ebr. per Judæos, Jeremiæ vaticinium vel mutilantes, vel aliquam ejus particulam vaticinio Zachariæ assuentes, sec. *XIII. XIV. nunc* hic vel ille locus e libro Jeremiæ hodienum superstite, ubi vel figuli, vel vasis figulini, vel agri alicujus emti mentio fit, sec. *XV. XVI. nunc* denique Partitio Allegati inter Jeremiam & Zachariam, sec. *XVII. XVIII. XIX.* in subsidium vocatur, verum ita, ut in omnibus hisce, quod ad plenam animi, non morosi quidem, sed nec temere creduli, convictionem faciat, jure desideres, ac, ne remedia ipso morbo sint pejora, non sine ratione verearis.

§. XVII.

Itane E. inquis, actum est de *αὐθεντία* vocis Ἱερεμίου apud Matthæum? Respondemus: Esse unam inter sententias Imæ Classis, quæ sua se nobis innocentia commendet, scilicet IIIam; Horret animus, ipsi Evangelistæ *ἁμάρτημα μνημονικὸν* tribuere, sec. Sent. I. etsi ERASMVS ROT. ad Matth. II. 6. asperitatem hujus sententiæ quodammodo amollire satagat, „ *ut Spiritus ille*, inquiens, *divinus, mentium apostolicarum Moderator, passus est suo ignorare quaedam & labi, errareque alicubi judicio sive affectu, non solum nullo incommodo Evangelii, sed hunc etiam errorem vertit in adjumentum fidei nostrae: ita fieri potuit, ut sic temperaverit organum apostolicae memoriae, ut etiam, si quid humano more fugisset, id non solum non deroget fidei divinae Scripturae, verum etiam fidem arroget apud eos, qui alioqui de composito scriptum calumniari poterant.* Melius sane AUGUSTINUS omnem falsitatem ab Evangelistis abesse docet, non solum eam, quæ mentiendo promitur, sed etiam eam, quæ *obliviscendo* i). Quamquam hic ipse in eo nullum mereatur adplausum, quando ipsummet Spiritum S. Matthæo Jeremiæ nomen pro Zachariæ nomine suggessisse statuit, ut innueret, omnes Prophetas ita uno Spiritu locutos esse, ut singula sint omnium, & omnia singulorum; Locum forsan habere posset hæc observatio in istis, N. T. Allegatis, ubi generatim allegatur *Scriptura*, aut

Pro

i) De Cons. Evang. L. II. C. 12.

Propheta, at ubi simul additur *nomen* Prophetæ, cujus ore & calamo usus sit Deus in promulgando hoc vel isto vaticinio, non videmus, quomodo unum nomen pro altero substitui potuerit, salva veritate, ad minimum historica; utique salva ista nomen potest reticeri, cum de primario Auctore constet, aliud vero & quidem falsum poni, non item. Restat igitur, ut *Librariis* potius, quidquid in Textu mendi est, adscribamus; Quo minus autem eosdem vel *immutando* Textum, & Zachariæ Jeremiam substituendo, peccasse, vel *compendio scriptionis* aliis occasionem errandi dedisse, statuamus, ea, quæ supra ad Sent. IV. V. & VI. observata fuere, prohibent. Subsistendum itaque vel tandem erit in Sent. III^tia, quæ statuit, *Matthaeum primitus indefinite* διὰ τοῦ Προφήτου *scripsisse, Librarium vero aliquem, vel in ipso Textu, vel potius in margine appinxisse nomen* Ἱερεμίου, *ab aliis deinceps Textui illatum.* RUSIUS quidem Harm. Ev. T. III. p. 1065. iis, qui vitium agnoscant in nomine Jeremiæ, desperationem dubio procul hanc responsionem expressisse, satis confidenter asserit, sed idem forte judicium alii, pari si non majori jure, de reliquis sententiis ferent; Eundem Virum Doct. c. I. testimonium SYRI hac suspicione enervare audio, quod probabilius sit, omissum fuisse in Versione Syriaca nomen Jeremiæ, *vel* per inadvertentiam ipsius Paraphrastæ, *vel* per incuriam alicujus Scribæ, qui paraverit istud Evangelii Matthæi exemplum, in quod incidit Interpres Syrus, *vel* ipsum mederi ita voluisse difficultati, quæ ipsi alias videbatur insuperabilis; Sed *prima* & *tertia* conjectura tam facile rejicitur, quam asseritur, *secunda* autem una quidem manu Syri testimonium nobis eripit, altera vero pro testimonio *versionis* testimonium *Codicis* nobis suppeditat, idque illo antiquius. Quum præterea id vel maxime urgetur, quod huic sententiæ *Graecorum Codicum longe plurimorum* consensus reclamet, fatendum quidem est, non esse flocci pendendam hanc difficultatem; BENGELIUS certe ob istam in margine, per signum β, non omnino certam declarare ausus est lectionem, quæ Ἱερεμίου omittit [k]), neque tamen eapropter ex altera parte pro nihilo habenda sunt momenta illa, quæ in App. Crit. ad h. l. pro omissione nominis Ἱερεμίου adduxit, ac testium inprimis paucitas non exagitanda est; Sæpe enim plerique *Codices Graeci* hodie superstites deteriorem habent lectionem, quam *Interpretes* [l]). Quodque omit-

k) Majori cum fiducia animi sententiam prodit in App. Cr. ad h. l. neque tamen eapropter minus sibi constare B. Virum censebis, si consideres, quæ ipse in eodem p. 869. monere consultum duxit: *nimis timide*, inquiens, me incedere dicent, qui sæpe β, δ, vel etiam γ, in margine conspicient - - interdum tamen propter *paucitatem testium*, qui adhuc pro lectione mihi probata præsto erant, verebar, ut multis eam probarem lectoribus.

l) Vid. App. Cr. p. 401. Consid. 1. ubi inter exempla etiam hic noster locus Matth. XXVII. comparet.

Codicem Colbertinum 8. attinet, qui unus ex iis, qui ſuperſunt, τὸ Ἱερεμίᾳ omittit, notari de iſto velim, quæ idem ille judicioſiſſimus Maſoretha N. T. in laudem ejus obſervat [m]), inquiens, plane ſingularis eſt & eximius, lectionemque græcam interdum ex latinis Codicibus, præſertim in Evangeliſtis [n]) & Actis, interdum ex græcis, præſertim in Epiſtolis, derivatam habet: utramvis lectionem vel latinizantem, vel pure græcam, ex monumentis longe antiquiſſimis repetit. Hæc omnia vero, quod lubentes fatemur, per ſe tanti non forent, ut tot contrariis Codicum, Verſionum ac Patrum ſuffragiis opponere illa liceret, ſi ulla ratione vindicari Jeremiæ poſſet hoc vaticinium; At cum, noſtro quidem judicio, omnes reliquas ſententias, extrema licet tentantes, nodum non ſolvere, ſed vel ſecare, vel nodum nodo innectere, ex ante diſputatis manifeſtum ſit, tutiſſimum arbitramur, non ita mordicus tenere unam aliquam voculam, ut fides Evangeliſtæ ſub ea periclitetur, & Empæctarum ludibrio exponatur. Sufficiat, nullam h. m. admitti *corruptionem univerſalem* per omnes Codices, & expunctione nominis Jeremiæ locum fieri ſubaudiendo nomini Zachariæ; quem, plurimorum, etiam diſſentientium, judicio, Matthæus tam aperte reſpicit, ut, qui negare id auſit, ſoli obloquatur. Aliis hoc Charybdis eſt, nobis Scylla, quam proinde omni modo vitandam ducimus.

§. XVIII.

Atque ſic cardo rei in eo jam vertitur, ut probemus, vaticinium a Matthæo citatum *vere exſtare in Zacharia*, & *eundem* utrobique verborum *ſenſum* eſſe, non obſtante *illorum* in quibusdam *diſcrepantia*. RUSIUS quidem c. l. p. 1072. eos, qui ex Zacharia hæc putent petita, multum ſe torquere ait, ut componant inter ſe verba utriusque Scriptoris div. quibus curis ii, qui non credant, e Zacharia illa eſſe depromta, facile ſuperſedere queant: ſed e ſeqq. patebit, nulla opus eſſe tortura, certe non alia, quam quæ alibi quoque in conciliandis cum Textu Hebr. Allegatis N. T. adhiberi ſolet, & ab ipſo Viro Doct. ſæpius adhibetur. Locus Zachariæ ſupra deſcriptus habetur, cujus verba, prout jacent, utique in Matthæo non κατὰ ῥητὸν translata deprehendimus: 1) omittit Evangeliſta integrum comma 12. in quo Paſtor Iſraëlis (Meſſias) ab Iſraëlitis mercedem ſuam poſtu-

m) In App. Crit. p. 415.

n) Inter exempla etiam noſtrum hunc locum refert.

poſtulat pro præſtita in eis paſcendis opera °); Id vero proprie ad ſcopum Evangeliſtæ non pertinebat, ut cui ſatis erat, e vers. 13. probaſſe, quod ſecundum divinam prædictionem evenerint, quæ in antecc. narraverat, de *pretio viliſſimo* XXX. argenteorum, quo æſtimatus fuerit Jeſus a Proceribus Judæorum, *emtoque* dein *agro figuli;* Commode igitur abeſſe poterant priora verba, licet ſequentia, iis intime connexa, allegans, ſimul ad iſta Lectorem remittat. 2) E comm. 13. ſua quidem Matthæus quodammodo facit verba: וָאֶקָּחֵם שְׁלֹשִׁים הַכֶּסֶף וָאַשְׁלִיךְ אֹתוֹ בֵּית יְהוָה אֶל־הַיּוֹצֵר ſed ita, ut a) primam perſonam futuri in ſing. וָאֶקָּחֵם *& accepi*, permutet cum 3. pers. plur. καὶ ἔλαβον, *& acceperunt.* Licet enim *Heinſius* ad imitationem *Syri* τὸ ἔλαβον habeat pro prima ſing. num. id tamen non permittit ſequens ἔδωκαν, quod eſt tertia plur P). b) Transmittit Matthæus verba: *& projeci illud domum Domini*, ultima tantum retinens, *ad figulum*, hisque de ſuo præmittens verbum ἔδωκαν· c) Verbis Matth. τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν ἰσραὴλ, apud Zachariam nil reſpondere videtur. d) *Figuli* quidem apud Prophetam mentio fit, ſed non *agri*, quem Judæi ab ipſo emturi ſint. e) Clauſula Matthæi: καθὰ συνέταξέ μοι κύριος, pariter apud Zachariam haud legitur.

§. XIX.

At non adeo difficilis eſt conciliatio Prophetæ & Evangeliſtæ. Obſervetur modo ad a) Apud *Prophetam* Meſſias ipſe XXX. iſtos argenteos & *accepiſſe & projeciſſe* dicitur, atque *illud* quidem ipſi tribuitur, quatenus iſti argentei *merces* erant, quam pro opera in paſcendo Iſraële præſtita accepit, cum Judas contra eosdem acceperit, ut *praemium* proditionis ſuæ; *hoc* vero de Meſſia dicitur, quatenus, Ipſo rem ita dirigente, factum eſt, ut Judas pretium illud in Domum Dei projiceret: *Evangeliſta*, cum hiſtorice hanc projectionem v. 5. jam memoraſſet, illam in allegato prætermittit, ſufficere ratus, ſi in eo, quod Proceres judaici argenteos iſtos a Juda in templum projectos rurſum inde *acceperint*, v. 6. atque *ad figulum dederint*, v. 7. vaticinium

o) THEOPH. ALETHAEUS in der Erläuterung dunkeler Oerter der H. Schrifft, T. V. verſuch 57. p. 463. 468. hæc eo interpretatur, quaſi mercedem poſtulet Meſſias, *ut ſervus*, qui ſervire amplius nolit, quo pacto ſenſus in vernacula foret Zahlet mich aus gebt mir nur den Abſchied; atque huc facere poſſet, quod p. 9. jam dixerat Meſſias: לֹא אַרְעֶה אֶתְכֶם *non paſcam vos amplius.*

p) Legunt quidem aliqui, itidem ad exemplum *Syri*, & Codicis Aug. 4. ἔδωκα, e. g. BEZA, PISCATOR, IOS. MEDE, GOMARUS, HOMBERGIUS, TRILLERUS, aliique, ſed manifeſtum eſt, e Zacharia ſic reſictum eſſe Textum Matthæi.

cinium Zachariæ impletum dicat. Nulla igitur inter utrumque pugna est. Ad b) R. factum id esse, quia Matthæus hoc oraculo docere potissimum voluit Judæos, *divino consilio*, pretium venditionis impendisse *in agrum figuli*, cui sane scopo sufficiebant verba: אֶל–הַיּוֹצֵר quæ, cum *elliptica* sint, & vertenda: *ut daretur illud* ad figulum, recte Evangelista hanc ellipsin supplevit per verbum ἔδωκαν ad c.) R. omnino etiam verba Matthæi τὴν τιμὴν — Ἰσραὴλ, in Zacharia habere, quæ ipsis respondeant, scil. incisum: *magnificum pretium, quo aestimatus sum ab iis;* quamquam & hic Evangelista, ut Historiographus, in 3. pers. exprimat, quæ à Propheta dicta sunt prima, & pro מֵעֲלֵיהֶם ponat: ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ, exaggeraturus h.m. q) indignitatem rei, quod patratum esset istud facinus *a filiis Israël*, adeoque ab iis, quorum Pastor hactenus singulari ratione fuerit Messias, & quibus apertissima de isto data fuerint vaticinia. Ad d) R. sub *concisa locutione* Prophetæ, *ad figulum*, etiam comprehendi circumstantiam de *agro*, pro quo dandi erant figulo 30. illi argentei; Supplet E. Matthæus ex implemento, quod prædictio subobscure saltem innuebat; sufficit, *figuli* meminisse Zachariam, id quod merito tuemur contra KIMCHIUM, qui cum non perspiceret, quomodo supplenda esset ellipsis in אֶל–הַיּוֹצֵר pro *hajozer* legendum putat *haozar*, litera ' in ע mutata, ut sensus sit, in *thesaurum* s. ærarium Domus Domini projiciendos esse argenteos r); Temeraria sane est hæc innovatio Textus, cum non vocales tantum, sed ipsum quoque Textum non punctatum sollicitet. Ad e) R. etsi hæc verba non reperiantur in *fine loci* e Zacharia citati, exstare tamen *initio* com. 13. quæ illis respondeant: Quum enim Propheta vel Messias dicit: *vajomer Jehovah elai*, eo ipso ad mandatum quoddam Jehovæ provocat, idque innuit Matthæus verbis: καθὰ συνέταξέ μοι Κύριος· Quodsi autem, ut aliqui volunt s), hæc verba sint *Evangelistae*, non *Prophetae*, conciliatione ne opus quidem est.

q) Ut SURENHUSIUS observat in B. K. p. 283. fin.

r) Vid. Idem p. 285. & MARKIUS in Proph. min. p. IIII.

s) NIC. ZEGERUS in Crit. Angl. T. VI. p. 825. apud Matthæum hunc facit verborum ordinem: tunc impletum est (sicut mihi Dominus manifestavit ac dixit) quod dictum est &c. qua trajectione admissa, Matthæus hic indicaret, sibi hoc constitutum ac mandatum fuisse, ut hoc vaticinii testaretur esse impletum; B. BENGELIUS *in Gnom.* ad h. l. itidem *Evangelistam* hic audit, non Prophetam, vertens: *Sicut dicere vel scribere mihi praecepit Dominus;* Plane vero singularis est expositio horum verborum, quam THEOPH. ALETHAEUS c. l. p. 468. n. ll. producit, τὸ συντάττειν non exponens per *praecipere*, sed per *construere, coordinare, componere*, ut sensus sit: Wie mir es der Herr selber so zusammengereimet, ausgeleget, erkläret, und eines mit dem andern conciliiret hat. Nullo N. T. loco probari

§. XX.

Constare jam putem, non adeo magnum esse Prophetam inter ac Evangelistam dissidium, ac aliqui clamitant. Certum est, utrumque locum in Summa rei & quoad præcipuas circumstantias egregie conspirare, & Evangelistam, licet non singulos verborum apices, sensum tamen oraculi prophetici exacte referre [t]); 1) Congruit utrimque pretium XXX. argenteorum, &, si mireris, quod de *mercede pastoritia* apud Prophetam dicitur, ab Evangelista pertrahi ad pretium *ipsius Pastoris venditi*, cogites velim, Zachariam quoque id, quod *mercedem* antea dixerat, mox *pretium* appellare, & tale-quidem, quo Pastorem ipsum, erga Proditorem, cui venalis erat, dignum æstimarunt, atque sic ipsum Prophetæ sermonem in progressu propius ad venditionem accedere [u]). Congruit 2) *projectio pretii in templum*, quam Zach. XI. 13. Messiæ DEus præcepit, Judas vero Matth. XXVII. 5. Ipso dirigente perfecit. Congruit 3) mentio *figuli*, cui tandem cesserit istud pretium, id quod cum obscurius indicasset Propheta, Matthæus, facto jam complemento, clare & explicite testatur, pro agro vendito 30. hosce argenteos datos fuisse figulo. Scilicet lux N. T. qua circumfusi scripserunt Evangelistæ & Apostoli, sæpissime eos jussit scribere allegata V. T. non prout in hoc, quum complenda adhuc essent, obscurius erant proposita, sed tamquam Evangelii luce jam collustrata, & ipso eventu comprobata [x]). Si vero pro certo jam sumere liceat, allega-

bari potest hic vocis significatus, aperte potius συνέταξε significat *præcepit*, paullo ante hunc locum nostrum, C. XXVI. 19. & LXX. quoque Ebræum צִוָּה sæpissime reddunt per συντάσσειν, ut adeo idem dicat, quod διατάσσω, ἐπιτάσσω, προστάσσω.

t) Firmitas demonstrationis Novi ex V. T. non tam nititur omnium semper *vocum* conspiratione, quam concordia *rerum*, ad caput causæ pertinentium; Modum sæpe excedunt Philologi, in studio conciliandi universas utriusque Testamenti voces discrepantes, dum ex hoc illove Scriptore N. T. homine spirituali, dicta Scripturæ spirituali sensu allegante, facere volunt Grammaticum, ut scite VITRINGA ait ad Esai. LXIV. 4. Nec habent Judæi, quod criminentur Scriptores N. T. testimonia V. T. non ea serie eoque ordine verborum allegantes, quo leguntur in libris Prophetarum, cum id ipsum etiam V. T. Scriptores fecisse negari nequeat; conferatur Decalogus Exod. XX. 2. ff. cum Decalogo Deut. V. 6. ff. & Ode Davidica, prouti legitur 2 Sam. XXII. 1. ff. cum eadem in Psalmo XVIII. ubi 49. differentias annotant Interpretes.

u) Vid. BURKII Gnomon in Proph. min. p. 586.

x) Optime FLACIUS Clav. Scr. P. II. p. 103. „Prophetarum munus fuit, quid futurum esset prædicere, Evangelistarum vero, quid sit factum narrare; Itaque cum Spiritus

legatum abs Matthæo oraculum esse illud ipsum, quod apud Zachariam Cap. XI. legimus y), honori S. Scripturæ omnino melius longe consultum erit per ingenuam confessionem, quod mendum irrepserit in Textum Matthæi, quam per violentas nominis Jeremiæ vindicias. Inter omnes istas expositiones, quæ Zachariæ hoc vaticinium vindicare, simul vero Jeremiæ nomen tueri satagunt, tres potissimum sua præ aliis innocentia ac verisimilitudine se commendant, *prima*, quæ Jeremiam statuit oretenus illud primitus protulisse, Zachariam vero, per traditionem acceptum, scripto consignasse, *secunda*, quæ homonymiam Zachariæ, & *tertia*, quæ primatum Jeremiæ in volumine Prophetarum in subsidium vocat, sed nullam harum severius ad trutinam veritatis examen sustinere posse, ex iis, quæ supra ad singulas monuimus, manifestum esse arbitramur. Quis itaque temeritatis nos accuset, si nomen Jeremiæ tamdiu nobis videatur obelo dignum, quamdiu locum suum in textu Matthæi fortioribus, quam quæ hactenus pro illo militarunt, argumentis tueri nequit z)? Si quis ceterum meliora nos edocere poterit, eum dociles nos habiturum esse spondemus.

tus DEI illorum oracula non exscribat, sed interpretetur, minime certe debuit enumerandis vocabulis adstringi. „ Scil. Scriptores N. T. sæpe mutarunt verba, ut ne meri tantum Translatores essent, sed Exegetæ simul, & ipsa eorum versio claritatem N. T. referret.

y) Interpretum sane pars longe maxima impetrare a se non potuit, ut a Zacharia plane abstraheret cogitationes suas; Inter XIX. sententias XIII. vel solum Zachariam vel junctim cum Jeremia respici contendunt.

z) C. A. HEUMANNUS in Parerg. Crit. p. 33. s. & 121. s. criteria suppeditans, e quibus glossemata agnosci possint, inter alia etiam hoc commendat: *Si verba commodissime absint, adsint incommodissime*; Caute, fateor, hac regula utendum est, sed si ullibi, hic certe locum habet; Commodissime abest vox Ἱερεμίᾳ, æque ac in aliis allegatis, ubi omissum est nomen Prophetæ citati; Adest vero incommodissime, quia difficultates parit insuperabiles.

XXXII. ALLEGATUM.

MATTH. XXVII. 35.

Σταυρώσαντες δὲ αὐτὸν, διεμερίσαντο τὰ ἱμάτια αὐτῦ, βάλλοντες κλῆρον· Ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τῦ προφήτυ, Διεμερίσαντο τὰ ἱμάτιά μυ ἑαυτοῖς, κὴ ἐπὶ τὸν ἱματισμόν μυ ἔβαλον κλῆρον.

JOH. XIX. 24.

Μὴ σχίσωμεν αὐτὸν, ἀλλὰ λάχωμεν περὶ αὐτῦ, τίνος ἔσῃ· Ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ ἡ λέγουσα, Διεμερίσαντο τά ἱμάτιά μυ ἑαυτοῖς, κὴ ἐπὶ τὸν ἱματισμόν μυ ἔβαλον κλῆρον.

PSALM. XXII. 19.

יַחֲלְקוּ בְגָדַי לָהֶם וְעַל־לְבוּשִׁי יַפִּילוּ גוֹרָל׃

VERSIO LXX.

Διεμερίσαντο τὰ ἱμάτιά μυ ἑαυτοῖς, καὶ ἐπὶ τὸν ἱματισμόν μυ ἔβαλον κλῆρον.

§. I.

Nemo dubitat, quin ex Pſ. XXII. 19. deſumta ſint hæc Evangeliſtarum verba; dubitarunt vero haud pauci, an *Matthaeus* dictum hoc *vere* allegaverit, cum ex Johanne potius in Evangelium Matthæi irrepſiſſe videatur GROTIO, MILLIO, RICH. SIMONIO. Ac ſane ſeges illa Codicum, Verſionum ac Patrum, quam pro omiſſione hujus Allegati apud Matthæum allegat BENGELIUS *in Appar. Crit. ad h. l. p. 494.* lectionem receptam valde dubiam facit. Nihilo tamen minus hanc tuitus eſt WHITBIUS *in Exam. Var. Lect. N. T. Milliani p. 41.* Et BENGELIUM quoque manipulus ille Codicum, Verſionum ac Patrum, qui pro eadem facit, retinuit, quo minus ex Johanne huc traductam exiſtimaverit hanc periocham: 1) Quia, ſi ex Johanne illam huc transcripſiſſet Librarius, eadem procul dubio formula allegandi uſus fuiſſet, qua Johannes utitur: Aſt aliam hic habet: Ἵνα πληρωθῇ ἡ γραφὴ ἡ λέγουσα. Aliam Matthæus adhibet: Ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τῦ προφήτυ. 2) Quia apud Mat-

Matthæum ſumma fuit proclivitas omittendi ob Homœoteleuton, dum prius membrum v. 35. æque ac poſterius finitur in κλῆρον, adeoque Librarius, ſcripto hoc, facile opinari potuit, ſe totum Comma jam obſolviſſe. 3) Quin non abhorret a Pſalmo Allegatio *Prophetae*, cum Matthæus jam Cap. XIII. 35. Davidem nuncupaverit *Prophetam*. cf. Act. II. 30.

§. II.

Jam vero, quod I. *Allegationem* Evangeliſtarum attinet, αὐτοψία docet, illam non modo cum Verſione LXX. ſed etiam cum Textu hebræo exacte congruere. Et notabile eſt inprimis, quod cum utraque vox hebræa בֶּגֶד & לְבוּשׁ in genere *veſtimentum* notet, nihilominus diſtinctas has voces diſtincte etiam expreſſerint, tam LXX. quam Evangeliſtæ, בְּגָדַי vertentes per ἱμάτια, & לְבוּשִׁי per ἱματισμὸν, quod poſterius, vocabulum, in ſe paulo generalius, itidem Johannes v. 23. determinatius explicat per χιτῶνα, *tunicam*, eamque *inconſutam*, & a ſummo ad imum totam *contextam*. Ideam illius exhibet BRAUNIUS *de Veſtit. Hebr. L. I. cap. 16. §. 13. 14. p. 346.* Pontificiorum Nugas de hac tunica, apud Treviros adhuc aſſervata, peculiari ſcripto exſibilavit DORSCHEUS. cf. SAGITTARIUS *in Harm. Hiſt Paſſ. P. II. cap. 14. §. 36. ſqq.* Quænam manus texuerint illam, Matriſne an opulentiorum illarum mulierum, quæ Chriſtum ſunt ſecutæ, quis definiat tacente ſcriptura? *Angelorum* vero illam opificium fuiſſe, eandemque, à Chriſto in ætate infantili jam geſtatam, cum Eo in longum & latum creviſſe, plane ad ſomnia referendum eſt. Reliqua, quæ in controverſiam hic venere apud Eruditos, dabit RUSIUS *Harm. Evang. T. III. p. 1237-1243.* Nos iis jam non immoramur.

§. III.

Pergimus potius II. ad *Applicationem* hujus Oraculi, quam Evangeliſtæ fecerunt. 1) *Judaei* Pſalmum hunc *partim de Davide*, tempore Saulis profugo, *partim* de *Perſecutione* Judæorum ſub Hamane, in L. Eſth. deſcripta, *partim* de *Captivitate Babylonica*, *partim* de *praeſenti Eccleſiae Judaicae ſtatu*, quæ obſcura nunc ac deſerta jaceat, explicant, teſte R. DAV. KIMCHIO. 2) CALVINUS *poſteriorem* quidem Pſalmi *partem* proprie de *Chriſto*, de amplitudine regni Ejus, de converſione totius orbis &c. interpretatur; ſed *priorem* de *Davide;* quin eo progreditur, ut ſcribere auſit: Locus, quem adducunt Evangeliſtæ ex Pſ. XXII. videtur *intempeſtive* ad

ad præsentem causam *trahi*: Nam cum illic queratur David, se hostibus, prædæ fuisse, metaphorice sub nomine vestium *sua omnia* designat, ac si uno verbo dixisset, spoliatum se ac nudatum ab improbis fuisse: Quam figuram dum negligunt Evangelistæ, a nativo sensu discedunt. 3) GROTIUS, *Oda haec*, inquit, *Davidis* profugi calamitates describit, neque tamen impedit, quo minus sensu sublimiore ad Messiam respiciat, & sæpe evenit, ut verba in sensu mystico habeant significationem apertiorem minusque figuratam. Nostrum vero locum speciatim sic explicat: In Davide hoc intelligendum *μεταφορικῶς, fortunas meas ut confiscatas inter se partiti sunt.* 4) E Nostris, R. A. KORTÜM itidem negat, Psalmum hunc litteraliter de Christo agere; loqui enim Davidem de contemtu, quem ab Aulicis Absalomi expertus sit: In notis tamen p. 269. fatetur, opinionem suam, sine admissis Hyperbolis [a]), locum non habere.

§. IV.

Opponi his omnibus possunt sequentia: a) Totius Psalmi *συνέχεια* docet, agere illum de *uno eodemque subjecto*, & læta illa, quæ inde a v. 23. excipiunt tristia in antecc. ad *eundem miserum* pertinere, cujus miseria ante fuit descripta. Vid inprimis v. 25. Si ergo, quod CALVINUS concedit, altera Psalmi pars ad Christum pertinet, etiam prior non potest non de Eodem exponi. b) Matthæus hoc ipso Cap. v. 46. & Marcus Cap. XV. 34. *secundum* mox *Comma* hujus Psalmi Quartum Jesu crucifixi verbum fuisse perhibent. c) Quæ v. 7-9. Psalmi legimus, aperte suum habuere implementum in iis, quæ Matth. XXVII. 39-43. leguntur. Ipsos adeo Sarcasmos gestusque illudentium, qui in Psalmo descripti sunt, per Evangelistas exprimere voluit, Spiritus S. unde nullum est dubium, quin significare hoc modo voluerit, in Christo id completum esse, quod in Psalmo fuit prædictum. Talia certe Davidi evenisse, nullibi legimus. Non enim tantum in genere sannis & illusionibus sese exponendum conqueritur, qui hæc ex persona sua fatur, sed speciatim gestus, illusiones & Sarcasmos verborum describit, ne in persona erremus, de qua hic actum fuerit.

§. V.

a) Idem incommodum & alios sentire, qui, Christum unicum hujus Psalmi subjectum esse, admittere nolunt, patet ex iis, quæ LILIENTHALIUS affert, *l. c. p. 602.*

§. V.

d) Omnia, quæ v. 15-17. legimus, ſecundum ſenſum ſuum nativum, non in Davide, ſed in Chriſto impleta ſunt. Inprimis de tali paſſione hic agitur, quæ *transfixionem manuum* ac *pedum* infert, & eam totius corporis *expanſionem*, ut oſſa omnia dinumerari poſſint: At tali ſupplicio aut paſſioni Davides nunquam fuit obnoxius, ſed Chriſtus. e) In v. 19. quem Evangeliſtæ diſerte allegant, inprimis probe obſervanda eſt diſtincta illa *tunicae* & *reliquorum veſtimentorum* mentio, *actusque* circa illam & hæc *diſtincti*. Hæc in Metaphora nullum habent diſtinctum ſenſum, dum ſecundum *Calvinum* & *Grotium* בְּגָדַי & לְבוּשִׁי indiſtincte *bona Davidis*; diviſio autem & ſortitio *eorundem direptionem* ſignificat. Nulla ergo ſic dari poteſt ratio, cur in Pſalmo diſtincte memorentur *veſtimenta*, quæ *diviſa* fuerint, & *veſtimentum*, ſuper quod *ſors projecta* fuerit. Et cur Propheta non potius dicat: Veſtimenta ſecundum ſortem diviſa fuiſſe, ſine ullo diſcrimine inter *veſtimenta* & *veſtimentum* ſeorſim memoratum? At dari poteſt ratio ex Hiſtoria Paſſionis, quæ diviſa inter quatuor milites *veſtimenta*, & *veſtimentum*, hoc eſt tunicam Chriſti, ſorti commiſſam diſtincte memorat. Joh. XIX. 23. 24. De Davide autem in omni ejus hiſtoria nil ejusmodi legimus [b]).

§. VI.

f) Verſus 23. hujus Pſ. a Paulo in Ep. ad Hebr. Cap. II. 12. expreſſe Chriſto vindicatur, nec ipſi *Praeco ille laudum divinarum*, de quo v. cit. loquitur, Davides eſt, ſed Chriſtus: Unde dubitare non licet, quin eo tempore penes Hebræos indubium fuerit, Pſalmum XXII. de Chriſto intelligendum eſſe. g) Cum ipſe *Calvinus* fateri neceſſum habeat, non modo partem Pſalmi *poſteriorem* de Chriſto proprie interpretandam eſſe; ſed etiam in *priori* ad v. 7. præcipue Chriſtum nobis in mentem venire debere; cum *Grotius* integrum Pſalmum ſenſu ſublimiore ad Chriſtum reſpicere, ac in hoc apertiorem & minus figuratam ſignificationem habere largiatur; cum denique KORTÜMIUS negare nequeat, multa hujus Pſalmi nonniſi *per Hyperbolen* ad Davidem applicari poſſe: id ipſum argumento eſt, quod ſenſum ſuum metaphoricum male pro nativo & ger-

b) Quare etiam VENEMA, cum CALVINO alias & GROTIO in expoſitione hujus Pſalmi faciens, negare non poteſt, v. 19. tale quid prædicari, quod proprie ac litteraliter in *ſolo* Meſſia completum ſit. cf. S. R. D. ERNESTI *Theol. Bibl. P. VII. p. 661.*

germano venditent, &, quæ ſecundum regulas bonæ interpretationis, immo & juxta ipſius Spiritus S. interpretationem, proprie accipienda ſunt, figurate intelligant.

§. VII.

h) Admiſſa CALVINI & GROTII explicatione non aliter hic Pſalmus vaticinabitur de Paſſione Chriſti, quam illa Capita Biblica in I. & II. Libr. Samuelis, quibus afflictiones Davidis hiſtorice recenſentur. Quam imbelle vero tum foret argumentum, quod Matthæus ex hoc oraculo nectit pro Veritate Religionis chriſtianæ contra Judæos? Nam ſenſus allegoricus non eſt argumentativus. i) Antiquiſſimi Patrum pro certo habuerunt, Pſalmum hunc unice de Chriſto agere, nec Davidis, ſed Meſſiæ paſſiones deſcribere; e. g. inter Græcos JUSTINUS *Martyr in Dial. contra Tryph. Jud.* Inter Latinos TERTULLIANUS *adverſus Judaeos Cap. 10.* qui, ſi adhuc quæres, ait, Dominicæ crucis prædicationem, ſatis jam poterit tibi facere Pſalmus vigeſimus primus. In quibusdam enim Codicibus olim Pſ. I. cum II. cohæſit. Sed vid. BENGELIUS *in Appar. Crit. ad Act. XIII. 13.*[c]) E ſequioribus THEODORETUS hanc Pſalmi hujus ſummam exhibet: Hic Pſalmus Chriſti crucem & reſurrectionem, & gentium vocationem, & totius orbis ſalutem prædicit. CASSIODORUS autem in eo non tam *Prophetiam*, quam *Hiſtoriam* tradi monet.

§. VIII.

k) Diſſentientes in Commentis ſuis ipſi non inveniunt, ubi pedem figant: *Judaei* nunc huc, nunc illuc ſe vertunt; uti ſupra audivimus. Immo ſunt inter eosdem, qui *de Meſſia* exponant Pſalmum, quam in rem ſcholia eorum, quæ *Midras* vocant, ipſe allegat Grotius. CALVINUS non unam modo perſecutionem Davidis, ſed quascunque paſſus eſt, omnes in hoc Pſalmo deſcribi putat: GROTIUS autem nonniſi calamitates profugi ſub Saule Davidis, & KORTÜM perſecutionem Aulicorum Abſalomi. CALVINUS quædam de ſolo Chriſto explicat, quædam de Chriſto & Davide ſimul; GROTIUS totum

c) Quicquid ſit de primo & ſecundo Pſalmo, ſive cohæſerint olim, ſive non; ſupra docuimus in *Alleg. XIX. not. x.* Cur, qui nobis eſt Pſalmus XXII. a Patribus allegetur ut XXI. Ad Patres enim quam maxime provocat WALTONUS *loco ibi citato.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0298
DFG

totum Psalmum litteraliter ac proprie de Davide, & mystice saltim de Christo agere contendit. 1) Ipsius etiam GROTII inconstantia ex eo patet, quod aliter de hoc Psalmo sensit ad Luc. XXIV. 47. ubi v. 23-28. de Præconio Evangelii exponit. Denique m) inter ipsos Reformatos plurimi Calvinum hac in re deseruerunt. e. g. PISCATOR, RIVETUS, DRUSIUS, quorum verba CALOVIUS dabit *in Bibl. Ill. ad h. l.* cf. LAMPIUS *in Comm. ad Joh. T. III. p. 604. n. x.*

§. IX.

Tantum de hoc Allegato; cui videri posset succedere jam debere v. 46. ejusd. Cap. Matth, in quo Servator Optimus sua facit verba initialia Psalmi XXII. אֵלִי אֵלִי לָמָה עֲזַבְתָּנִי. Cum vero illa proprie *non alleget*, sed sua ipsius verba, per os Davidis in Vet. Test. dicta, modo repetat: ad nostrum Institutum illa non pertinent; nec est itaque, cur iis immoremur.

XXXIII. ALLEGATUM.

MARC. XV. 28.

Καὶ ἐπληρώθη ἡ γραφὴ ἡ λέγουσα, καὶ μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη.

JES. LIII. 12.

וְאֶת־ פֹּשְׁעִים נִמְנָה׃

VERSIO LXX.

Καὶ ἐν τοῖς ἀνόμοις ἐλογίσθη.

§. I.

Hoc unum Allegatum nobis Marcus ſuppeditat, quod in Matthæo fruſtra quæſieris; & quo ad Scripturam provocat, poſtquam memoraſſet, Jeſum inter duos latrones medium cruci affixum fuiſſe. Quod vero jam I. *Allegationem* ipſam a Marco factam attinet; mirari quis poſſet, 1) quod Marcus paucula tantum hæc verba alleget, reliquis, quæ præcedunt & ſequuntur, omiſſis. Sed notandum eſt, a) factum id eſſe, quia hæc præciſe ſcopo illius inſerviebant, qui erat, ſpeciale illud phænomenon, Chriſti in medio latronum e cruce pendentis, ut prædictum in Vet. Teſt. ſiſtere, eoque ipſo, ne ſcandalo cuiquam eſſet, cavere. b) Ipſa copula καὶ, reſpondens copulæ *Vav* in Textu hebræo, Lectorem monet de nexu horum verborum cum reliquis: Exſtant quippe in fine ditionis *Anachi*, cui ſubſunt tres ſubdiſtinctiones commatum hujus verſus præcedentium, quorum primum clauditur accentu *Rebhia*, ſecundum accentu *Saegoltha*, & tertium accentu *Sakeph-katon*.

§. II.

2) Si quis dubitet, num פֹּשְׁעִים recte verſum ſit per ἀνόμους, cum illa vox peccatores primi ordinis, homines maxime ſceleratos, rebelles v. gr. deſignet; hæc vero quosvis, quoniam omne peccatum eſt ἀνομία, 1 Joh. III. 4. is conſideret, a) Etiam LXX. Interpretes, Hebraiſmi ſane gnaros, ita vertiſſe, b) ἀνόμους hic intelligi καθ' ὑπερβολὴν tales, homines *exleges*, qui ruptis omnium Legum vinculis omnia ſibi licere exiſtimant, δίκην ἐν χερσὶν ἔχοντες, uti GROTIUS exprimit *ad h. l.* quales omnino erant, quorum ſocietas Chriſto in cruce tam ignominioſa erat. cf. RAPHELII *Annot. Xenoph. p. 81.* 3) Verbum נִמְנָה Marcus itidem commode vertit cum LXX. per ἐλογίσθη. Etſi enim verbum hebraicum ſimpliciter denotet *numera-*

merare; idem tamen & reddi potest λογίζεσθαι, *reputare;* quia is, qui aliis sui generis similis esse dicitur, iis quoque *annumerari* solet, ita ut *numerare* & *reputare* sint Synonyma, quemadmodum & Græcis Arithmetica dicitur λογιστική. 4) Denique observandum quoque est, Marcum in eo curatius expressisse Textum hebræum, quam LXX. quod particulam את non vertit cum illis per ἐν, sed per μετά. Nam maiorem vim habet μετά, *cum* maleficis numerari se passus est, uti BENGELIUS annotat *in Gnom. ad h. l.*

§. III.

Plus negotii facessit II. *Applicatio* hujus dicti ad *Christum*, & *specialissime* ad illam circumstantiam Passionis Ejus, quando *cum Latronibus numeratus fuit in cruce.* Hic enim 1) dubitare quis posset, an Marcus verba Prophetæ, quæ *generatim* prædicere videantur, quod Messias cum sceleratis numerandus sit, adeoque impleta dici possint, non solum per societatem Latronum in cruce, sed ante jam, cum Pharisæi consortium Ejus cum publicanis & peccatoribus ipsi in opprobrium verterent, quasi similis simili gaudeat; ac præsertim cum in horto oliveti hostes in Eum, *tanquam in Latronem*, armati irruerent, Eumque captivum ducerent, ut dicendum ipsi fuerit: tanquam *adversus Latronem* exiistis cum gladiis ac fustibus Luc. XXII. 52. porro cum in atrio Pontificis, in Prætorio Pilati, in aula Herodis, plane pro facinoroso tractaretur, quin & Barrabæ, latroni, similis, immo deterior illo haberetur: An, inquam, Marcus hæc verba, quæ in ambitu suo plura complectuntur, recte *applicaverit* ad unicam illam, eamque specialissimam, circumstantiam de societate Latronum in cruce? Sed Resp. a) Ea, quæ præcesserunt, utique præludia quædam fuisse hujus in cruce cum latronibus sodalitii, sed tamen in hoc demum complementum hujus prophetiæ ad summa venisse; immo huc potissimum respexisse Prophetam, b) ex eo liquet, quia quæ proxime antecedunt, *de anima in mortem effusa*, & quæ sequuntur *de intercessione pro transgressoribus*, omnia in cruce peracta sunt.

§. IV.

Si jam 2) porro quæratur, An omnino *Christum*, & immediate quidem ac directe, seu in sensu litterali, respiciat hoc Jes. Cap. LIII. nos affirmativam merito tuemur contra Judæos aliosque Incredulos, nec non contra HUG. GROTIUM. Removebimus itaque *primo* sententias adversariorum, *deinceps* nostram idoneis argumentis adstruemus. a) *Adversarios* in duas classes dispescere possumus: α) Unam constituunt ii, qui non *personam aliquam singularem*, sed totum *populum Judaicum*, vel in exilio Babylonico

Ionico, vel in afflictione Syriaca, vel in præsenti exilio Romano versantem, undique oppressum, afflictum, durissime habitum, omniumque gentium probris, injuriis, insultibus expositum, respici volunt. *Hunc* aiunt esse subjectum hujus Prophetiæ à Cap. LII. 13. per totum Cap. LIII. usque ad fin. Nec heri demum, aut nudius tertius hæc hypothesis conficta fuit, sed ORIGENES jam *in Disp. contra Celsum L. I. p. 42.* illius meminit: Vid. VITRINGA *in Jes. T. II. p. 659.* Et plerique Judæi recentiores illam amplexi sunt, e. g. ABARBANEL, JARCHI, KIMCHI, &c.

§. V.

Resp. א) Etsi negari nequeat, integrum populum Judaicum quodammodo dici posse עֶבֶד יְהוָה, *servum Jehovae*, & ab ipso Jesaia sic appellari Cap. XLI. 8. 9. XLIV. 1. 2. hoc tamen loco subjectum, quod sub nomine *Servi Jehovae* proponitur, esse *singulare* ac *personale*, perinde ac Cap. XLII. 1. XLIX. 3. 5. 6. 7. L. 10. facile sic probatur: 1) Frustra ABARBANEL nobis obvertit, vocem אִישׁ, quæ huic subjecto v. 3. tribuitur, quum appellatur, אִישׁ מַכְאֹבוֹת, *Vir dolorum*, in Scriptura quandoque *collective* sumi, non de persona aliqua singulari, sed de integro cœtu. Si enim vel maxime hoc largiamur; hic tamen eandem ita sumere vetat, *partim* usus vocabuli אִישׁ apud Jesaiam, cui constanter *personam* designat Cap. VI. 5. XIV. 16. XLVI. 11. *partim* prædicata huic Viro dolorum tributa, quæ personam aliquam singularem supponunt. 2) Subjectum, quod hic describitur, accipi nequit de *Cœtu Israëlitarum*, quia *populo Dei* diserte *contradistinguitur* v. 9. ubi *alius* est is, qui plaga affectus fuit; *alius* vero populus ille, propter cujus transgressiones eandem ille sustinuit. Argumentum hoc invictum ORIGENES jam *l. c.* Judæo suo opposuit. cf. VITRINGA *l. c.* p. 660. ב) Attributa hic enunciata de Subjecto Prophetiæ non conveniunt *populo Judaico.* Quo jure quæso Propheta dicere de eo potuisset, quod passurus sit tanquam *Justus* v. 11. omnis plane criminis dolique expers v. 9. adeoque non ob sua, sed *aliorum* peccata; qui alii causa passionum Ejus non physica, sed moralis futuri sint v. 5. 7. 9. 11-13. & qua ratione calamitates Judæorum aliis causa existere poterant Justificationis eorum, quod tamen aperte asseritur? v. 6. 12.

§. VI.

Agnoverunt proinde β) etiam inter ipsos Judæos haud pauci, *Personam* aliquam *singularem* à Propheta innui; ubi jam quidem non moramur eos, qui de *Mose*, de ipsomet *Jesaia*, de Rege *Josia*, de *Esdra*, de *Serubabele*,

bele, de *Josua* summo Pontifice, hic cogitant, cum hi ipsi non audeant totum Caput de uno aliquo horum exponere, sed partem populo Judaico, partem Mosi, partem Josiæ &c. vendicent. Plus attendi meretur ℵ) illa sententia, quæ Jesaiam hic de *Jeremia* vaticinari statuit. Auctor illius est R. SAADIAS GAON, & ABEN-ESRA laudat eam ut pulcram, licet illam non sequatur. HUGO GROTIUS vero eandem complexus est, &, quantum poterat, ornare studuit, totum Jesaiæ vaticinium, inde a Cap. LII. 7. usque ad finem Cap. LIII. ad Jeremiam, ejusque adversos casus, contumelias, carcerem, & subsecutam tandem gloriam non tam accommodans, quam detorquens; unde & veritas hanc ipsi confessionem extorsit: Prædicata vaticinii in *Jeremiam* congruere quidem prius, sed potius sublimiusque, sæpe & magis κατὰ λέξιν *in Christum*. Dolendum sane, Virum Summum adeo defeciisse a se ipso. Nam in *Annott. ad N. T.* e. g. Joh. XII. 34. 38. Marc. XV. 28. Luc. XXIV. 47. & in Libro *de Verit. Rel. Christ.* L. V. §. 19. saniora habet d). Quam infeliciter vero ipsi cesserit conatus, singula prædicata *Jeremiae* vindicandi, demonstravit CALOVIUS *in Bibl. Ill. ad Jes. LIII.* & HUETIUS *in Dem. Evang. Prop. VII. p. m. 615.* Immo ipse etiam ABARBANEL *apud Calovium l. c. p. 278.* cf. VITRINGA *in Jes. T. II. p. 661. §. 10.*

§. VII.

Majorem sane speciem præ se fert, licet ipsa quoque in se falsissima sit, ג) illa sententia, quam R. ALSCHECH excogitavit, totum Caput interpretandum existimans de *unaquaque persona justa, indefinite* sumta, quæ propter aliorum peccata & iniquitates multa necesse habeat perferre. Evitantur certe hoc modo difficultates, quæ, si a Christo discedas, omnem ad aliam quandam personam accommodationem premunt. Sed illegitimum esse hoc effugium, inde manifestum fit, quod tota oratio Prophetæ *non indefinite* loquatur, sed Personam *Justi*, quam ante oculos habet, admodum *definite* & secundum omnes suos characteres describit. Vid. VITRINGA *l. c.* §. 9.

§. VIII.

Superest b), ut nostram sententiam idoneis argumentis adstruamus: α) Argumenta *insita* magno numero suppeditat Textus ipse, ejusmodi quippe Prædicata continens, quæ nulli alii Subjecto, quam Messiæ applicabilia sunt. Cum vero ista e scholis Theologorum exegeticis repetenda sint, nos jam iis haud immoramur. β) Argumenta vero *externa* magis ad

d) conf. etiam supra *Alleg.* XII. §. IV.

ad noſtram ſphæram pertinent: ubi ס) primum idque luculentiſſimum proſtat in N. T. ubi Pericopa hæc prophetica inde a Cap. LII. 7. usque ad finem Cap. LIII. ſæpenumero ad Chriſtum applicatur: e. g. Matth. VIII. 17. Joh. XII. 38. Marc. XV. 28. Luc. XXII. 37. Act. VIII. 32-35. Rom. X. 15. 16. 1 Pet. II. 22-25. Cum vero ſine ulla Judæorum contradictione id fecerint ſcriptores N. T. neque adeo onus probandi, quod Chriſtum reſpiciat hæc Prophetia, in ſe ſuſcipere opus habuerint; merito inde colligimus, in Theologia Judaica iſtius ætatis receptam fuiſſe hanc ſententiam, quod Jeſaias in tota iſta pericopa *de Meſſia* vaticinetur.

§. IX.

ב) Alterum argumentum præbet Conſenſus antiquorum Eccleſiæ Judaicæ Doctorum. Ipſe GROTIUS *cit. loc. de Verit. Rel. Chriſt.* agnoſcit, Paraphraſten Chaldæum & Gemaram Babylonicam *Tit. de Synedrio*, hanc Prophetiam *de Meſſia* interpretari. Reliqua loca dabit RAYM. MARTINI *in Pug. Fid.* & PET. GALATINUS *in Arc. Cathol. Verit.* ABR. HULSIUS *Theol. Jud. P. I. p. 318.* memorat, confeſſos ſibi Judæos quosdam eſſe, *Rabbinos ſuos in propheticis Scriptis facile ſe extricaturos fuiſſe, modo Jeſaias tacuiſſet.* Recentiores demum Judæi, ut aliquam elabendi rimam habeant, *duos Meſſias* commenti ſunt, quorum alterum vocant *Joſephi filium*, qui mala multa & mortem cruentam pati debeat; alterum *Davidis filium*, cui omnia proſpere ſint ſucceſſura. Vid. VITRINGA *in Obſs. S. L. VI. c. 21. p. 533. in not.* [c]) Sed multo eſt Prophetarum Scriptis congruentius, *unum* agnoſcere, qui per adverſa & mortem ad regnum eſſet perventurus, quod nos de Jeſu credimus, & verum eſſe res ipſa docet. Vid. GROTIUS *de Ver. Rel. Chriſt. L. V. §. 19. ſub fin.*

e) conf. tamen ſupra *Alleg.* XXIII. §. XXII.

XXXIV. ALLEGATUM. f)

LUC. IV. 17 - 21.

Καὶ ἀναπτύξας τὸ βιβλίον, εὗρε τὸν τόπον, ὃ ἦν γεγραμμένον, Πνεῦμα Κυρίου ἐπ' ἐμέ· οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς, ἀπέσταλκέ με ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν· κηρύξαι, αἰχμαλώτοις ἄφεσιν, καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν· ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει· Κηρύξαι ἐνιαυτὸν Κυρίου δεκτόν· Καὶ πτύξας τὸ βιβλίον, ἀποδοὺς τῷ ὑπηρέτῃ, ἐκάθισε· καὶ πάντων ἐν τῇ συναγωγῇ οἱ ὀφθαλμοὶ ἦσαν ἀτενίζοντες αὐτῷ· Ἤρξατο δὲ λέγειν πρὸς αὐτοὺς, Ὅτι σήμερον πεπλήρωται ἡ γραφὴ αὕτη ἐν τοῖς ὠσὶν ὑμῶν.

JES. LXI. 1. 2.

רוּחַ אֲדֹנָי יְהוִה עָלָי יַעַן מָשַׁח יְהוָה אֹתִי לְבַשֵּׂר עֲנָוִים שְׁלָחַנִי לַחֲבֹשׁ לְנִשְׁבְּרֵי־לֵב לִקְרֹא לִשְׁבוּיִם דְּרוֹר וְלַאֲסוּרִים פְּקַח־קוֹחַ: לִקְרֹא שְׁנַת־רָצוֹן לַיהוָה:

VERSIO LXX.

Πνεῦμα Κυρίου ἐπ' ἐμὲ, οὗ εἵνεκεν ἔχρισέ με Κύριος, εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς ἀπέσταλκέ με, ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τῇ καρδίᾳ, κηρύξαι αἰχμαλώτοις ἄφεσιν καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, καλέσαι ἐνιαυτὸν Κυρίου δεκτόν.

§. I.

Multa ſunt, quæ Allegatum hoc præ aliis memorabile reddunt. Eſt enim *Chriſti ipſius*, valde *copioſum*, ſub *circumſtantiis* plane *ſingularibus* prolatum, *Lucae* Evangelio privum ac proprium, & denique *alio* quodam *allegato*, eidem ſapientiſſime intexto, ditatum; Poſtquam ſcilicet memoraſſet Lucas Cap. III. 22. grande illud Phænomenon ad Jordanem, *deſcendentis* nim. ſuper JEſum, cum baptizaretur, *Spiritus Sancti*, Cap. IV. 1. autem, quod JEſus, *Spiritu S.* plenus à Jordane reverſus, ab eodem *Spiritu* actus

f) Etiam hoc *Allegatum* ex Diſp. deſcriptum eſt, quæ 1760. prodiit, niſi quod partem ultimam de Applicatione Dicti prophetici paulo uberiorem ex *Msto* dedimus. Ob circumſtantias allegationis in Tractatione illuſtratas etiam Textus Matthæi plenior præponi debuit.

actus fuerit in desertum, & ejusdem Cap. v. 14. 15. quod *in virtute Spiritus* e deserto reversus sit in *Galilaeam*, quodque in Synagogis ejus docuerit, hoc quidem eventu, ut glorificaretur ab omnibus, nostram mox subjungit historiam, quod videlicet JEsus *Nazarethum* quoque venerit, ubi enutritus fuerat, & pro more suo *die Sabbathi Synagogam* intraverit, in eaque *surrexerit* ad legendum, & ex Libro *Esaiae*, à *Ministro* Synagogæ ipsi porrecto, locum hunc non *praelegerit* modo, sed etiam *in se impletum esse* testatus sit hoc Epiphonemate: *Hodie impleta est haec Scriptura in auribus vestris!* Itaque I. ad circumstantias hujus Allegationis plane singulares animum advertimus; ubi 1) *allegans* est *Christus ipse*, qui Allegato hoc, sibi vendicato, post inaugurationem ad Jordanem, & præparationem in deserto, publice ac solenniter civibus suis Nazarethanis sistere se voluit, ut *Messiam à Prophetis praedictum*, & ab *Esaia* inprimis descriptum *Summum DEIque Spiritu plenum Evangelistam de Cœlo*. 2) vel maxime notari meretur *tempus*, quo hæc contigerunt; *Lucas* generatim ἡμέραν τῶν σαββάτων nominat, incidisse autem simul in istud Sabbathum *diem Expiationis* quo incipere solitus erat annus jubilæus Lev. XXV. 9. B. BENGELIUS probat *in Ord. Temp.* p. 253. f. & *in Harm. Evang.* p. m. 113. §. 32. quæ annotasse, deinceps juvabit.

§. II.

3) Quum v. 16. Christus in Synagoga *surrexisse* dicitur *ad legendum*, illustranda hæc sunt *ex Antiquitatibus Judaicis*; Habebant scil. Synagogæ Judæorum suos *Lectores*, quorum erat, *Legem* & *Prophetas* in Synagogis, *stantes, non sedentes*, [g]) prælegere; neque hæc functio erat stata & ordinaria pars muneris *unius personae*, sed a quolibet habili viro, ad Archi-Synagogorum arbitrium, libere potuit exerceri. [h]) Divisa erat hoc fine *Lex*, seu Pentateuchus, in *Paraschas*, sive *Sectiones*, singulis vero Paraschis respondebant singulæ *Haphtharae*, sive *Lectiones Propheticæ*, ita dictæ quasi *Missae*, sicut earum Lector *Maphthir*, dimissor, quod iis lectis populus dimittatur, quas una cum Paraschis in peculiari לוּחַ seu *tabula* aut indice exhibere solent Biblia Judaica. Non autem *unum eundemque* semper fuisse Lectorem Paraschæ & Haphtharæ, sed hunc ab illo maximam partem distinctum, itidem ex ipsorum Hebræorum monumentis constat. [i]) Unde nec hic *de Christo* legimus, quod surrexerit ad legendam Sectionem *Legis*, sed *Haph-*

g) Vid. VITRINGA de Synag. Vet. p. 980. n. 2.
h) Vid. *idem* cit. libro p. 947.
i) ibid. p. 991. f.

Haphtharam. k) Lecta vero hac non ſemper populum continuo dimiſſum fuiſſe, ſed Prophetarum lectionem ſæpius excepiſſe *concionem*, ab ipſo Haphtharæ lectore, aut alio quodam, habitam, pariter nullum eſt dubium. l) Haud itaque mirum, Chriſtum lectioni propheticæ ſubjungere potuiſſe *explicationem iſtius textus prophetici*; Quo & pertinet, quod Act. XIII. 15. legimus, ſcil. poſt peractam Legis & Prophetarum lectionem Archiſynagogos Paulum & Barnabam *ad concionem habendam* invitaſſe. 4) Quum Lucas ℣. 17. *volumen Eſaiae Prophetae* Chriſto *datum* fuiſſe perhibet, ſubaudiendum eſt, factum id eſſe ὑπὸ τοῦ ὑπηρέτου, a miniſtro Synagogæ, חַזָּן הַכְּנֶסֶת, cujus inter alia fuit, Librum Legis ex arca depromere, & finita lectione in eadem recondere, huic enim Chriſtus ℣. 20. *reddidiſſe* librum dicitur. m) Ceterum quando SUIDAS *in Lexico* ſub voce Ἰησοῦς, hinc colligit, Chriſtum *Sacerdotem* fuiſſe, quia ſcil. populo non licuerit, enarrare S. literas, inſignem h. m. rerum Judaicarum imperitiam prodit, cum & alii ex Iſraël, qui non erant Sacerdotes, imo ne quidem *Levitae*, ad lectionem publicam in Synagogis admiſſi fuerint, contra vero nemo ex alia tribu, quam Levitica, Sacerdos eſſe potuerit; Chriſtus autem erat ex tribu *Juda*.

§. III.

5) Verbum ἀναπτύξας ℣. 17. & πτύξας ℣. 20. quorum *illud* proprie ſignificat *revolvere* ſeu explicare volumen convolutum, *hoc* vero, illud iterum *convolvere*, nos admonet de *forma* librorum iſtius ætatis. Conſtabant ſcil. libri Legis & Prophetarum ex membranis vitulis, in longitudinem ad aliquot ulnarum ſpatia conſutis, quæ conſcriptæ erant charactere polito quidem, ſed craſſiore, ab utraque autem extremitate ſua annexæ duobus lignis tornatis, quæ inſerviebant *partim* tollendo ac ferendo volumini, *partim* convolvendo & complicando circa illa tamquam cylindrum aut axem ligneum, partim revolvendo eidem & explicando, n) hinc phraſis מְגִלַּת – סֵפֶר Pſalm. XL. 8. Obſervaſſe hoc juvat contra RICH. SIMONII ἕυρημα, antehac inauditum, quaſi *ſparſis ſchedis* inſcripta fuerint oracula ſacra, circumvolutis cylindro, quæ, dum ſæpe, poſtulante uſu, volverentur ac revolverentur, ita invicem ſint *permiſtae*, ut quid *primo*, quid *medio*, quid *ultimo* loco ponendum ſit, parum hodie conſtet. Utique circum-

k) Ceu ex eo recte colligitur, quod v. 17. Miniſter ſurgenti Chriſto volumen *propheticum* porrexiſſe dicitur, non volumen *Legis*.
l) VITRINGA id probatum dedit c. l. p. 994. ſ.
m) Conf. idem p. 889. ſſ. ubi prolixe diſſerit de Miniſtris Synagogæ.
n) Vid. idem p. 200.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0307
DFG

cumvoluta erant cylindro volumina sacra, eum in modum, quo hodienum in Synagogis Judæorum conspiciuntur, sed *schedas sparsas* circumvolutas nemo umquam vidit; Integræ potius partes S. Scripturæ, v. g. Jesaiæ Prophetia, inscriptæ erant membranis ad justam usque longitudinem consutis. 6) Ad verba com. 17. ἕυρε τὸν τόπον, notamus a) præter rem τὸ· ἕυρε a quibusdam ita intelligi, ac si Christus volvendo revolvendoque *data opera* locum hunc *quaesiverit*, sicque *invenerit*, o) cum potius *illico & quasi fortuito*, p) Libro vix aperto, in eum incidisse videatur, mox lectioni *ordinariae* ex Cap. Jesaiæ LVIII. quæ erat *matutina die Expiationis*, illum a se jungendum esse judicans, ut ansam haberet, annum gratiæ promulgandi. b) Videri posset *latinismus* esse, quum Periocha Jesaiana a Christo allegata, τόπος appellatur, q) & magis græce Lucas videtur dicturus fuisse περιοχὴ, ut Act. VIII. 23. aut περικοπὴ, quo vocabulo JUSTINUS M. & HIERONYMUS Græcorum exemplo usi sunt; Sed recte observat GROTIUS, *Plutarchum* aliosque *Graecos* auctores itidem hac dictione uti, cui apud alios respondeat vox χωρίον.

§. IV.

Quod jam 7) ipsum locum ex Jesaia hic allegatum attinet, notandum est, Textum hunc propheticum numquam inter Haphtharas ordinarias relatum fuisse, sed Christum, cum lectionem matutinam *Diei Expiationis*, (seposita pro more lectione Sabbathica, r) ex Jesai. LVII. 13. LVIII. 14. recitasset, mox eidem subjunxisse e Cap. LXI. 1. 2. hanc pericopam, quem utrumque textum Lucas deinceps eleganter contexuit, ex Haphthara diei Expiationis & quidem Jesai. LVIII. 6. textui C. LXI. verba quædam inserens, ut infra docebimus. 8) Quum Christus v. 20. lecta Haphthara, textuque alio, paullo post subsequente, & libro τῷ ὑπηρέτῃ reddito, *consedisse* dicitur, eo ipso significavit, se non modo *surrexisse* ad *legendum*, sed etiam nunc *sedere* ad *docendum* vel *concionandum*; Licet enim potestas concionandi *Archi-Synagogis* primario competeret, eos tamen haud solos hoc officio

o) Sic VITRINGA c. l. p. 999. sub fin. Christum, ait, *inquisito* Jesaiæ loco, qui exstat C. LXI. 1. s. unum inde alterumve versum prælegisse. Similiter GUIL. SURENHUSIUS Βίβλῳ Καταλλ. p. 341. pro certo adfirmat, JEsum peculiarem locum sibi competentem *quæsiviisse*, ut Judæis ostenderet, huncce locum de ipsius persona agere; nec abludit I. R. RUSIUS Harm. Ev. T. I. p. 527. *incidit*, inquiens, *in illum vatis locum, invenitque, quem quæsivit.*

p) Uti BENGELIUS in Gnom. ait.

q) Velut CICERO & TERENTIUS *locum libri* aliquoties dicunt.

r) Vid. BENGELII Ordo temporum p. 254. & VITRINGA c. l. p. 986.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0308
DFG

officio in Synagogis functos esse, sed idem magna libertate *quibusvis Doctoribus* concessum fuisse, e Scriptis Judaicis testatissimum dederunt viri in iisdem versatissimi s), & hæc ipsa concionandi libertas Christo & Apostolis tam sæpe in Synagogis concionandi copiam fecit. Putamus, optime sic componi posse illam Eruditorum litem, quando disceptant, an Christus *lectoris* vices hic obierit, an *concionatoris* t). *Lectorem* egisse Christum, non modo concionatorem, recte colligitur ex eo, quod v. 16. 17. *surrexisse* dicitur ἀναγνῶναι, ad *legendum*, quodque, annuente sine dubio Archi-Synagogo, traditus ei hoc fine fuit liber Prophetæ Jesaiæ, non sane ut legeret, quidquid vellet, sed ut legeret Haphtharam, Festo Expiationis destinatam; Postea vero Christum etiam *Concionatorem* egisse, merito arguitur *tum* ex eo, quod Lectione prophetica stando peracta, *consedit* v. 20. *sedere* autem in Synagogis Doctorum erat non Lectorum, *tum* inde, quod v. 21. expresse dicitur: ἤρξατο λέγειν neque enim tota concio iis solummodo verbis, quæ comm. 21. exstant, constitisse censenda est, cum versus 22. clare innuat, largissime Illum fudisse λόγες χάριτος; Addimus e VITRINGAE loco citato, licuisse Prophetarum Lectoribus ab uno Textu ad alium transilire, ac viginti & unius versuum, ordinarie prælegendorum, si concio haberetur, nullam habitam fuisse rationem, & conciones cum lectionibus propheticis subinde conjunctas fuisse. 9) Denique monendum est, *attentionem* auditorum Christi v. 20. laudatam, non modo e *consuetudine*, quæ in Synagogis obtinuit, sed etiam e v. 14. 15. derivandam esse, h. e. ex eo, quod *fama* de doctrina Ejus, alibi locorum in Galilæa *omnium applausu* excepta, animos Nazarethanorum in anteceſſum magna de Oratore hoc existimatione impleverat.

§. V.

Ordo jam II. postulat, ut *ipsa Textus graeci* verba cum Textu *hebraeo* conferamus, & si opus sit, conciliationem utriusque tentemus. 1) Verba initialia: πνεῦμα κυρίε ἐπ' ἐμὲ, cum verbis textus hebræi רוּחַ אֲדֹנָי יְהוִה עָלָי, satis exacte conspirant, hoc uno excepto, quod *Lucas* duplex nomen Dei, *Adonai Jaehovi*, uno Κυρίε nomine exprimit, & sequens *Jehovah* plane omittit, ubi SURENHUSIUS u) præter rem confugit ad veterum Hebræorum morem, qui, prolixiora Scripturæ verba citantes, abbreviare illa sueverint; Id enim non Hebræis tantum, sed omnis generis Scriptoribus

s) e. g. VITRINGA c. l. p. 704.
t) Vid. idem p. 1000. SURENHUSIUS B. K. p. 340. s. WOLFIUS in Cur. p. 608.
u) B. K. p. 342.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0309
DFG

in more est, neque *Lucas* sic abbreviavit, sed verba modo exhibet, prout apud *LXX.* illa invenit; Christus autem absque dubio integrum textum hebraicum prælegit. Ceterum phrasis, qua *Spiritus S. esse dicitur super aliquem*, omnium primo occurrit, Num. XI. 25. ubi agitur *de Spiritu, qui super Mosen erat*, communicando cum Senioribus Israëlis; Significat autem illa, Spiritum S. instar columbæ aliquem expansis quasi alis tegere & obumbrare, totum occupare, obsidere, & tamquam in loco quietis tenaciter ei adhærescere x); *Ezechiel* y), mutata phrasi, passim dicere solet, *manum Dei super se fuisse*, qui enim a Spiritu Dei eum in modum afficiebantur, toti hoc tempore erant in potestate Dei & Spiritus Ejus, arcte ab Ipso circumscripti, nec ulla ex parte sibi relicti. In *Christo* autem ratio subjecti hoc prædicatum in omni sua emphasi sumere jubet, ita, ut designet *partim* collationem Spiritus S. majori præ omnibus Prophetis ac Sanctis mensura, Ps. XLV. 8. coll. Ebr. I. 9. imo sine mensura, Joh. III. 34. *partim*, quod Spiritus ita super Christum sit, ut nemo hujus doni evadere queat particeps, nisi *per Ipsum*, *hujus* enim est, dare suis *oleum* lætitiæ v. 3. Act. II. 33. Nimis igitur angusta est *Paraphrasis Interpretis Chaldaei*, Textum sic vertentis: *Spiritus Prophetiae a coram Jehova Deo est super me*, quod *Judaei & Grotius* avide arripiunt, ut verba *in Esaiam* eo melius quadrent; Longe *plura* Spiritus S. *dona* hanc phrasin complecti, e contextu & locis parallelis Esai. XI. 2. XLII. 1. ff. manifestum est.

§. VI.

2) Verba: ἕ εἵνεκεν ἔχρισέ με, optime respondere ebraicis: יַעַן מָשַׁח יְהוָה אֹתִי vix dubitari posset, nisi negotii nonnihil faceseret particula יַעַן, quam Lucas cum LXX. reddidit ἕ εἵνεκεν; Qu. enim a) an ista vertenda sit, *propterea*, *darum*, uti *Lutherus* in Esaia interpretatus est, quo pacto τὸ· esse Spiritus S. super Messiam esset *antecedens*, unctio ipsa *consequens*, illud *causa*, hæc *effectus?* an vero *propterea quod*, vel *eo quod*, weil *er mich gesalbet hat*, vel, dann *er hat mich gesalbet*, quasi dictum esset יַעַן אֲשֶׁר, non simpliciter יַעַן, qua ratione unctio Messiæ *rationem* contineret mansionis Spiritus Domini super Ipsum. *Prius* qui statuunt, adeoque *causam* unctionis faciunt, quod Spiritus Jehovæ erat super Eum, ii, ne tautologiam admittere necessum habeant, *vel* duplicem ab Esaia innui putant unctionem, *primam* quidem, quæ in Incarnatione Messiæ facta sit, *alteram* vero, quæ in Baptismo, qua ratione sensus hic foret: quia Spiritus Domini super me

x) Verba damus VITRINGAE in Comm. ad Esai. P. II. p. 823. col. b.
y) Cap. I. 3. III. 14.

me est, jam ab incarnatione mea, in qua humana mea natura uncta fuit illo invisibiliter, propterea visibiliter quoque in Baptismo ad Jordanem unxit me; *vel* τὸ ἔχεισε non accipiunt de collatione donorum Spiritus S. sed *de eo*, cujus ergo facta est illa, scil. de ipsa *muneris impositione* actuali, ut sensus sit: quia super me est Spiritus Domini, propterea *unxit*, i. e. ordinavit, vocavit, instruxit & misit me &c. At cum tota pericopa Christum sistat ut munere suo prophetico *actu fungentem*, & ipsa Textus *phraseologia* satis innuat, primum de *statu uncti*, deinceps de *actu unctionis* sermonem esse, quem ille status præsupponit, malumus nos quidem cum iis facere, qui *posterius* assumunt, quod scil. unctio allegetur pro causa, cur Spiritus S. super eo sit, adeoque יַעַן reddendum putant, *propterea quod*, in sensu causali non illativo, α) quoniam non modo יַעַן אֲשֶׁר significat *eo quod*, vel, *quia*, ut v. g. Gen. XXII. 16. & יַעַן כִּי Jes. XXIX. 13. sed etiam יַעַן simpliciter positum, e. g. Ezech. V. 11. Num. XX. 12. & per pleonasmum emphaticum יַעַן וּבְיַעַן Ezech. XIII. 10. β) quia sic verbum ἔχεισε ordinariam suam significationem retinet, qua denotat *actum ungendi*, cui in antecc. respondet *status*. Ast, inquis, sententia: Spiritus Domini est super me, per accentum distinctivum *atnach* separatur à seqq. Respondet VITRINGA.[z]); Masorethas posuisse hic Atnachum, quod alio loco eum figere non potuerint, cum reliqua sic cohæreant, ut divelli à se invicem nequiverint; Solere autem illos hunc accentum passim in omnia commata inducere (paucis exceptis) ac proinde sæpius locare in ejusmodi membris, quibus distinguendis minores distinctionum notæ sufficerent. Si jam b) quæratur: num τῷ יַעַן ita sumto in textu græco bene respondeat phrasis ἕ ἕνεκεν, recte respondetur, & hanc non modo notare *quapropter*, sed etiam *quia* vel *propterea quod*, adeoque non *consequentis* tantum, sed etiam *antecedentis* notam esse, unde LXX. illud adhibent Gen. XXII. 16. ubi יַעַן אֲשֶׁר, & Num. XIV. 43. ubi יַעַן כִּי עַל כֵּן vertendum erat, quorum utrumque notat *propterea quod*; Observat etiam BENGELIUS in Gnom. ad h. l. *Ammonio* ἕνεκα idem esse quod ὅτι.

§. VII.

3) Ad verba: εὐαγγελίσασθαι (ita enim legendum, non εὐαγγελίζεσθαι, partim ob consensum *Codicum*, partim ob sequentes *aoristos*) πτωχοῖς, notamus a) dissentire Interpretes, an *construi* debeant illa cum *antecedentibus*, an cum *sequentibus*? sive, an interpunctio ponenda sit statim post

z) Comm. in Jes. p. 823. col. a.

post ἔχειτε, an vero post πτωχοῖς, ita ut ἀπέσταλκέ με regat sequentes duntaxat infinitos, ἰάσασθαι-κηρύξαι-ἀποστεῖλαι-κηρύξαι. Nobis *accentuatio* ebraica omnino poscere videtur, ut εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς ad ditionem verbi ἔχειτε, non autem verbi ἀπέσταλκε referamus; Accedit *auctoritas* Paraphrastæ Chaldæi, Interpretis Syri, Tertulliani &c. Altera vero interpunctio sine dubio originem debet versioni Alexandrinæ, quæ istam hodie habet in omnibus Editionibus, excepta *Hervagiana*, e quibus & *Hieronymus* forte illam didicit, nec non *B. Lutherus* noster. b) Hebræum בָּשַׂר recte verti per εὐαγγελίσασθαι, quivis agnoscet, qui considerat, verbum istud apud *Jesaiam* nunquam non *de bono ac laeto nuncio* usurpari, vid. Cap. XL. 9. LII. 7. & profecto, quantum interfit inter id, quod Hebræi vocant הִגִּיד *nunciavit, indicavit*, & בִּשֵּׂר, *bona & optata nunciavit*, edocere nos potest insignis locus 2 Sam. IV. 10. ubi הַמַּגִּיד & מְבַשֵּׂר expresse distinguuntur, הַמַּגִּיד, inquit David, mortem Saulis mihi *nuncians*, visus sibi est esse מְבַשֵּׂר, bonus nuncius, sed occidi illum, cui videbar בִּשֹּׂרָה præmium, debere pro bono nuncio [a]) c) Hebræum עֲנִיִּים, tam LXX. quam Lucam recte vertisse πτωχοῖς, etsi alias עָנִי significet *mansuetum*, עָנִי autem *pauperem*, ex eo liquet, quod utraque vox verbum עָנָה, *afflixit*, pro radice agnoscit, & Scriptores sacri utraque ad designandum tum *mansuetum* tum *pauperem* promiscue utuntur, quos enim v. g. *Jesaias* עֲנִיִּים vocat C. II. 4. eosdem C. XLIX. 13. עֲנִיָּיו adpellat. De utraque voce cf. etiam supra *Alleg.* XXIII. §. IV.

§. VIII.

4) Verba: ἀπέσταλκέ με ἰάσασθαι τὰς συντετριμμένας τὴν καρδίαν, iterum exacte referunt hebraica illa: שְׁלָחַנִי לַחֲבֹשׁ לִנִשְׁבְּרֵי-לֵב, excepto *uno*, quando scilicet לַחֲבֹשׁ, quod proprie sonat *obligare*, (vulnus scil.) exprimitur per ἰάσασθαι, quod est *sanare*. At quantulum est hoc discrimen? Textus Hebræus exprimit *antecedens*, Græcus *consequens*, per metonymiam consequentis pro antecedente; Messias certe *obligavit* contritos corde, cum effectu *sanationis*, missus ad hoc ipsum a Patre, recte ergo emphasin textus hebr. sic expresserunt LXX. nec erat, cur eos hic desereret Lucas, sicut in seqq. ubi pro καλέσαι ponit κηρύξαι, ab iis recessit. Ceterum nec hoc præte-

a) Vocabula, εὐαγγέλιον, & εὐαγγελίζεσθαι profanis quoque Scriptoribus in usu esse, I. A. FABRICIUS docet *Bibl. Gr.* L. IV. p. 127. & ER. SCHMIDIUS in *Annott.* ad N. T. p. 3.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0312
DFG

præterire fas est, quod totum hoc incisum, ἰάσασθαι-καρδίαν, Codices haud pauci, nec non Versiones quædam ac Patres plane omittant, ceu videre est in BENGELII *App. Crit. ad h. l.* unde & GROTIUS b) probabilius esse judicat, additam esse hanc particulam textus ex *Jesaia* & LXX. Intt. quam ab aliis Exscriptoribus omissam, cum præsertim Scriptores N. T. sæpe Prophetarum verbis utantur ea libertate, ut verba quædam in medio omittant, id quod eo minore sensus damno fieri hic potuerit, quia Propheta variato sæpe loquendi genere rem eandem exprimat. Enimvero rectius alii tuentur ἀυθεντίαν horum verborum α) quoniam ipsa illa adparens tavtologia in hoc textu omissionem horum verborum Librario sciolo facile persuadere potuit, β) quia lectioni receptæ favent multi Codices, quin & Versiones ac Patres omnibus Codicibus antiquiores c), γ) quia Textus Hebræus & LXX. illam habent, quos Lucam ob oculos habuisse e totius Allegati tenore liquet.

§. X.

5) Sequitur in textu: κηρύξαι αἰχμαλώτοις ἄφεσιν, hicque observamus a) ebræum לִקְרֹא bene ac emphatice exprimi per κηρύξαι, quia קָרָא sæpe etiam in significatu *proclamandi* sumitur, e. g. Lev. XXV. 10. Dan. III. 4. b) לִשְׁבוּיִם propriissime redditur per ἀιχμαλώτοις, quia utrumque *captivos* notat. c) Hebraicum דְּרוֹר, quod *libertatem*, oppositum captivitatis, significat, LXX. & cum iis Lucas optime reddiderunt per ἄφεσιν, *dimissionem*, Loslassung, quemadmodum & libertas *anno jubilaeo* proclamanda vocatur ἄφεσις c. l. Lev. XXV. ubi in hebræo pariter est דְּרוֹר. Hæc plana sunt & facilia, quum autem 6) additur: καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, hærere video Interpretes in concilianda hac versione τῶν LXX. & Lucæ cum textu hebræo: וַלַּאֲסוּרִים פְּקַח-קוֹחַ, nam dubio procul אֲסוּרִים sunt *vincti*, seu vinculis constricti, in carcere, atque sic vi oppositi פְּקַח-קוֹחַ erit *apertura carceris*, qui ergo Lucas cum LXX. *vinctis* substituere potuit *cæcos*, & *aperturae carceris recuperatum visum?* Incipiamus a voce פְּקַח-קוֹחַ: Sunt a) qui existiment, compositam esse hanc vocem ex duabus, פָּקַח, *aperuit*, & קוֹחַ, *carcer*, a לקח *capere*, ut *vel* sit nomen, denotans *aperturam carceris* d), *vel* verbum nomini junctum: *aperi carcerem* e), e quibus etymologiis *prior* Vitrin-

b) Consentiente MILLIO ad h. l. & in Proleg. §. 415.
c) Vid. BENGELII *App. Crit.* ad h. l.
d) Quod RUSIO placere video Harm. Ev. T. I. p. 532.
e) Quæ sententia apud IARCHIUM & KIMCHIUM legitur.

tringæ recte videtur probabilior [f]); nihilo tamen minus tueri se nequit, ideo, quia nullo probari potest testimonio, קוֹחַ significare carcerem. Præstat igitur b), cum ABEN-ESRA, GROTIO [g]), CALOVIO, VITRINGA, aliisque statuere, פְּקַח – קוֹחַ *unam* esse *vocem* thematis originarii פָּקַח, duabus radicalibus posterioribus emphaseos causa geminatis, ut, si פָּקַח notet *aperturam*, פְּקַח – קוֹח valeat *aperturam plenissimam*, *omnimodam*, cujus geminationis, epitasin facientis, exempla haud pauca suppeditat GLASSIUS [h]). At, inquis, פָּקַח & קוֹחַ *cum hiatu* scriptum est, adhibito vinculo *makeph*, quod nonnisi ad duas voces distinctas in unam pronunciationem conjungendas adhiberi solet, Ergo קוֹחַ non fit per meram repetitionem duarum radicalium thematis פָּקַח, sed vox est plane a priori diversa; R. speciem habiturum esse hoc dubium, si nullus nobis suppeteret Scripturæ locus, ubi repetitæ radicales per *makeph* cum radice conjungerentur; Extat autem talis Jer. XLVI. 20. ubi יְפֵה – פִיָּה, *pulcherrima*, cum *makeph* scriptum est, & KIMCHI recte annotat: *nomen hoc scribitur ut duae dictiones, significatio autem tamquam unius est, & secunda ac tertia radicalis geminatae sunt ad summam pulchritudinem indicandam.* Putem sane, hunc locum rem omnino conficere, ut pro certo statuere liceat, פְּקַח – קוֹחַ hic denotare *omnimodam & plenariam apertionem;* Num vero *carceris*, uti vox אֲסוּרִים, *vinctis*, innuere videtur, an *oculorum*, de quibus LXX. & Lucas exponunt? Observemus sequentia: Si quis expendere velit loca, ubi verbum פָּקַח occurrit, deprehendet, illud non significare *quamvis aperturam*, ut פָּתַח, sed *saepissime* eam, quæ *ad oculos* pertinet, *semel* istam, quæ ad *aures*; acutum videntes vel audientes dicuntur habere oculos seu aures נִפְקָחִים, vid. Esai. XXXV. 5. XLII. 20. Hiob. XXVII. 19. Ps. CXLVI. 8. Gen. III. 5. Exod. IV. 11. Recte proin LXX. פְּקַח – קוֹחַ interpretati sunt ἀνάβλεψιν, ad indicandam plenissimam libertatem, oculos huc & illuc, qua lubet, circumferendi, indeque etiam, ut continuarent metaphoram, non minus recte לַאֲסוּרִים verterunt τυφλοῖς, ita tamen, ut per *cæcos* non tam intelligerent eos, qui proprie oculo-

f) Comm. in Esai. P. II. p. 825. col. a.) ab initio.

g) Qui tamen in Annott. ad Esaiam refutat, קוֹחַ derivans e lingua *Chaldaica*, ubi קִיחָה *lorum* designet, quo vinciri soleant captivi, unde hoc loquendi genus credibile sit sumsisse Esaiam, quod de ea captivitate ageretur, quæ per *Chaldæos* facta est. Hoc scilicet! tibicine opus erat ad firmandam hypothesin de reditu ex Captivitate Babyl. hic prædicto.

h) Philol. S. Ed. Budd. p. 588. f. quibus addi potest ex Prov. XXI. 8. הַפַּכְפַּךְ, *maxime volubile, versatile*, & ex Ps. XXXVIII. 11. לִבִּי סְחַרְחַר, cor meum *valde circumit, seu palpitat.*

oculorum cœcitate laborant, quam illos, qui tenebricoso carceri inclusi tam sunt in tenebris, & tam non vident, ac ii, qui vere cœci sunt, ita sane Jesai. XLII. 7. eodem significatu ponuntur οἱ τυφλοὶ & οἱ δεδεμένοι, ac Jesai. XLIX. 9. οἱ ἐν δεσμοῖς & οἱ ἐν σκότει· *Captivi* dicuntur *cœci*, ut Latinis *cœci* oculis *capti*, quia tam illis quam his *liber* non est oculorum usus. Atque hæc sufficere arbitror ad vindicandam τῶν LXX. & Lucæ translationem, ut adeo non opus sit, cum SURENHUSIO i) eo confugere, quod Lucas, pro more veteribus Ebræorum Theologis recepto, loco primario ex Jesai. LXI. 1. verba quædam ex alio, qui exstet Jesai. XLII. 7. inseruerit, fortioris probationis & illustrationis ergo; Licet enim posterior hic locus omnino parallelus sit, eum tamen cum altero illo in unum conflare voluisse Lucam, eapropter non est verisimile, quia α) Evangelista prorsus hoc modo neglexisse censendus esset verba: *& vinctis apertionem*; β) quia cum hisce versio græca: καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, facile conciliari potest, ut modo ostendimus; γ) quia LXX. quoque hebræa eodem modo verterunt ut Lucas, hunc autem illos nec hic, nec ullibi alias respexisse, ac in allegationibus suis secutum esse, SURENHUSIUS absque idonea ratione & contra omnem evidentiam supponit k).

§. X.

Quid autem 7) sentiendum est de verbis: ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει, quibus non modo in Textu hebræo nil respondet, ubi *versus* 1. finitur voce פְּקַח־קוֹחַ, & 2dus infit verbis: לִקְרֹא שְׁנַת־רָצוֹן, sed quæ etiam in LXX. virali desiderantur? a) Omnium minime audiendus hic est GUIL. WHISTONUS, qui ex eo, quod Lucas hæc verba habeat, temere colligit, extitisse primitus aliquid iis respondens in textu hebræo, Judæorum fraude postea expunctum; Frustra enim hæc tantum verba suffurati essent e textu, quem Christus *totum* sibi asseruit; Cedat iis hæc particula textus in prædam, reliqua certe sufficiunt, ut Christum in iis agnoscamus, vivis coloribus depictum. Sunt b) qui cum BEZA, DRUSIO & CLERICO, abundare hæc verba putent, forte adscripta olim ex Jesai. LVIII. 6. ad Editionem τῶν LXX. ac inserta deinceps contextui Lucæ; sed gratis hæc & sine ulla ratione dicuntur, tum demum speciem habitura, si nullo modo ostendi possit, Christum ipsum hæc verba Allegato ex Jesai. LXI. intexuisse; contrarium paullo inferius demonstrabitur. Sunt c) qui cum SCHICKARDO nostro l), HUMPHR. PRIDEAUX m), LEUSDE-

i) B. K. p. 343.
k) Vid. VITRINGA c. l. p. 825. n. A.
l) In *Bechinat Happeruschim* p. 21.
m) In der Connexion A. und N. T. P. II. p. m. 665.

NIO n), & BARTOLOCCIO o) asserant, Lectionem hanc Sabbathinam Christi Domini apud Lucam nec *hebraeo* nec *graeco* textui congruere, sed potius *Chaldaeo*, unde probabile sit, ex aliquo tunc extante & vulgo intelligibili *Targum* a Christo recitatam fuisse; Ast nec hoc effugio opus est p). Sunt d) qui cum SURENHUSIO c. l. verba: *ad dimittendum contritos in remissione*, vel a *Jesu* vel ab *Evangelista* desumta putant e loco Jesaiæ XLII. 7. at frustra nobis recurrere videntur ad locum, ubi sensus quidem horum verborum latet, sed non verba & phrases, nam pro τεθραυσμένους ibi legimus δεδεμένους, & pro ἀποστεῖλαι ἐν ἀφέσει, ἐξαγαγεῖν ἐκ δεσμῶν. Melius longe e) calculos suos subducunt, qui verba, de quibus anquiritur, petita existimant ex Esai. LVIII. 6. quamvis in eo sibi haud constent, an *à Luca* demum, an *ab ipso Christo* oraculo *Capitis* LXI. inserta censeri debeant? α) VITRINGA q) opinatur, *Lucam* demum hæc verba adjecisse ex Es. LVIII. cum scil. videret, Esaiam una phrasi: *& vinctis apertionem*, suggerere nobis voluisse notiones duorum beneficiorum, nimirum per vocem פְּקַח־קוֹחַ beneficium *aperturae oculorum*, & per vocem אסורים beneficium *aperturae carceris*, quarum notionum *primam* saltem apud LXX. invenerit, adscripsisse illum hæc verba ad perfectiorem dicti intelligentiam; At vero, etiamsi haud negemus, Scriptores N. T. ubi *ipsimet* dictum aliquod V. T. excitant, quandoque illius verba paululum immutasse, vel & addidisse nonnihil, ut ne Interpretes tantum ac meri Translatores essent, sed etiam Exegetæ simul, sicque ipsa eorum versio claritatem novi testamenti referret, id tamen iis in Allegatis obtinere haud putamus, quæ *Christi* sunt, & ab ipsis historice tantum referuntur, si enim *his* explicationis gratia quædam verba inseruissent, quæ Is, quem loquentem inducunt, non est locutus, fecisse credendi essent, quod *Historici* non est. Propius igitur β) a vero absunt, LIGHTFOOTUS r), WOLFIUS in Cur. ad h. l. aliique, qui *ipsimet Christo* adscribunt combinationem loci Jesai. LVIII. 6. cum loco Jesai. LXI. 1. 2. sed desideramus in iis, quod nullam aliam facti hujus rationem allegare potuerint, quam *vel* istam *generaliorem*, quod aliis quoque exemplis N. T. constet, Christum & Apostolos nonnunquam oraculis V. T. quæ citabant, quædam ex aliis locis, illustrandi causa, addere sueviss-e, quæ WOLFII ratio est, *vel* etiam, ut LIGHTFOOTUS, *specialiorem* hanc, quod Christus hæc addiderit, ut explicaret, quæ in antecc. Jesaias dixe-

rat

n) In Philologo Hebræo-mixto p. 35.
o) T. I. Biblioth. Rabbin. p. 410.
p) Vid. CARPZOVII *Critica S.* p. 476. & WOLFIUS *in Cur.* ad h. l.
q) Loco supra cit. p. 825. not. A.
r) Harm. Ev. p. 483.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0316
DFG

rat de visu vinctis restituendo; Mirum sane, nemini horum Eruditorum, qui tam prope ad veritatem accesserunt, in mentem venisse, quod B. BENGELIO in mentem venit, Christum scil. hæc verba ex Jesai. LVIII. 6. addidisse, quia particula erant *Haphtharae*, *Festo Expiationis praelegi solitae*, ubi Textus græcus ipsissima hæc verba habet: ἀπόστελλε τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει. Eleganter enim h. m. contexuit Haphtharam ordinariam illius Festi cum textu extraordinario, qui, legenti *illam* e volumine, simul in oculos incurrit, quemque eidem subjecit, ut ἄφεσιν israëliticam Jes. LVIII. adcommodaret ad ἄφεσιν per Messiam, Jes. LXI. Audivistis, inquit, ἄφεσιν, liberam dimissionem eorum, quos vel injuste oppressistis, vel etiam debito vobis obstrictos crudeli exactione divexastis, postulare a vobis Deum, at quantillum hoc est, si comparetur cum ἀφέσει, quam Ego jam vobis prædico.

§. XI.

8) Verba: κηρύξαι ἐνιαυτὸν κυρίου δεκτὸν, bene respondent ebraicis: לִקְרֹא שְׁנַת־רָצוֹן לַיהוָה; cum enim לִקְרֹא nimis presse a LXX. redditum esset per καλέσαι, Lucas emphasin verbi קָרָא, quod etiam *proclamare* significat, ut supra monuimus, plenius exprimere voluit verbo κηρύξαι. Quæritur autem, quid per *Annum Gratiae* intelligendum sit? a) Secundum communem sententiam is designat *totum tempus N. T.* quo Deus O. M. suam ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίαν seu complacentiam liberalissime demonstrat [s]); *Annum* autem hoc omne tempus dici existimant, non ob annuum præcise spatium, sed, si quæ emphasis lateat in voce, *annus*, illa ipsis petenda videtur ex similitudine cum *anno Hebraeorum Jubilaeo*, ad quem alludat heic Propheta, adeo, ut phraseologiam quoque suam in hoc loco mutuetur *ex lege de Jubilaeo* Lev. XXV. 9. 10. ubi (quod supra jam subindicavimus) in hebræo vox דְּרוֹר & in græco vox ἄφεσις de *libertate* promulganda, nec non verbum קָרָא de *promulgatione ipsa* usurpatur. Ultra hoc tertium comparationis vocabulum *anni* non urgendum esse, iidem probant ex eo, quia termini, *tempus*, *annus*, *dies*, alibi inter se permutentur, nam in loco Jesai. XLIX. 8. עֵת רָצוֹן, *tempus gratiae*, & יוֹם יְשׁוּעָה, *diem salutis*, idem esse, sicque etiam Jesai. XXXIV. 8. dici: quia *dies* erit vindictæ Jehovæ, *annus* retributionum, & C. LXIII. 4. quia *dies* vindictæ est in corde meo, & *annus* redemtorum meorum venit. His tamen non obstantibus *alii* [t]) b) stri-

 ctius

s) Ita SURENHUSIUS B. K. p. 344. s.
t) Ita I. R. RUSIUS Harm. Ev. p. 534.
u) Harm. p. 137.

ctius intelligi putant *tempus gratiae Judaeis conceſſum*, quo ſcil. Deus Filium ſuum ad populum ſuum rebellem miſerit, qui prædicaret ei, ſe cum ipſo in gratiam rediturum, ſi pœnitentiam ageret, & promiſſiones, Patribus de meſſia datas, in Jeſu Nazareno amplecteretur, ſin vero minus, certo certius venturum eſſe diem vindictæ; quo pacto *annus Gratiae* annis circiter LXX. conſtaret; alii c) annum gratiæ ulterius reſtringunt *ad tempus miniſterii Chriſti in terris*, triennium, & quod excedit, complectens, *in quo impletam eſſe* hanc prædictionem ipſe Chriſtus aſſerat v. 21. Alii denique d) ſtrictiſſime intelligunt *unum aliquem* ex tribus annis Miniſterii Chriſti; α) LIGHTFOOTUS exiſtimat, ſiquis hic deſignetur annus, optime intelligi *annum mortis Chriſti*, qui *annus Jubilaei* fuerit non tantum ſenſu ſpirituali, ſed etiam proprie. At ſi conſulamus *tabulam* annorum Sabbaticorum & Jubilæorum in BENGELII *Ord. Temp.* p. 415 - 423. patebit, anno ætatis Chriſti XXIII. qui erat Ae. Dion. XX. incidiſſe Jubilæum, non vero A. XXXIII. quo mortuus eſt. *Hic ipſe* x) propterea β) *de Anno 2do* Miniſterii Chriſti heic cogitat, ν) quia Chriſtus Scripturam de Anno Gratiæ *illo die* impletam pronunciat; Factum vero hoc eſt ineunte anno ſecundo miniſterii y) Ejus, adeoque annum gratiæ hic promulgaſſe cenſendus eſt, cum inciperet annus, quem Galilææ totum deſtinaverat. ג) *Galilaea* regio erat, cui lux magna locupletiſſime conſpicienda fuit, Jeſai. IX. 2. 3. Matth. IV. 15. ſſ. Luc. IV. 14. ſ. 31. ſ. Quemadmodum ergo *locum*, ejusque longitudinem & latitudinem adcurate notavit Jeſaias, ſic valde eſt veriſimile, eundem & *tempus* videndæ lucis elocutum eſſe. ג) Cum totum iſtum annum Galilææ, præſentia ſua colluſtrandæ, impenderit Jeſus, ita ut *Galilaeorum nomen* tunc ortum ſit, cum eandem tot præclaris Gratiæ ſuæ documentis impleverit, quæ *Matthaeus* deſcribit Cap. IV. 12. — XVI. 12. incluſ. *Marcus* Cap. I. 14 — VIII. 26. *Lucas* Cap. IV. 14 — IX. 17. *Johannes* Cap. VI. tot. is merito ſane ſingulari quadam ratione *annus gratiae* audit.

§. XII.

Quodſi autem jam e) dicendum ſit, quid nobis videatur in hoc ſententiarum divortio? epicriſis noſtra huc redit: α) *Jeſaias*, phraſeologia ſibi conſueta, per *annum Gratiae* procul dubio intelligit *primario* quidem *triennium* illud, quo Chriſtus officio ſuo in terris functus eſt, quia Meſſias in hoc vaticinio de eo proprie loquitur, quid Ipſe prædicaturus ſit? *Secundario* vero etiam *XL.* illos *annos*, a morte Chriſti usque ad Excidium Hie-

x) In Ord. Temp. p. 255. & Harm. Ev. Ed. 1. p. 112. ſ. 221.
y) Vid. Ordo Temp. 242.

Hierosolymitanum, quia *cum anno gratiae* jungitur *dies ultionis Jehovae*, qui sane adparuit in isto excidio, & quia Paulus adhuc 2 Cor. VI. 2. tempus inter mortem Christi & excidium Hieros. *tempus gratiae & diem salutis* vocat, allegato etiam *parallelo* Jesaiæ *loco* C. XLIX. 8. Quum autem β) secundum Opticam Spiritus Prophetiæ, *prospectus* Jesaiæ absque dubio ulterius se extenderit, ita ut cum anno gratiæ, quem e propinquo memorat, simul remote etiam *totum tempus N. T.* uti cum die ultionis in Excidio Hieros. omnia reliqua Judicia Dei usque ad diem Judicii extremi, hocque ipsum, simul ei ante oculos fuerint, utique nec hoc a sphæra visionis propheticæ excludere consultum ducimus. Existimamus autem simul γ) *Christum*, hoc oraculum allegantem, egregie illud adplicare potuisse, *sensu specialissimo*, ad *singularem* istum *annum Gratiae*, qui Galilæis tum adfulgebat, quum Christus, *solenni* isto *Expiationis die*, inciperet, ἔργον suum inter eos potissimum habere, quemadmodum v. g. Petrus quoque Act. II. 16. s. vaticinium Joëlis, quod amplioris alioquin ambitus est, recte tamen in solenni ista Effusione Spiritus S. prima N. T. Pentecoste, impletum dicit. Confidimus, hanc nostram diversarum sententiarum conciliationem cuivis, rem serio expendenti se commendaturam esse [z]). Quod vero non tantum *Valentiniani*, hæretici, sed etiam *Patrum* aliqui, v. g. CLEMENS ALEXANDRINUS, quin & *Recentiorum* haud pauci, ex hoc ipso loco colligunt, *uno* solum *anno* peractum fuisse totum Christi κήρυγμα, id quidem nostrum haud facimus, cum *vel ex solo Johanne* contrarium demonstrari queat, ut qui in historia Ministerii Christi *tria* distincta *Festa Paschatos* memorat, *primum* Joh. II. 13. 23. *secundum* C. VI. 4. [a]) *tertium* C. XIII. 1. s. XVIII. 28. Unde & GERH. IO. VOSSIUS, qui e Recentioribus hanc sententiam defendere conatus est, nullum in hac phraseologia, quod scil. de *anno tantum* sermo sit, causæ suæ præsidium quærit.

§. XIII.

Supereſt 9) ut adjiciamus nonnihil *de varia illa Lectione*, quando *Vulgatus*, nec non *Arabs* & *Armenus*, atque e *Patribus*, IRENÆUS, AUGUSTINUS,

z) Haud quidem alias ex iis fumus, qui vagam istam Hermenevticam amant, qua intempestivo quodam ireniciſmo interpretationes maxime discrepantes conciliari, ac pro vero & pleno hujus illiusve loci sensu obtrudi solent, quasi nulla inesset oraculis Dei *præcisio*; caute potius arbitramur utendum esse regula illa hermenevtica, quam AUGUSTINUS *Confess. L. XII. C. XXXI.* sibimet ipse fixit: *Quum alius dixerit, hoc sentit Moses, quod ego: & alius, imo illud, quod ego: religiosius me arbitror dicere, cur non utrumque potius, si utrumque verum est?* potest enim uterque sensus verus esse, nec tamen uterque a Spiritu S. intentus. Sed hoc loco recte illam adhiberi habemus persuasissimum.

a) Nam ἑορτὴν Cap. V. 1. *Pentecosten* fuisse BENGELIUS evicit in O. T. p. 252.

NUS, BEDA, post δεκτὸν apud Lucam addunt: καὶ ἡμέραν ἀνταποδόσεως [b]). Nobis de illa sic videtur: Si omnino hæc verba in textum recipienda sint, fieri id debere *partim* ob auctoritatem Interpretis latini, & Codicis, quem habuit, nostris omnibus antiquioris, *partim* ob proclivitatem a τῷ· καὶ ante ἡμέραν per incuriam delabendi ad τὸ· καὶ initio v. seq. non autem ex hac ratione, quod alioquin *abrupta* foret allegatio Jesaiæ apud Lucam, cum valde nobis difficile, si non impossibile sit, definire, *quousque* Christus verba Jesaiæ prælegerit, pro eo, quem habuit, scopo? Si conjecturæ hic locus foret, non sine specie ab altera parte dici posset, Christum ideo forte ad verba: κηρύξαι - δεκτὸν, subtitisse, quia hæc ipsa proprie illa erant, propter quæ hoc dictum allegavit, cum in animo haberet, annum Gratiæ promulgare.

§. XIV.

Postquam hactenus *Allegatum* nostrum observationibus primo antiquariis, dein philologico-criticis, quantum satis est, illustravimus; nunc quoque III. *Applicationem* oraculi prophetici a Christo factam vindicabimus. Hic 1) *Interpres Chaldaeus* viam suis præivit in pervertendo hoc oraculo, per applicationem ad *Jesaiam* Prophetam, quasi hic in eo loqueretur *de se ipso*; quem deinceps plures alii secuti sunt. His autem jure opponimus *partim* prædicata subjecti, de quo Jesaias loquitur, in ipsum Jesaiam nullo modo applicabilia; *partim* testimonia ipsorum Rabbinorum, confitentium, vaticinium hoc proprie ac litteraliter *de Messia* intelligendum esse. Ita v. gr. R. SAADIAS GAON, in *L. Haemunoth cap. 8.* hæc habet: Occurret illis Filius David (Messias) ut confirmet cor eorum, & sanet fracturam eorum, & erigat animos eorum; quod dicitur Jes. LXI. 1. R. DAV. KIMCHI *in L. Radicum*, *sub radice* מָשַׁח, Locutus est, inquit, Propheta *in persona Messiae*, quasi Messias dixerit sic: *Ideo Deus unxit me* &c. In *Midrasch Canticorum* versus 10. huj. Cap. de Exultatione in diebus Messiæ, & in *Midrasch Tillim* v. 11. de conversione gentium exponitur.

§. XV.

Mirum proinde est, 2) etiam inter Christianos fuisse, qui Jesaiam hic *de se ipso* loqui affirmarent, non quidem unice, sed tamen *proprie ac litteraliter*; quamvis simul fassi sint, sensum dicti *mysticum* etiam Christum com-

b) Vid. BENGELII Gnom. ad h. l. nam in App. Crit. hanc variam lectionem plane prætermisit.

complecti. Fuere jam inter *Scriptores medii aevi*, qui ita sentirent. E recentioribus autem huc pertinent CALVINUS *in Comm. ad h. l.* ubi non Christo tantum, sed etiam Jesaiæ ac reliquis Prophetis, quin & Apostolis hæc verba accommodat; desertus tamen in his a multis inter ipsos Reformatos: & inprimis GROTIUS tam in *Annott. ad Jes* quam *ad Lucam*: In his enim ait: Sicut liberatio ex Captivitate babylonica imago ac pignus fuit liberationis animorum, quam facturus erat Messias; ita &, quæ Jesaias *de se* dixerat, ita directa sunt a Deo, ut Domino Jesu excellentius convenirent. Hic plus adhuc in animum ejus potuit veritas: agnoscit enim prædicata textus excellentius convenire Christo, quam Jesaiæ. Postea vero *in Annott. ad V. T.* magna confidentia dilutiorem hanc notulam ponit: Loquitur hic Jesaias *de se*, ut notat Chaldæus, sed in quo *Christi* non obscuram conspicimus imaginem. Recentissime eandem tibiam inflavit REN. ANDR. KORTÜM *in Paraphr. Jesaiae ad h. l.* p. 369. ubi ad v. 1. seqq. annotat: *Diesen Spruch führet Christus von sich und seinem Amt an, Luc. IV. zum Beweiß, daß er* nicht minder als Jesaias *der Prophet sey. Er sagt deßhalben nicht: diese Schrifft ist heute zum erstenmal erfüllt; dann es war schon ehedem, nach seiner Massen, an dem Propheten wahr worden.* Quasi vero Allegato hoc plus non probare voluerit Christus, quam se Jesaia non inferiorem esse! Et quam jejuna est ratiuncula ex eo petita, quod Christus non dicat: Hodie *primum* impleta est hæc Scriptura?

§. XVI.

Nos Messiam *unicum* hujus vaticinii *Subjectum* esse ita evincimus: a) E nexu Cap. LXI. cum Cap. LX. Idem qui Cap. LX. 9. dixit: *Insulae exspectant me* & v. 22. *Ego Dominus in tempore suo subito faciam illud*; hoc etiam Cap. LXI. loqui censendus est, cum nullum in Textu mutatæ personæ vestigium deprehendatur. b) E Prædicatis Textus ipsius, quæ hujusmodi sunt, ut nulla ratione in *Jesaiam* quadrent. Ita e. g. *sanare contrita corda* opus mere divinum est. c) Jesaias quidem prænunciare potuit bona futura, sed non demonstrare præsentia, multo minus ipse illa conferre ac dispensare, quod tamen hoc loco Unctus Domini se facturum promittit. d) Idem, qui v. 1 - 7. loquitur, v. 8. dicit: *Ego Jehova* diligens justitiam. e) Quando Chorus fidelium v. 10. ad insignem hanc promissionem respondens, *Jehovae* id tribuit, quod induerit ipsos vestimento salutis & justitiæ; aperte id respicit v. 3. adeoque *Jehova* is est, qui v. 1-3. loquitur. f) Cum annunciatione Evangelii v. 1 seqq. jungitur v. 11. *Gentium conversio*, quæ sane cum præconio Jesaiæ non erat connexa. g) Habemus

bemus Interpretem omni exceptione Majorem, Christum ipsum, qui vaticinium hoc de se explicat Matth. XI. 5. ubi se verbis ex hoc Jesaiæ loco desumtis sistit ut *Evangelistam pauperum*; maxime vero nostro loco Luc. IV. 21. Hic enim Christus (verba damus PAREI, qui CALVINUM hac in parte deserit) diserte in se impletionem ostendit. Si quis vero cum KORTÜMIO excipiat, non dicere Christum: hodie *primum & in me solo* impleta est hæc scriptura; sed simpliciter: Hodie impleta est; parum hoc firmum est, cum Christus aperte *ad praesens tempus* impletionem restringat, & quidem *omnem: in nullo* enim *alio* impleri potuit, quod *in nullum alium*, nisi in solum Christum proprie competit, præsertim cum constet, non de *typica*, sed de æterna redemtione, deque proprio officio & beneficio Messiæ hic agi. Unde sane consequentia firma est: Impleta est *in Christo*. E. non *in Propheta*.

§. XVII.

Accedit h) si in Jesaia impletum fuisset hoc oraculum; si de liberatione e captivitate Babylonica, ab Jesaia prædicta, id ageret; respondere potuissent Judæi: Quid illa ad Te, quæ de Jesaia Propheta loquuntur, & in liberatione e Captivitate Babylonica pridem impleta sunt? Cum autem nemo hic contradixerit, aut quoad applicationem hujus dicti controversiam Christo moverit, sed potius omnes ei *testimonium dederint*, h. e. sermonem ejus approbaverint v. 22. Manifestum sane est, Ecclesiam Judaicam ista ætate pro certo habuisse, *de Messia*, *non de Jesaia*, intelligendum esse hoc oraculum. Maneat itaque firmum, Christum Ipsum hoc loco concionari de sua vocatione & unctione ad officium Messiæ, atque ad conferenda Ecclesiæ æterna beneficia, quæ in carne tandem exhibitus reipsa secum attulit, & Ecclesiæ in æternum præstat.



XXXV. ALLEGATUM.

JOH. II. 17.

Καὶ ἐμνήσθησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ὅτι γεγραμμένον ἐστὶν, Ὁ ζῆλος τοῦ οἴκου σου κατέφαγέ με.

PS. LXIX. 10.

כִּי־קִנְאַת בֵּיתְךָ אֲכָלָתְנִי׃

VERSIO LXX.

Ὅτι ὁ ζῆλος τοῦ οἴκου σου κατέφαγέ με.

§. I.

Licet Versio Græca exacte referat Textum hebræum cum omni sua emphasi, ut nulla conciliatione hic opus sit: illustrabimus tamen illam. Observationibus nonnullis philologico-criticis, applicationem deinceps uberius vindicaturi. Itaque I. quoad *Allegationem* observamus: 1) Conjunctionem causalem כִּי, quæ in Hebræo est, & pro quâ LXX. habent ὅτι, recte à Johanne omissam esse, probatu vix opus est, cum hic sufficerit, sententiam dicti, quæ ad scopum faciebat, e contextu hebræo excerptam allegasse; licet alibi Scriptores N. T. conjunctiones addant, ubi Lectorem de inspiciendo Allegati nexu monere volunt. v. g. Marc. XV. 28. καὶ μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη. 2) קִנְאַת בֵּיתְךָ, *zelus domus tuae*, obscurius dictum videri posset; sed quivis, etiam haud monitus, facile perspicit, Genitivum בֵּיתְךָ non esse *causae efficientis*, quasi Domus Dei iram exercuerit in Christum, sed *objecti*, circa quod versatus est Christi zelus, quod *Lutherus* optime sic expressit: *der Eifer um dein Hauß*, zelus, *pro* domo tua, quo feror erga templum cultumque tuum, vel quo exarsi ob profanationem ejus. Cæterum somniasse SURENHUSIUM necesse est, quando discrepantiam hic fingit inter Johannem & textum hebræum, quasi hic in tertia persona diceret קִנְאַת יְהוָה, *zelus Domini*, ille vero in secunda, *zelus domus tuae*. Certe nonnisi per somnium in Psalmo legere potuit יְהוָה pro בֵּיתְךָ.

§. II.

3) Verbum אֲכָלַתְנִי propriissime à LXX. vertitur κατέφαγέ με, pro quo BENGELIUS ob consensum 58 Codicum, præeunte Editione Complutensi legit καταφάγεται in Futuro, *comedet me*, quo sensu Christus hic prædiceret, zelum suum pro domo Patris causam fore mortis suæ; quod revera postmodum sic evenit. Vid. Luc. XIX. 45. 46. coll. v. 47. Metaphorice autem hoc verbum de zelo usurpatur: Eleganter enim ingens amoris zelus, cum ira seu excandescentia erga eos, qui id, quod amamus, odio habent ac lædunt, *igni* confertur. Cant. VIII. 6. cum per hunc affectum non solum amor vitalis intendi, sed etiam in actionibus inde promanantibus igneus quidam fervor emicare soleat. Jam vero frequentissime *consumens ignis vis* per verbum אֵכֶל exprimitur. Hiob. I. 16. Jes. XXIX. 6. XXX. 27. Sigillatim de *igne sacrificia consumente* vox usurpatur Lev. IX. 24. 1 Reg. XVIII. 38.

§. III.

Quæritur itaque, quo sensu zelus pro domo Dei Christum hic *comedisse* dicatur? Nolim ego quidem cum SURENHUSIO *p. 346 seq.* hanc phrasin eo tantum interpretari, quod tantus in Jesu ad sacrarii statum reformandum amor ac zelus fuerit, ut, *ni id feciſſet, ingenti suo zelo*, tanquam igne, *consumtus fuisset.* Putem potius, indigitari hac phrasi, quid revera & actu consecutum sit Ejus zelum pro domo Dei, scilicet *consumtio per mortem violentam*, a Judæis hanc ipsam ob causam ei illatam: unde præstat Versio Lutheri apud Joh. illa in Ps. *Ich eifere mich* schier *zu tode &c. dann er hat sich nicht nur* schier, *sondern* wirklich *zu tode geeifert.* Zelus Messiam comedens *generatim* vehementissimum *amoris* erga domum Patris, & *irae* adversus violatores ejus affectum indicat, eo usque, ut & semet ipsum exercitio ejus conficeret, & se eapropter devorandum quasi aliis objiceret. *Specialius* autem phrasis prophetica forte alludit ad *ignem sacrificia consumentem*, illustrem sane typum immensi illius amoris, quo Christus, per Spiritum æternum, Patri se obtulit, atque ex cujus constanti proposito dependebat, ut non antea desisteret, donec omnia consummata essent, quæ ad sacrificium boni odoris requirebantur.

§. IV.

Aliena proinde sunt, quæ e profanis Scriptoribus ad illustrandam hanc phrasin afferunt GROTIUS, cui pertinere huc videtur illud: *Est* (edit) cura

cura medullas; & LAMPIUS, cui simile videtur Pythagoricum illud: μὴ ἐσθίειν καρδίαν, quo significetur, animam angoribus doloribusque, vel, ut alii putant, curis aut ira non excruciandam esse; porro phrasis *Homeri* θυμὸν κατέδειν *animum exedere*; nec non *Virgilii*, qui de læso amore ait: *Est* mollis flamma medullas. Aliena quoque sunt, quando idem LAMPIUS huc confert *consumtionem renum* Hiob. XIX. 27. & *lacerationem carnis* Cap. XIII. 14. Omnes enim hæ locutiones vivis quidem coloribus depingunt *effectus* zeli ipsius tam in animo, quam in corpore *ejus*, *qui* illo afficitur; sed non effectum zeli *apud alios*, quorum ira & persecutio eodem provocatur: Hunc autem præcipue Christum intendisse, vix dubio locus est. Certe igneum Christi zelum Eum hoc sensu consumsisse, ut animi ac corporis morbos tandemque mortem Ei attulerit, vel saltim, si intra animum cohibuisset, hoc modo consumturum fuisse, nemo dixerit: Contra vero Historia Evangelica diserte testatur, zelum Ejus apud Judæos id effeciſſe, ut internecino odio Illum persequerentur, nonnisi nece Ejus exsatiando, uti vidimus supra ex Luc. XIX. 45. seqq. Quid igitur obstat, quo minus Christum in Psalmo id ipsum prædixisse statuamus, cum præsertim & reliqua hujus Psalmi non tam antecedaneas in vita Ejus passiones, quam ultimam illam paulo ante mortem describant; vid. inprimis v. 22.

§. V.

His præmissis II. pergimus ad Vindicias *Applicationis*, a discipulis Jesu factæ: ubi vero 1) mirum non est, *Judaeos* hunc Psalmum vel de Davide ipso, vel de populo Israëlitico in Captivitate babylonica constituto exponere, vel etiam generatim pro formula precum habere, piis hominibus, qui dira ab impiis ob Religionem paterentur, præscripta: Mirandum vero inter ipsos *Christianos* haud defuisse, qui Ps. hunc proprie ac litteraliter intelligerent vel de *captivitate Babylonica*, vel de *persecutione Antiochi Epiphanis*, ut ATHANASIUS, HERACLEOTA, THEODORETUS, EUTHYMIUS, aliique Patres *in Catena*; vel de *Davide*, ut THEODORUS *Mopsvestenus*, CALVINUS, GROTIUS; licet hi omnes in fatis, sive populi Judaici, sive Davidis, hic descriptis, *figuram* fatorum Christi agnoscant. Quod autem 2) Psalmus hic secundum litteram de Christo vaticinetur, sequentibus probari potest argumentis: [c]) a) Quia passiones in eo describuntur *gravissimae* & tales, quæ *mensuram passionum Davidis* longe excedunt, nec nisi a Messia exantlatæ sunt. b) Causa passionum in eo dicitur esse culpa non propria, sed aliena, adeoque imputata, quia oderunt eum *gratis* v. 5.

c) Videatur CALOVIUS *in Bibl. Illustr.* ad h. Ps.

quod in Christo impletum dicitur Joh. XV. 25. & quia *solvit* ea, quæ *non rapuit*; ubi verbum אָשִׁיב, *solvam*, occurrit, quod de solutione λύτρου usurpatur Lev. XXV. 51. & de satisfactione pro delicto Num. V. 7. XVIII. 9. 1 Sam. VI. 3. 4. 8. 17. unde & Chaldæus reddidit verbo שָׁלַם, quod satisfactionem pacificatoriam & reconciliatoriam notat. Id vero in neminem, nisi in Christum cadere certum est. c) Subjectum hujus Ps. v. 7. est is, ob quem & in quo non confunduntur sperantes in Deum. Quis autem de Davide id dixerit, aut qui David ipse absque piaculo id de se dicere potuisset?

§. VI.

d) Is loquitur in Psalmo, qui *opprobrium* pro gloria Dei sustinuit *meritorium*; ob id enim petit, ne confundantur *in ipso* credentes, quoniam, inquiens, propter te sustinui opprobrium. e) Zelus *pro domo Domini* h. e. templo, Davidem non comedit, quoniam illud Davidis tempore nondum erat exstructum. f) In Christo, non in Davide, *quoad litteram* impletum fuit, quod v. 22. de *potu fellis & aceti* dicitur. Qui ergo Psalmus hic *litteraliter* de Davide agere censeri potest? conf. Joh. XIX. 28. g) *Imprecationes* v. 24. seqq. non *Davidis*, sed *Christi* hostibus dictas esse, scil. *Judaeis*, & *Judae* Proditori, docet Allegatio v. 24. Rom. XI. 9. 10. & v. 27. Act. I. 20. h) *Celebratio Dei* v. 32. seqq. ita describitur, ut nonnisi in N. T. quadret. Fieri enim debebat *posthabitis sacrificiis* v. 33. à Cœlis & *universa terra* v. 36. & quidem *ob salutem Zion & aedificationem civitatum Judae* v. 37. quæ omnia Davidis temporibus non conveniunt, unde ipsi Judæi ad tempora post captivitatem babylonicam confugere necessum habent, uti supra diximus. i) Sexies in Novo Test. hic Psalmus ad Christum & tempora N. T. applicatur, ac in his impletus dicitur: Nimirum v. 5. loco supra jam cit. Joh. XV. 25. licet hunc alii ex Ps. XXXV. 19. petitum censeant. v. 10. quoad *prius* membrum nostro loco Joh. II. 17. & quoad *posterius* Rom. XV. 3. v. 23. de potu fellis & aceti Joh. XIX. 28 - 30. v. 24. & 25. a Paulo applicatur ad Judæos sui temporis Rom. XI. 9. 10. & v. 27. a Petro ad Judam Ischarioten Act. I. 20. Merito igitur nostra facimus illa AUGUSTINI *in h. Ps.* Apostoli loquentes de Christo testimonia ex hoc Psalmo dederunt. Quis autem deviet a sententiis eorum? aut quis agnus non sequatur arietes?

§. VII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0326
DFG

§. VII.

k) Ipsi *Judaei*, Psalmum hunc *propheticum* esse, passim agnoscunt, & quamquam in eo aberrent, quod ad gentis suæ præsens exilium eum applicent; propius tamen hoc ipso absunt a vero, quam GROTIUS, qui merum Psalmum historicum de Calamitatibus Davidis ex eo facit. l) Ecclesiam Judaicam tempore Christi & Apostolorum pro certo habuisse, quod *Messias* Psalmi *subjectum* sit, partim ex reminiscentia Discipulorum, dum zelus Christi in repurgando Templo sponte ipsis hunc Psalmum in memoriam revocavit; partim e frequenti ejus & constanti in N. T. ad Messiam applicatione recte colligitur. m) Inter *recentiores* etiam *Judaeos* aliqui hoc vaticinium ad Messiæ tempora retulerunt. Ita enim ABEN-ESRA ad v. 31. *Laudabo Deum cantico* hanc notulam ponit: *Post reditum in diebus Messiae.* Inprimis autem memorabile est, quod PET. GALATINUS *L. IV. de Arc. Cath. Verit. cap. 23.* ex *Libro Joma* recenset, scilicet, *sanctuarium secundum destructum fuisse propter* ODIUM GRATIS, *illudque adeo grave esse, ut pejus habeatur Idololatria.* Conferenti cum hoc dicto locum Joh. XV. 25. & Rom. XI. 9. manifestum erit, quod vel Christianus non potuisset magis appposite loqui. De isto vero *odio gratis* plenius agetur infra *Alleg.* XLIV. §. III-V.

§. VIII.

Denique n) Argumentis hactenus allatis non parum roboris accedit per *confessiones*, quas sua luce radians veritas extorsit iis, qui sensum *litteralem* Davidi, & *mysticum* demum Christo vindicant. Fatetur GROTIUS ad Matth. XXVII. 34. oblatione potus istius, Christo facta, verba Davidis κατὰ λέξιν simul & κατὰ διάνοιαν in Christo impleta esse; consequenter in Davide non κατὰ λέξιν, sed tantum κατὰ διάνοιαν. MOLLERUS verisimile ait esse, Davidem in periculis suis has preces pro salute sua concepisse; interea Spiritum S. ita cogitationes Davidis direxisse, ut Christi *potius*, cujus se typum gerere sciebat, dolores — intueretur, deinde liberationis secutæ exemplo se confirmaret. MUYSIUS, celebris in Psalmos Commentator agnoscit, esse in hoc Psalmo, quæ *proprie & historice* Christo potissimum conveniant; interdum enim Davidis mentem & manum ita rexisse Deum, ut, de se ipso aut aliis loquens, ea ipse scriberet, quæ non cogitaret, & longe extra propositum

tum abriperetur. Quid quæso progressos eousque retinuit, quo minus in nostram plane concederent sententiam? d)

d) Duo maxime Adversarii ex hoc Psalmo urgent, quæ nullo modo in Messiam quadrare videantur. Unum est, quod de se dicat v. 6. Tu, o Deus, nosti stultitiam meam, & reatus mei non sunt absconditi coram te; alterum, quod v. 23-29. male precetur suis inimicis, cujus potius contrarium fecerit, intercedens pro crucifixoribus suis. At cur non dicere potuit Messias: Nosti, o Deus, *cujus generis* sit stultitia mea, id est peccatum Ps. XXXVIII. 6. & quod ad delicta mea attinet, *cujus* illa *generis* sint, neque hæc abscondita sunt coram te? Certe insolita constructio verbi יָדַע cum præf. ל singulare quid innuere vult. conf. GUSSETII *Comm. L. H.* p. 312. Quod ipsum nos ducere videtur ad cognoscendam singularem illam peccatorum in Christum conjectorum rationem. Neque non in Messiam quadrat, si cum MUYSIO hunc esse versus hujus sensum dicas: Provocat ad Deum, innocentiæ suæ testem ac judicem. Deus Judex, inquit, optime nosti, quid in illos stulte admiserim; non te latet, num in illos peccarim, aut deliquerim. Id quod PFAFFIO placuit in *Diss. de Felle esca & aceto potu Messiæ p. 6.* Quod ad alterum spectat, non necessario dicitur, Christum hic imprecatum esse inimicis suis; potuit tantum *prædicere*, eventura hæc esse, nisi resipiscant. Sæpius enim Imperativus seu optativus, cujus tamen Hebræi ne habent quidem formam peculiarem, ponitur pro Futuro. conf. supra *Alleg.* XVIII. §. III. & GLASSIUS *in Phil. S.* p. 314. Addi potest, prædictionem Messiæ simul involvere sanctam approbationem judicii divini ab Ipso prævisi. Cæterum sola Pauli Allegatio Rom. XI. 9. 10. coll. v. 11. omnem hic nobis scrupulum eximere debet.

XXXVI. AL-

XXXVI. ALLEGATUM.

JOH. VI. 31.

Οἱ πατέρες ἡμῶν τὸ μάννα ἔφαγον ἐν τῇ ἐρήμῳ, καθώς ἐστι γεγραμμένον, Ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς φαγεῖν.

EXOD. XVI. 4. 15.

הִנְנִי מַמְטִיר לָכֶם לֶחֶם מִן־הַשָּׁמָיִם — הוּא הַלֶּחֶם אֲשֶׁר נָתַן יְהוָה לָכֶם לְאָכְלָה׃

VERSIO LXX.

Ἰδοὺ ἐγὼ ὕω ὑμῖν ἄρτους ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. — Οὗτος ὁ ἄρτος, ὃν ἔδωκε Κύριος ὑμῖν φαγεῖν.

PSALM. LXXVIII. 24.

וּדְגַן־שָׁמַיִם נָתַן לָמוֹ׃

VERSIO LXX.

Καὶ ἄρτον οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς.

§. I.

Est hoc Allegatum neque Christi, neque Evangelistæ, sed Judæorum Christo opponentium. Postquam nimirum satis intellexissent, ex iis, quæ Christus v. 27. 28. 29. dixerat, Eum jubere, ut in Ipsum crederent, si Deo placere velint: mox v. 30. signum ab Ipso postulant, Messia dignum, ut videant & credant Ipsi; v. 31. autem, allegato Mosis oraculo, haud obscure extenuant miraculum Christi, quando paulo ante quinque hominum millia in deserto cibaverat, idque nullo modo sufficere putant, ad evincendum, quod Ipse sit Messias: Mosen enim longe majora patrasse, qui per totos 40. annos, populum longe numerosiorem, scilicet sexcenta millia, exceptis mulieribus ac parvulis, in deserto aluerit, & quidem pane non vulgari ac hordeaceo, quali Christus fuerat usus, sed cœlesti: οἱ πατέρες ἡμῶν, inquiunt, τὸ μάννα ἔφαγον &c.

§. II.

De Manna prolixe disputarunt Eruditi, quæ in Compendio exhibet DEYLINGIUS *Obss. Sacr. P. III. Obs. VII.* conf. etiam RUSIUS *in Harm. Evang. P. I. p. 1282. seqq.* Nobis jam pro instituti ratione sufficiat, in sedem hujus Allegati in V. T. pauciſſimis inquirere. Certum est, Textum allegatum *integrum* neque Exod. XVI. 4. 15. neque Ps. LXXVIII. 24. reperiri, sed habent tamen singula loca aliqua ejus verba: ἄρτον in singulari habet Ps. LXXVIII. 24. ἐκ τοῦ οὐρανοῦ habet locus Exod. XVI. 4. ἔδωκεν αὐτοῖς rursum Ps. LXXVIII. 24. & φαγεῖν locus Exod. XVI. 15. e) Habemus ergo hic Allegatum ex pluribus locis conflatum, seu plura loca per compendium allegata. Erat enim Historia de Manna Judæis quam notissima ex scriptis V. T. unde non mirum est, allegantibus illam plura loca in unum coaluisse.

e) Possent tamen etiam duo Exodi loca sufficere. Nam quod Moses in secunda persona ait ἔδωκεν ὑμῖν, & Judæi allegant in tertia ἔδωκεν αὐτοῖς, parum infert discriminis, & e nexu sermonis Judæorum, qui de patribus suis locuti erant, per se fluebat.

XXXVII. ALLEGATUM.

JOH. VI. 45.

Ἔστι γεγραμμένον ἐν τοῖς προφήταις, καὶ ἔσονται πάντες διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ.

JES. LIV. 13.

וְכָל־בָּנַיִךְ לִמּוּדֵי יְהוָה׃

VERSIO LXX.

Καὶ πάντας τοὺς υἱούς σου διδακτοὺς Θεοῦ· (scil. ϑήσω v. 12.)

§. I.

Hic I. de *Formula allegandi*, qua Christus de *Prophetis* in *plurali* loquitur, jure quæstio instituitur, 1) an revera *plurium* Prophetarum loca Christus hic respexerit? Ita post HIERONYMUM visum est GROTIO *ad h. l.* CALOVIO *in Bibl. Illustr. ad Jes. LIV. p. 280.* & SURENHUSIO *in* Βιβλ. Κατ. *p. 351.* qui præter locum Jes. LIV. 13. etiam locum Jer. XXXI. 34. quin & aliquot Ezechielis loca & Mich. IV. 1 - 4. respici volunt, licet fateantur, apud *Jesaiam solum* verba reperiri, ac sensum modo verborum apud reliquos Prophetas. Sed obstat a) quod hic unius tantum loci verba κατὰ ῥητὸν exhibeantur; & b) quod hæc citandi formula ibi quoque obtineat, ubi manifeste nonnisi unus locus intenditur v. g. Act. XIII. 40. ubi pariter προφῆται in plur. allegantur, & tamen *solus Habacuc* intelligitur, ut qui unus dictum allegatum habet. Inde rectius 2) alii *unum* modo *Jesaiam* a Christo hic excitari statuunt; numeri autem pluralis vel a) hanc rationem reddunt, quod per *Enallagen numeri Prophetae* ponantur pro *Propheta* in singulari, ita ut nomen collectivum discretive intelligendum sit, & scriptum *in Prophetis* esse dicatur, quod in *uno ex Prophetis* exstat. Ita ERASMUS *Roterod.* EUD. *de* DIEU, DRUSIUS, GATAKERUS, &c. vel b) missa Enallage, per *Prophetas* metonymice intelligunt *Volumen prophetarum*, quod alias allegatur in N. T. sub nomine βίβλος τῶν προφητῶν Act. XV. 15. Jam tum enim Codex Biblicus in 3. partes distingui solebat ab Hebræis, in תּוֹרָה *Legem*, נְבִיאִים *Prophetas*, & כְּתוּבִים *Hagiographa*. Quum ergo dicitur: Scriptum est *in Prophetis*, indicatur hac phrasi altera pars sive Sectio Codicis S. ubi allegatum dictum inveniatur. Ita BEZA, ER. SCHMIDIUS, HACKSPANIUS, LAMPIUS, cum quibus & nos facimus.

§. II.

Sequitur II. ut *Allegatum* ipsum conciliemus cum Textu hebræo; ubi 1) notamus, omisisse Christum in allegatione sua vocem בָּנֶיךָ, *filios tuos*, non modo generatim ideo, quod Ipsi liberum utique erat, e loco allegato ea tantum delibare, quæ ad scopum erant necessaria, reliquis prætermissis; sed etiam speciatim ex hac ratione, quia Ipse non Ecclesiam Judaicam alloquebatur, uti Propheta. 2) Verbo ἔσονται in Hebræo quidem non respondet יִהְיוּ; cum autem in eodem subaudiendum sit, recte illud expressit Christus: quin & substituere id potuit verbo *ponam*, si hoc ex v. 12. subaudire malis in v. 13. 3) Voculam -בְּ omnes ac singulos fideles, non tantum ex Judæis, sed etiam ex gentibus, complecti, tanquam *filios spiritualis Hierosolymae*, h. e. Ecclesiæ N. T. ex collatione eorum, quæ Jesaias Cap. LIV. 1 - 3. docet, cum loco Gal. IV. 26. 27. manifestum est.

§. III.

4) לִמּוּדֵי יְהוָה optime tam a LXX. quam a Johanne exprimitur per διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ. Utramque vocem לִמּוּדֵי & διδακτοὶ Vulgatus barbare reddidit *docibiles Dei*, cui si vel maxime, cum ERASMO & VATABLO, ad evitandum Barbarismum, substituas *dociles Dei*; latinius id quidem foret, sed non verius. Non enim διδακτὸς, sed διδακτικὸς significat *docilem*, si quidem posterior vox *passive* sumatur; nam *active* sumta significat eum, qui aptus est ad docendum. 1 Tim. III. 2. Quum autem LAUR. VALLA prætendit, exemplaria quædam legere διδακτικοὶ Θεοῦ, in gratiam Vulgati id commentus esse videtur; nulla enim exemplaria, quæ ita habeant, invenire potuit vel MILLIUS vel BENGELIUS. Nolim etiam לִמּוּדֵי hic interpretari per *Discipulos*, licet vox hebræa sic a *Luthero* vertatur Jes. VIII. 16. L. 4. Ita enim vis promissionis non exhauritur, cum Ecclesiæ non modo promittantur filii *discentes*, sed etiam tales, qui discendo jam *Docti* futuri sint. Plus etiam est διδακτὸν esse, quam μαθητήν; multi enim discipuli discedunt, & Christum Doctorem suum a tergo relinquunt, antequam διδακτοὶ Θεοῦ fiant. Joh. VI. 66. Id quod BEZA jam observavit, teste POLO *ad h. l.* Discipiendum vero jam porro est, quid sibi velit genitivus τοῦ Θεοῦ. a) Humi repit interpretatio LIMBORCHII *Theol. Christ. L. I. C. 5. §. 18.* f) quando τοῦ Θεοῦ ipsi est *genitivus objecti* tantum, quasi διδακτοὶ Θεοῦ sint *docti de*

f) Vel, uti ait EPISCOPIUS *Instit. Theol.* P. IV. cap. 12. In Textu non dicitur, erunt omnes *docti à Deo*, sed erunt omnes διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ, id est, *docti Dei*, eadem phrasi, qua docti aleæ, trochi, musicæ dicuntur, non qui ab alea, trocho, musica docentur, sed qui aleare, trocho ludere, & musicam canere didicerunt; genitivum itaque Dei hic non significare *causam efficientem*, sed *objectum*, circa quod versatur, qui doctus est.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0332
DFG

de Deo, hoc est, voluntatis divinæ notitia imbuti, quæ & RICH. SIMONII *in Not. ad vers Gall. N. T.* sententia est. Longissime vero aberrat CLARKIUS, Anglus, qui per διδακτοὺς Θεοῦ h. l. intelligit eos, qui *Theologia naturali* probe imbuti sint, atque ita præ aliis bene præparati ad recipiendam fidem in Christum. Itaque & huic τοῦ Θεοῦ nonnisi genitivus objecti est. Sed obstat omnibus hisce, quod Christus hoc modo allegatione sua non probasset, quod probare instituit. Probare scilicet voluit, neminem posse in se credere, nisi cui *datum* id sit a Patre, nimirum operatione supernaturali in anima ejus, v. 64. 65. quod etiam phrasis de *tractu Patris* v. 44. innuit; *Dari* vero id a Patre, quando quis *ab Ipso* docente discat: qui autem in Ipsum haud credant, eos hoc ipso prodere, quod, sua quidem culpa, a Patre *non edocti*, sicque ad Filium *non tracti* fuerint.

§. V.

Est ergo τοῦ Θεοῦ b) *genitivus Causae efficientis*, ita ut subaudiatur præpositio ἀπὸ vel ὑπὸ, διδακτοὶ ὑπὸ Θεοῦ; quemadmodum & alibi participio passivo, aut adjectivo participii vim habenti, solus genitivus adjungitur, omissa particula ὑπὸ. v.g. Matth. XXV. 34. εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου. Matth. XI. 11. γεννητὸι γυναικῶν. 1 Cor. II. 13. λόγοι διδακτοὶ πνεύματος ἁγίου. Id quod VORSTIUS *in Phil. S. P. I. p. 334. seq.* a vulgari græcismo abhorrere g), & redolere contra Hebraismi structuram censet, cum soleant Hebræi Participiis passivis subjicere nomina non interveniente præfixo מ. aut particula מִן v. g. Ps. XXII. 7. בְּזוּי עָם *contemtus populi*, hoc est, *a populo*; Hiob XIV. 1. יְלוּד אִשָּׁה *natus mulieris*, h. e. *a muliere*; Ps. XXXVII. 22. מְבֹרָכָיו *benedicti ejus*, h. e. *ab ipso*; מְקֻלָּלָיו *maledicti ejus*, h. e. *ab ipso*, quæ duo participia, quod obiter moneo, Vulgatus perperam vertit *benedicentes ei*, *maledicentes ei*, cum in hebræo non sint participia activa, sed passiva. Addimus locum Jes. LIII. 4. ubi מֻכֵּה אֱלֹהִים *percussus Dei* idem est, ac *percussus à Deo*, quemadmodum & Vulgatus vertit. Contra Grammaticam certe impingit BELLARMINUS *L. II. de Verbo Dei*, *cap. 2.* quando in hac phrasi grande argumentum contra Socinianos, Deitatem Christi negantes, invenisse sibi visus est, quia verti possit *percussus Deus*; מֻכֶּה in absoluto, adeoque verti debet percussus *Dei*, non percussus *Deus*: Taceo, participium ita sequi

g) Neque tamen plane ab ejusmodi constructionibus abstinuerunt Scriptores Græci profani, ut EURIPIDES *in Medea* ἀκούει νουθετημένη φίλων, pro ἀπὸ vel ὑπὸ φίλων, *audit monita ab amicis*. Vid. LAMB. BOS *de Ellipsibus Græcis* p. 472. Ed. 1763. Nisi forte dicendum sit, Genit. φίλων regi ab ἀκούει, & νουθετημένη absolute stare, ut in illo *Virg.* Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.

ſequi debuiſſe, & nomen præcedere, h. m. אֱלֹהִים מְמֻּדָּה Διδακτὸς Θεῷ itaque idem eſt, ac δεδιδαγμένος ὑπὸ Θεῷ, quod Paulus 1 Theſſ. IV. 9. exprimit una voce Θεοδίδακτος: Et mirum ſane eſt, quantopere vetuſtiſſimi Gentilium Philoſophi ac Poëtæ affectarint, pro talibus Θεοδιδάκτοις haberi; vocare ſe etiam tum ſolebant αὐτοδιδάκτας, *à ſe ipſis doctos*, ubi vocis pars prior hominem tantum excludit, non Deum. Ita v. g. apud HOMERUM *Odyſſ. X. v. 347.* Phemius Citharœdus ait

Αὐτοδίδακτος δ' εἰμὶ, Θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἵμας
παντοίας ἐνέφυσε:

Ipſe vero ſum a me ipſo doctus: Deus enim mihi in mentem cantilenas omnimodas inſevit. Particulam autem ὑπὸ in utraque voce Θεοδίδακτος & αὐτοδίδακτος ſubaudiendam eſſe, docent ſimilia Græcorum compoſita: e. g. πατροπαράδοτος *à patribus traditus*, Θεοφόρητος, *a Deo agitatus*, Θεομίσητος *a Deo odio habitus*, Θεοδώρητος *a Deo donatus* &c.

§. VI.

Supereſt III. ut de *Applicatione* hujus oraculi nonnulla ſubjungamus. Prophetiam Cap. LIV. Jeſ. tempora N. T. reſpicere, evidens eſt e nexu. Poſtquam enim Propheta Cap. antec. egerat de Paſſione Chriſti & ſecutura gloria, ad quam ſigillatim pertinebat ſemen, quod habiturus eſſet, Cap. LIII. 11. ſeqq. hoc jam Cap. LIV. ad lætitiam excitat Eccleſiam N. T. propter inſignem ejus fœcundationem, per quam ſemen iſtud Meſſiæ eſſet procurandum: Nam fœcundam matrem, per quam ſemen iſtud ſpirituale gignendum erat, eſſe Eccleſiam Apoſtolicam, ex primitiis Judæorum conſtantem, patet ex citatione Pauli Gal. IV. 26. 27. Idque firmiter tenemus, 1) Contra *Judaeos*, quibus jure opponimus a) teſtimonia priſcorum Hebræorum, ad tempora Meſſiæ hoc Caput referentium. v. g. in *Midraſch* שִׁיר הַשִּׁירִים ad Cant. I. 5. in *Midraſch* תְּהִלִּים ad Pſ. XXI. nec non JONATHANIS *in Targum*, qui totum vaticinium inde à Cap. LII. 13. usque ad fin. Cap. LIV. de Meſſia interpretatur. Loca dabit CALOVIUS *ad Jeſ.* b) Conſenſum Judæorum ætate Chriſti & Pauli, quibus haud refragantibus tam Iſte, quam hic oraculum hoc ad tempora N. T. applicavit. 2) Contra GROTIUM, cui pariter opponimus a) Allegationem Chriſti & Pauli. b) magnificentiam promiſſionum, quæ nullo modo poteſt impleta cenſeri temporibus illis reſtitutæ Zionis, quæ inter liberationem e Babylone & tempus Chriſti interceſſerunt. c) *Grotium* ipſum, ſaniora prius docentem ad noſtrum in Johanne locum, ubi πάντες ipſi ſunt *omnes*, quibus ſub N. T. Evangelium fuit annunciatum.

XXXVIII. AL-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0334
DFG

XXXVIII. ALLEGATUM.

JOH. VII. 37. 38.

Ἐν δὲ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς εἱστήκει ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἔκραξε λέγων, Ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός με καὶ πινέτω· ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος.

EX PLURIBUS LOCIS.

§. I.

Notamus hic I. *festum*, cujus in his verbis mentio fit, *festum Tabernaculorum* fuisse, e v. 2. coll. cum v. 10. 14. 37. manifestum est; *ultimum* vero *diem* festi, quo Jesus hæc exclamasse dicitur, non fuisse diem *octavum*, uti DRUSIUS, LIGHTFOOTUS, THOM. GODWINUS, SURENHUSIUS, aliique volunt; sed *septimum*, quæ BUXTORFII, HOTTINGERI, HADR. RELANDI & RUSII est sententia; BENGELIUS in *Gnom. ad h. l.* ex eo probat, quod *octavus* proprium sibi Festum habebat, a Festo Tabernaculorum distinctum, tam quoad *nomen*, utpote מִקְרָא קֹדֶשׁ & עֲצֶרֶת dictum, quam quoad *solennitates*, ut videre est Lev. XXIII. 34 - 36. Num. XXIX. 12. 35. Neh. VIII. 18. 2 Chron. VII. 8. 9. cf. RUSIUS *in Harm. Evang. T. II. p. 375. sq.* Fatetur etiam ipse LIGHTFOOTUS *in Hor. Hebr. ad h. l.* Judæos non æstimasse diem octavum *ut inclusum intra festum*, sed ut diem festum per se seperatim. Qui ergo hunc vocare potuit Evangelista *ultimum festi diem?* Posito autem, quod dies *septimus* innuatur ab Evangelista, porro quæritur, cur eundem tam emphatice τὴν ἡμέραν τὴν μεγάλην appellet? *der am herrlichsten war*, ut *Lutherus* vertit. R. Quia hic dies septimus maxime solennis in scenopegia erat, non quidem ob numerum sacrificiorum, cum hoc die pauciora fuerint oblata, quam diebus præcedentibus, scilicet septem tantum juvenci; sed quod totus populus illo die plane in lætitiam effusus erat. Præterea singulare erat hujus diei, quod, cum prioribus festi diebus Judæi *semel* tantum cum לוּלָב seu ramorum fasciculo, de quo 2 Macc. X. 7. altare circuirent, clamantes *Hosianna*; septimo die contra, in memoriam obsidionis Hierichuntinæ, idem *septies* facerent, unde etiam dies ille הוֹשִׁיעָ־נָא רַבָּה *Hosianna magnum* dicebatur, cui Evangelistæ nostri ἡμέρα μεγάλη eleganter respondet. Forte etiam solebant Judæi hoc septimo die maiore cum solennitate ac pluribus gaudii testificationibus, quam anteceda-

cedaneis diebus, aquam haurire ex fonte Siloah, eamque cum plausu & jubilo per portam aquæ in templum inferre, Deoque in ara holocausti libare.

§. II.

His præmissis jam II. ipsa Textus verba perlustrabimus. 1) Dubia est eorum constructio. Est a) qui verba ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ referat ad verbum πινέτω in fine v. 37. ut sensus sit: sitiens veniat ad me, & *bibat credens in me.* Ita C. E. TRILLERUS *in der Untersuchung etlicher Oerter des N. Test. p. m. 199.* qui interpretationem hanc didicit ex edit. quadam Argentinensi de A. 1524. Licet vero plausibilem illam appellet BENGELIUS *in Gnom. ad h. l.* idem tamen recte observat, duriorem hinc emergere Chiasmum: *sitiens veniat; bibat credens. Sitiens* enim *& credens* sibi tam non respondent, quam non: *veniat & bibat.* Credere potius, & venire ad Christum synonyma sunt. cf. Cap. VI. 44 - 47. 64. 65. & Cap. V. 38. 40.

§. III.

Sunt b) qui verba: καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ construant cum verbis præcedentibus: ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, vel hoc sensu: qui credit in me, non quocunque modo, sed *quomodo* Scriptura credendum esse *docet;* vel sic: qui credit in me, *sicut* Scriptura in me credere *jubet.* Quod posterius plurimis placuit, *Interpreti Syro*, CHRYSOSTOMO, EUTHYMIO, THEOPHYLACTO, TARNOVIO, GLASSIO, CALOVIO, MAJO *fil.* LOESCHERO, WOLFIO, RUSIO, WOKENIO, JUNIO, HEINSIO, WALÆO, JAC. CAPPELLO, LUD. *de* DIEU, RICH. KIDDERO, TOLETO, MALDONATO, &c. At sane hac sententia admissa, nullum hic Allegatum certi cujusdam dicti haberemus, sed Christus indefinite ad Scripturam provocaret, cujus passim scopus est & mandatum, ut in Christum credamus. At vero *praedicatum:* ποταμοὶ — ζῶντος aperte magis opus habuit ratione probante, quam subjectum, quod alias quoque sæpissime simpliciter positum legimus; insuper desperatio de reperiendo uspiam in Vet. Test. loco aliquo, qui verba citata diserte exhibeat, Interpretes ad hoc effugium compulit, quo tamen haud opus esse deinceps ostendetur.

§. IV.

Rectius itaque c) alii receptæ constructioni inhærent, quæ verba καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ ad seqq. refert, scilicet ad prædicatum, quod tam magnificum est, ut omnino fidem Judæorum superasset absque probatione

tione e Vet. Teſt. *Subjectum* itaque orationis eſt: *Credens in me; Praedicatum* vero: *Sicut dixit Scriptura, flumina ex ventre ejus fluent aquae viventis.* Neque Solœciſmus hoc modo impingi poteſt Johanni, ob ſequens αὐτῷ, cui *genitivo* male videtur reſpondere *nominativus* ὁ πιστεύων. Sæpe enim in Scriptura, uti GLASSIUS obſervat in *Phil. S. p. 625.* Nominativus ponitur *absolute*, ut vim integri membri in ſententia abſolvat, & de illo certum quid poſtea prædicetur; id quod pluribus exemplis probat tam Vet. quam Novi Teſt. Apud Hebræos iſta ſermonis ſtructura eſt frequentiſſima, quam deinde & N. T. Scriptores ſuam fecerunt; immo nec Græcis profanis illam prorſus eſſe inuſitatam HOMBERGIUS oſtendit in *Parerg. Sacr. p. 165.* Eadem ſane ratione conſtruit Johannes Cap. VI. 39. XVII. 2. Apoc. II. 26. VI. 8. nec is unus, ſed etiam Lucas, cujus alias Græcitas laudatur, Cap. XXI. 6. Act. VII. 40.

§. V.

Quæritur vero jam 2) *Ubinam* in Vet. Teſt. quærenda ſit hæc ſententia: *Flumina ex ejus ventre fluent aquae viventis?* a) Certum eſt, *ad litteram* nullibi iſtam reperiri. Neque tamen cum WHISTONO temere hinc concludendum eſt, locum hunc e V. T. tabulis periiſſe. Dicendum potius, Chriſto, cum Judæos hoc feſto die tanta lætitia aquam e fonte Siloah haurire, Deoque libare cerneret, plura V. T. loca ſimul animum ſubiiſſe, quæ, ut alias quoque e rebus obviis ſermonis occaſionem capere ſolebat, non quidem κατὰ ῥητὸν allegaverit, ſed tamen, ſenſu retento, verbis ad rem præſentem attemperatis, elocutus ſit. Quænam vero b) ſunt *illa Loca?* Vere dicas, quot Capita Interpretum ſint, tot fere loca V. T. allegari ſolere. Sunt, qui ex *Pſalmis* huc advocent Pſ. CVII. 35. ſunt, qui ex *Proverbiis* Cap. V. 15. 16. XIII. 14. XVIII. 4. Sunt, qui ex *Jeſaia* Cap. XI. 9. XII. 3. XXXV. 6. 7. XLI. 17. 18. XLIV. 3. 4. XLIX. 10. LV. 1. LVIII. 11. Sunt, qui ex *Ezechiele* Cap. XXXVI. 25. XLVII. 1. ſeqq. ex *Joële* Cap. II. 23. 28. III. 18. & ex *Zacharia* Cap. XIV. 8.

§. VI.

c) Nobis ſic videtur: α) *generatim* omnia iſta loca reſpici, quæ Spiritum S. promittunt ſub ſchemate *aquae.* Vid. GROTIUS *ad h. l.* & BENGELIUS *in Gnom.* h) β) *Speciatim* vero loca Jeſ. XII. 3. LV. 1. & Zach. XIV.

h) Miror omnino, Summo Viro, MICHAELIS, omnia iſta loca V. T. in quibus Spiritus S. *ſub ſchemate aquæ* proponitur ac promittitur, tam aliena a noſtro loco viſa fuiſſe, ut in

XIV. 8. quæ Christus hic effert verbis ad solennitates Festi Tabernaculorum attemperatis: Locum Jes. LV. 1. procul dubio respicit verbis: *Sitiens veniat ad me, & bibat.* Vid. SURENHUSIUS p. 355. Locum Jes. XII. 3. Judæos in libatione aquæ, ex fonte Siloah haustæ illo festo exclamasse, Magistri eorum testantur. Vid. LIGHTFOOTUS *in Hor. Hebr. p. 1034.* & LAMPIUS *ad h. l. p. 350.* unde nec hunc excludere fas est. Caput autem XIV. Zachariæ erat Haphtara, primo die Scenopegias publice prælegi solita; ex quo proinde Jesus, medio Festi tempore demum Hierosolymam veniens, perquam appositе extremo die verba commatis 8. ἐξελεύσεται ὕδωρ ζῶν ἐξ Ἱερουσαλὴμ repetiit. Hæc sane potissimum hic respici BENGELIUS censet; & favet omnino his cogitatis, quod nullus alius locus ex allegatis phrasin ὕδωρ ζῶν exhibeat, præter hunc. Nec obstat, quod cæteræ locutiones in dicto Christi: ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτῆς ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος, non videantur locum Zachariæ redolere. Sufficit, Christum rem hoc loco promissam retinere; licet verba ad rem præsentem, h. e. ad solennitates istius diei accommodet: quemadmodum v. g. vox κοιλία aperte alludit ad *amphoras*, quibus aqua ex fonte Siloah per urbem ad Sacrarium deferebatur, & quarum κοιλία, *venter*, erat capacissima. i)

in solo loco Prov. V. 15. hæreat, & inde exemplum petat, quod Apostoli quandoque certas tantum phraseologias ex V. T. mutuaverint, & ad exprimenda sua cogitata de rebus longe diversissimis adhibuerint. cf. Ejusd. *Einleitung p. 77.* Certe, si præter Prov. V. 15. non daretur V. T. locus, ad quem respexisse Christus, cum fundamento dici posset, ab argumento valde diverso Allegatum nostrum petitum esset. GROTIUS quidem eundem locum excitavit, sed non eo fine, ut nostrum inde desumtum diceret, sed ut voces hebræus בּוֹר & בְּאֵר explanaret.

i) Ita BENGELIUS *in Gnom.* Verum cum κοιλία non designet *amphoram*, quamvis capacitas ejus κοιλία dici possit, uti nobis in vernacula dicitur *der Bauch eines Gefässes*: allusio nobis ad istas amphoras, quibus aqua ferebatur, paulo longius petita videtur. Magis placet GROTIUS, qui ad fontem Siloah ipsum, ex quo aquæ tum hauriebantur, alludi putat. Distinguit nimirum in fonte aquæ viventis conceptaculum aquarum, *den Kasten*, & tubum in medio ejus positum, per quem aqua in publicum exsilit, *den Stock*, qui, ut omne, quod medium est aut intimum, Hebræis בֶּטֶן, Græcis κοιλία vocetur; uti etiam, teste HESYCHIO, κοιλία *canalis* dicitur, per quem aqua ducitur; quod apprime huc facit. Igitur fururum dicitur, pergit GROTIUS, ut sibi credentes ita repleantur aqua, ut contineri intra ipsos nequea, sed undique magnis fluentis exsiliat. Aquam autem hic intelligit Spiritum S. ut statim Johannes explicat; aqua viva est iugiter fluens. — ποταμοὶ vocantur non tantum amnes, sed & quævis copia aquarum. Matth. VII. 25. 27.

XXXIX. AL-

XXXIX. ALLEGATUM.

JOH. VII. 42.

Οὐχὶ ἡ γραφὴ εἶπεν, ὅτι ἐκ τοῦ σπέρματος Δαυὶδ, καὶ ἀπὸ Βηθλεὲμ, τῆς κώμης, ὅπου ἦν Δαυὶδ, ὁ Χριστὸς ἔρχεται;

EX PLURIBUS LOCIS.

§. I.

Postquam audito Christi sermone Joh. VII. multi ex turba dicerent: *Hic est vere Propheta ille!* v. 40. & alii: *Hic est Christus ille!* v. 41. alii contra v. 41. excipiebant: *Num igitur ex Galilaea Christus veniet?* provocantes simul v. 42. ad Scripturam, quæ dicat, *ex semine Davidis & ex vico Bethlehem Christum oriturum esse.* Ad quæ verba LAMPIUS generatim observat, non clare constare, an hi opponentes ex professis Christi hostibus fuerint? Dum enim non omnibus Ejus defensoribus, sed iis tantum, qui Jesum censebant Christum esse, obloquantur, non videri illos oppugnare velle, quod ad minimum pro magno Propheta habendus sit. Audiamus igitur illos.

§. II.

Dum quærunt: *num ex Galilaea Christus ille venit?* eo ipso supponunt, Jesum esse *Galilaeum;* ex hoc autem deinceps inferunt, quod non possit Christus, seu Messias, esse; hunc enim Scriptura teste ex semine Davidis & ex Bethlehem, patria Davidis, debere oriundum esse. Ac sane utrumque verissimum est: Nam 1) *ex semine Davidis* oriturum esse Christum, Davidi ipsi Propheta Nathan prænunciaverat, 2 Sam. VII. 12. sqq. qua in re Deus Davidi mentiri non poterat, Ps. LXXXIX. 36. unde idem Prophetæ toties repetierunt, Jes. XI. 1. Jer. XXIII. 5. & Judæi communi consensu agnoverunt, uti patet ex Matth. XXII. 42. 43. 45. multisque aliis apud Evangelistas locis, nec non constanti Judæorum in hunc usque diem fide. *In Thesi* itaque non errarunt hi opponentes; at quam maxime *in Hypothesi*, dum falsissime supponunt, Jesum *Galilaeum* esse, adeoque non *ex semine Davidis.* Cui præjudicio jure opponimus *partim* communem inter Judæos istius ætatis famam, qua Jesus ex Davidis posteris esse credebatur, v. g. Matth. IX. 27. XII. 23. XV. 22. XX. 30. XXI. 15. &c. *partim* testimonium ipsorum Talmudicorum, in *Massechet Sanhedrin* Cap. 6. non dissimulantium, ad Jesum jure nativitatis Regnum Israëliticum pertinuisse

tinuisse; dum scribunt: *Jesus Nazarenus regno propinquus fuit, & Eum Paschae vespere suspenderunt.* cf. FRISCHMUTHI *Diss. de Messia Dei-Filio. ad Ps II. 7.* LAMPIUS *ad h. l.* & BENGELIUS *ad Luc. I. 32.* ubi hunc ipsum locum ex Talmude allegat.

§. III.

2) Id quoque in Thesi verissimum est, Messiam, in fidem ortus sui ex Davide, prodire debuisse *e vico Bethlehem*, ubi David erat seu habitabat, scilicet antequam regnum capesseret. Recte a) κώμην *vicum*, appellant Bethlehem. Licet enim Luc. II. 4. 11. appelletur πόλις *urbs*, quemadmodum & JOSEPHUS *Ant. Jud. L. VII. cap. 10.* πόλιν Φυλῆς Ἰούδα vocat, κώμη tamen seu *vicus* appellari potuit, *partim* in comparatione cum urbibus majoribus, e. g. Hierosolymis; unde & LXX. nomen hebræum עִיר & קִרְיָה sæpe πόλιν, interdum κώμην, vertunt, Jer. XLIX. 24. 25. ubi maxima urbs Damascus κώμη audit. cf. Jos. X. 37. XV. 9. *partim* ob decrementum, in quo erat tempore nativitatis Christi; vicus jam apertus, in cujus ruinis secundum litteram quoque veritas Prophetiæ Amosi Cap. IX. 11. impleta est, cum antea tempore Davidis & Regum proxime subsequentium πόλις, *civitas*, esset non ignobilis, in cujus claritatis memoriam Lucas locis cit. optime illam vocare potuit πόλιν Δαυὶδ, pristino præsertim ejus splendore non restituto tantum, sed etiam immense aucto per id, quod natales Christo præbuit. Recte b) Bethlehemum vocant κώμην ὅπου ἦν Δαυὶδ. Erat enim Bethlehem domus paterna Davidis 1 Sam. XVI. 1. XVII. 12. 15. unde & gentilitia sacra ibi celebrare solitus erat, 1 Sam. XX. 6. 29. Recte c) supponunt pro certo, Messiam esse non posse, qui *Bethlehemi non sit natus.* Nam *Bethlehem Ephrata*, in *tribu Juda sitam*, Jud. XVII. 7. fore locum illum benedictum, quem Deus Redemtori mundi natalem destinaverit, pridem erat prædictum, Mich. V. 1. unde & Matth. II. 5. scisitandi Herodi, ubinam nasci debeat Christus? Scribæ Judæorum confidenter respondent: Ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας, provocantes hoc fine ad cit. Michææ locum. cf. LIGHTFOOTUS *ad Matth. II. 2.* & quæ nos supra diximus ad *Allegatum* II.

§. IV.

Eatenus ergo dixerunt hi opponentes, quod res est: sed falluntur in eo, quod supponunt, prædictionem hanc in Jesu Nazareno non impletam esse, ut qui *Bethlehemi* non sit natus, sed *in Galilæa*. Contrarium sane nosse poterant ac debebant ex Historia Matth. II. descripta, quod scilicet Jesus *Bethlehemi natus sit*, licet Nazarethæ in Galilæa *conceptus* atque *educatus*, indeque *egressus* ad obeundum munus suum: Quin & *conceptionem* non Nazarethæ, sed *Hebrone* in Judæa factam esse, BENGELIUS existimat *in Gnom.* ad Luc. l. 39.

XL. AL-

XL. ALLEGATUM.

JOH. X. 34.

Ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, οὐκ ἔστι γεγραμμένον ἐν τῷ νόμῳ, Ἐγὼ εἶπα, θεοί ἐστε;

PS. LXXXII. 6.

אֲנִי אָמַרְתִּי אֱלֹהִים אַתֶּם וּבְנֵי עֶלְיוֹן כֻּלְּכֶם׃

VERSIO LXX.

Ἐγὼ εἶπα· θεοί ἐστε, καὶ υἱοὶ ὑψίστου πάντες.

§. I.

Connexio *Allegati* hujus est hæc: Christus Joh. X. 32. quæsiverat ex Judæis, ob quod opus lapidibus Ipsum impeterent? Responderunt hi v. 33. Lapidare se Ipsum velle, non ob opus aliquod bonum, sed propter blasphemiam, quod, homo cum esset, seipsum faceret Deum. Hanc blasphemiæ calumniam duplici argumento retundit Christus: primo quidem, argumento *a minori ad majus*, v. 34 - 36. secundo autem, argumentando *ab operibus suis*, v. 37. 38. Primo argumento inservit locus V. T. ad quem provocavit.

§. II.

Hic vero I. quoad *Formulam allegandi* notandum est, 1) Vividam hanc & emphaticam allegandi Formulam, qua interrogative ad ipsam adversariorum notitiam e Scriptura haustam provocatur, adhiberi solere, quando Thesis quædam probanda est, quæ aliis Verbo Dei contraria videtur. 2) Quum Christus locum allegatum ἐν νόμῳ scriptum esse dicit, cum tamen *in Psalmis* exstet; observandum est, vocabulum νόμος hic *in sensu latiore* sumendum esse, ut totam Scripturam sacram Vet. Test. designet, non *Pentateuchum Mosaicum* tantum, qui aliàs *in sensu stricto* תּוֹרָה, νόμος, dicitur, v. g. Luc. XXIV. 44. Joh. VIII. 17. Act. XXIV. 14. sed etiam *Prophetas & Hagiographa*. Hæc omnia sæpe sub uno *Legis* nomine allegantur, Joh. XII. 34. XV. 25. 1 Cor. XIV. 21. Ratio hæc est, quia non modo vox תּוֹרָה, νόμος, toti Scripturæ competit, cum tota nobis data sit *ad erudiendum* nos de via salutis, quæ est propria vocis תּוֹרָה significatio; cf. SURENHUSIUS *p.* 43. sed etiam, quia Pentateuchus præcipua pars est Vet. Test. tam

quoad ordinem, quam quia testimonium omnium Prophetarum sequentium in *Lege* fundatum, & secundum eam exigendum erat.

§. III.

Quod jam II. ipsum *Allegatum* attinet; observamus: 1) Licet in Pentateucho etiam Moses *Deus Aaronis* dicatur, Exod. IV. 16. & seniores populi *Dii*, Exod. XXI. 6. XXII. 8. 9. 28. unde & SURENHUSIUS *pag. 367.* Christum hæc loca simul respexisse statuit: ipsa tamen verba citata nonnisi in Ps. LXXXII. 6. exstare manifestum est. 2) Textus hebraici verba priora cum LXX. accurate exprimit Evangelista, unde nulla hic conciliatione opus est: posteriora vero, *& filii Altissimi omnes vos*, Christus subaudiri tantum voluit, quemadmodum v. 6. sub υἱὸς τῦ Θεῦ subaudiendum est Θεὸς; ut adeo in utraque propositione insit locutio concisa, quarum una ex altera supplenda est; & per consequens verba comm. 36. υἱὸς Θεῦ non minus dicant, quam vox Θεός. Ipsi certe Judæi ex eo, quod Christus Deum vocaverat *Patrem* suum, cum quo unum sit, v. 30. collegerunt, quod se Deum faciat; Christus contra v. 36. accusationem Judæorum repetens, pro Θεὸς, quod illi v. 33. in accusatione sua habebant, ponit υἱὸς τῦ Θεῦ: manifesto indicio, quod ἰσοδύναμα sint Θεὸς & υἱὸς Θεῦ. cf. LAMPIUS *ad v. 36. p. 723. & p. 725. in nota:* ubi contra SCHLICHTINGIUM, Socinianum, monet, quod nisi eandem excellentiam involveret, *Deum esse*, & *Dei filium esse*, tum Jesus Judæos aliquid dixisse declarasset, quod non dixerant, & pro fundamento criminis blasphemiæ non posuerant.

§. IV.

3) Quoad *Verba priora*, quæ sola Christus expresse allegat, observamus: a) Deus in illis alloquitur *Magistratus* populi judaici, seu *Judices* ejus, ut contextus docet & loci paralleli, antea ex Exodo allegati. b) In verbis אֲנִי אָמַרְתִּי latet hoc: Magistratus non veros, sed *nuncupativos* tantum *Deos* esse, λεγομένυς Θεῦς, uti vocantur, 1 Cor. VIII. 5. absque dubio cum respectu ad hunc locum nostrum. Hinc Christus mox v. 35. ait, eos omnem suam, si ita loqui fas est, Deitatem inde habere, *quod sermo Dei ad eos factus sit*, cum nullo modo *Dii* vocandi essent, nisi Deus eosdem primus ita vocasset; & postquam hoc nomine eos dignatus est, Dii tantum sint, qui *Deum* se superiorem, Regem Regum, Dominum Dominantium, & Judicem in medio Deorum (secundum Psalmum cit. v. 1.) agnoscere debeant. c) Quum Deus Magistratus Judæorum *Deos* nuncupat, peculiarem id respe-

ſpectum habuit ad *Theocratiam* populi Iſraëlitici, vi cujus Iſraëlitæ in iis ſuſpicere ac revereri debebant Deum ipſum. Notandum inſuper, quod titulus hic nunquam de ſingulis perſonis uſurpetur, ſed tantum de toto Magiſtratus Judaici corpore; nec de aliis Regibus Iſraëlis quibuscunque, ſed tantum de Magiſtratu illo eccleſiaſtico-politico, qui in deſerto eſt inſtitutus; denique, quod, quamvis Deus eos hoc titulo condecoraverit, is tamen nunquam ab aliis in eorum compellationem uſurpatus legatur: unde liquet, hanc compellationem non eſſe temere imitandam. Quo ipſo tamen haud negatur, in quacunque poteſtate terrena quandam divinæ majeſtatis umbram eſſe, reverendam propterea ab iis, quos eidem Deus ſubjectos voluit.

§. V.

Quod vero jam III. *Argumentationem* Chriſti ipſam ex hoc loco petitam, ſeu *Applicationem* ejus ad rem præſentem concernit; nervus illius non in eo poſitus eſt, quod ſe Deum tantum nuncupaverit eo ſenſu, quo & alii plures ſint Θεοὶ λεγόμενοι: ſed ut ſaltim hanc Judæorum illationem: *Qui ſe Deum dicit, blasphemus* eſt, infringeret, & inconſequentiam iis ob oculos poneret ex eo, quod Scriptura S. etiam nudos homines *Deos* appellet, nec tamen illa tolli, aut eidem contradici poſſit. Argumentum itaque non eſt *a pari*, ſed *a minori ad majus* ductum, quod etiam ipſi Sociniani fateri coguntur, Chriſtum ſcilicet modo longe eminentiori *Deum* eſſe, quam eos, qui Pſ. LXXXII. *Dii* vocentur, licet Eundem pro vero ac ſummo Deo non agnoſcant. Ita vero v. 35. & 36. argumentatur Chriſtus: Si Deus ipſe in Scriptura, irrefragabili decreto, pro *Diis* declarat eos, qui tamen nonniſi per verbum Dei ad ipſos factum *Dii* ſunt; quin etiam in ipſo iſto Pſalmo graviter ſunt reprehenſi, in ſe mortales, & ob injuſtitiam ſuam perituri: quo jure quæſo Eum, quem Pater ſanctificavit & in mundum miſit, vocare poteſtis blasphemum, ideo, quod ſe dixit Filium Dei eſſe? Hanc autem argumentationem indirectam mox directa ſequitur, v. 37. 38.

XLI. ALLEGATUM.

JOH. XII. 34.

Ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ ὄχλος, Ἡμεῖς ἠκούσαμεν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ Χριστὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα· καὶ πῶς σὺ λέγεις, Δεῖ ὑψωθῆναι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου; τίς ἐστιν οὗτος ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου;

EX PLURIBUS LOCIS.

§. I.

Continet hoc *Allegatum* iterum objectionem, quam Judæi Christo faciunt. Vaticinatus hic erat Joh. XII. 32. de morte sua, seu *Exaltatione ignominiosa*, scilicet e terra in trabem feralem crucis, tanquam via ad Exaltationem suam gloriosam. Ita enim phrasin ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς explicat Evangelista v. 33. & ipsimet etiam Judæi ita intellexerunt, quia τῷ ὑψωθῆναι opponunt τὸ μένειν εἰς τὸν αἰῶνα. Quare mireris, LAMPIO *pag.* 888. dubium videri potuisse, an sub verbo ὑψωθῆναι intelligant mortem ignominiosam *crucis*, an vero generatim mortem, per Euphemismum ita appellatam, quia cum sublatione in cœlos, quoad pios verosque Prophetas, conjuncta est. Ipse enim Christus satis aperte phrasin istam de crucifixione ista exposuerat Joh. III. 14. VIII. 28. quo posteriori loco Judæis tribuit, quod Ipsum exaltaturi sint. Huic jam Vaticinio Christi de sua morte opponunt dictum allegatum.

§. II.

I. Fundamentum objectionis est citatio quædam ex Lege, quod *Christus maneat in aeternum.* Percurramus singula verba: 1) ἡμεῖς, inquiunt, ἠκούσαμεν: Pronomen ἡμεῖς Ironiam involvit, uti & sequens σὺ. Doctores ac Magistros suos, suamque ab istis haustam notitiam, opponunt *Christo*, homini indocto & illiterato, Joh. VII. 15. 2) Verbo ἠκούσαμεν indicant, se non ex propria lectione & meditatione Legis, sed ex solo *auditu* Legis publice prælectæ, & Glossis Doctorum suorum hæc habere, quæ jam Ipsi opponant. 3) Vox νόμος hic iterum, uti Cap. X. 34. totum Vet. Test. Codicem denotat; neque enim in Pentateucho, quæ citan-

tantur, tam clare exſtant, ut eo credibile ſit Judæos reſpexiſſe. 4) Cum Allegatum totidem verbis in V. T. nullibi inveniatur, quæritur: Quis locus, vel quænam loca potiſſimum reſpiciantur? Allegare video Interpretes 2 Sam. VII. 16. coll. Pſ. LXXXIX. 29. 30. Pſ. XVI. 10. XLV. 7. LXXII. 5. CX. 4. Jeſ. IX. 7. XL. 8. (ubi ſi per *verbum Dei* intelligas *Filium Dei*, τὸ יָקוּם לְעוֹלָם bene conſpirat cum μένει εἰς αἰῶνα) Jeſ. LIII. 8. 10. Ezech. XXXVII. 25. Dan. II. 44. VII. 13. 14. Ac ſane, cum nullus locus V. T. verba citata ad litteram exhibeat, ex his aliisve locis hæc Theologiæ judaicæ theſis: ὅτι Χριστὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα videtur nata, & populo identidem inculcata eſſe.

§. III.

II. Objectio ipſa ex dictis hiſce formata hæc eſt: Καὶ πῶς σὺ λέγεις, δεῖ ὑψωθῆναι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου; τίς ἐστιν οὗτος ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου; 1) quæſtione prima ad abſurdum redigere volunt Chriſtum, de exaltatione Filii hominis, h. e. de morte Ejus loquentem. a) Nomen *Filii hominis* non adhibuerat Chriſtus v. 32. Quare vel cum GROTIO ſtatuendum, quod Evangeliſta non ſingula Chriſti verba, ſed eorum ſummam tantum retulerit; vel, quod LAMPIUS addit, Judæos ex aliis Chriſti ſermonibus percepiſſe, nomen *Chriſti* & *Filii hominis* Ipſi eſſe ſynonyma. Vid. Cap. VIII. 28. Quid, quod paulo ante de *Filio hominis* locutus ſit Cap. XII. 23. Nititur autem b) tota vis objectionis inſigni parhermenia Scripturæ Vet. Teſt. Nullibi dicitur, Meſſiam nunquam moriturum, ſed in terris ſemper manſurum eſſe, Ejusque regnum ibidem æternum fore; contrarium potius, quod ipſa mors via Ipſi futura ſit ad perennitatem, prænunciant loca Pſ. XVI. 10. ſeq. Jeſ. LIII. 8. ſeq. Nihilominus recepta tunc ſententia fuiſſe videtur, Meſſiam non eſſe moriturum: Recentiorum vero Judæorum hac in re diſſenſum prolixe enarrat EISENMENGER *im entdeckten Judenthum P. II. cap. 15.* quibusdam ſcilicet cum R. MAIMONIDE & R. ISAACO Meſſiam mortalem fore perhibentibus, aliis autem cum R. BECHAI & R. MEIR immortalitatem Ejus defendentibus. In priorem vero ſententiam Rabbinos potiſſimum dependere conſtat, ut proinde turba iſta multo auguſtiorem de Meſſia conceptum habuerit, quam recentiores Judæi fovent. 2) Altera quæſtio *perſonam* Meſſiæ tangit: Τίς ἐστιν οὗτος ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου; *Quis eſt iſte Filius hominis?* ſcil. quem tu exaltandum dicis? Nos nullum e verbo prophetico novimus, qui exaltandus, hoc eſt, in cruce cum ignominia moriturus ſit.

§. IV.

III. Quid Christus ad hæc responderit, v. 35. 36. docet. Noluit *directe* ad difficultatem Ipsi motam respondere, uti quidem facile potuisset, ostendendo, quod Magistri eorum testimonia Scripturæ in alienum sensum detorserint, quoniam alioquin ex ipsis didicissent, Messiæ per mortem ad gloriam æternam enitendum fore, Eumque regnum spirituale ac cœleste erecturum esse, cujus thronus non in terra, sed in cœlo stabiliendus sit; sed mittens hæc, partim quia norat, eos clariorem hujus mysterii expositionem ferre non posse, partim quia paulo ante v. 23. 24. quantum satis erat, de isto dixerat; *indirecte* saltim respondet, *Lucem* se esse, quæ omnino *per se semper* mansura sit, sed *non semper apud ipsos*, etsi putent, Christum, ubi semel venisset, nunquam non cum ipsis futurum esse: Pusillum temporis adhuc supereſſe, quo Ipso frui possint; hoc non bene collocato horrendas eos tenebras correpturas esse; credere igitur debere in lucem, dum habeant. Quo aculeo in eorum animis relicto (sed frustra, ut sequentia docent) *abiit*, seque *occultavit ab ipsis*, hoc ipso præludium exhibens judicii gravissimi, quod Moses jam ipsis comminatus erat Deut. XXXII. 20. cf. Matth. XXIII. 39.

XLII. AL-

XLII. ALLEGATUM.

JOH. XII. 38.

Οὐκ ἐπίσευον εἰς αὐτόν· ἵνα ὁ λόγος Ἡσαΐε τῦ προφήτε πληρωθῇ, ὃν εἶπε, Κύριε, τίς ἐπίσευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν; καὶ ὁ βραχίων Κυρίε τίνι ἀπεκαλύφθη;

ROM. X. 16.

Ἡσαΐας γὰρ λέγει, Κύριε, τίς ἐπίσευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν;

JES. LIII. 1.

מִי הֶאֱמִין לִשְׁמֻעָתֵנוּ וּזְרוֹעַ יְהוָה עַל־מִי נִגְלָתָה׃

VERSIO LXX.

Κύριος, τίς ἐπίσευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν; καὶ ὁ βραχίων Κυρίε ἐπὶ τίνι ἀπεκαλύφθη;

§. I.

Provocat ad hunc locum propheticum Evangeliſta poſtquam v. antec. conqueſtus eſſet, Judæos poſt tot ac tanta, quæ Chriſtus coram iis patraverit, ſigna, tamen in Ipſum non credidiſſe. Idem dictum, quoad verba priora, etiam Paulus allegat, Rom. X. 16. licet alio ſcopo, ſcilicet ob nexum πίσεως cum ἀκοῇ, uti a Johanne ob prædictionem incredulitatis Judæorum tantum non univerſalis & pertinaciſſimæ.

§. II.

Conſideremus I. *Formulam allegandi*; ubi 1) Conjunctio cauſalis ἵνα non denotat *cauſam finalem*, ſed conſequentiam tantum, aut eventum, ut ſæpe. Exempla vide apud GLASSIUM *in Phil. S. p. 1023. ſeqq.* idem etiam probans quoad particulam hebræam לְמַעַן & græcam ὅπως. Senſus ergo hujus loci eſt: *Sic evenit*, quod prædixit Propheta; ſeu: *Ita cognita fuit* veritas Prophetiæ Jeſaiæ. Indicatur ſaltim exacta Prophetiæ & eventus convenientia. *Praevidit* Deus Judæorum incredulitatem, ideoque *praedixit*; Judæi tempore Chriſti *actu non crediderunt*, ſicque *fecerunt*, quod penes ipſos erat *ut impleretur* iſta prædictio. ἵνα igitur valet, quod ὥϛε, *ita ut* &c.. 2) Ad phraſin ὁ λόγος Ἡσαΐε ſubtilitatem ſectatur SURENHUSIUS, quando obſervat, adhibitam eſſe illam ab Johanne, ut oſtenderet, Jeſaiam Cap. LIII.

non uno aut altero commate, ſed toto iſto Cap. in continuata ſerie, adeoque integro *ſermone* de Judæorum tergiverſatione in Meſſia recipiendo locutum eſſe, ita ut integer locus *de hac Materia* apud Jeſaiam exſtaret. Primo enim inſpectio Capitis aliud docet; deinde LXX. hebræum דָּבָר promiſcue per λόγος & ῥῆμα vertunt.

§. III.

3) Quum Johannes addit τῷ προφήτῃ, non modo hoc declarat, quod divinam ejus & canonicam auctoritatem cum omni Eccleſia Judaica, cujus hic conſenſum ſupponit, agnoſcat, ſed etiam, quod Jeſaias hoc ipſo, quem alleget, loco, tanquam Propheta loquatur, h. e. de rebus futuris in N. Teſt. 4) Verbum πληρωθῇ non ſemper de impletione, *uno aliquo eventu terminata*, ut v. g. Matth. I. 22. uſurpatur, ſed quandoque etiam de impletione, quæ *tractum temporis includit*, adeoque *ſucceſſive & gradatim* facta, uti Matth. XIII. 14. & hoc loco. Haud ergo ſequitur: Dictum Jeſaiæ de incredulitate Judæorum tam ante, quam poſt tempora Chriſti ſuum implementum habuit, & habiturum eſt: Ergo minus recte in Judæis Chriſti ætate viventibus impletum dicitur. Sufficit, Jeſaiam tempora Chriſti *etiam*, immo *vel maxime* reſpexiſſe; id quod contextus docet, quando mox, poſt citatum locum, de nativitate, vita, paſſione, morte ac reſurrectione Ejus ſermo eſt; in antecedentibus vero Cap. LII. ſub finem, de præconio Evangelii v. 7 - 10. coll. Rom. X. 15. 5) Ad verba ὃν εἶπε obſervandum eſt, etſi Jeſaias hæc verba locutus ſit ad Deum, eum non tantum *ſuo unius nomine* querelam hanc coram Deo effudiſſe; qui enim ita mox dicere potuiſſet in plur. לִשְׁמֻעָתֵנוּ præconio *noſtro?* ſed in ea ſimul, tanquam Prophetam, *Apoſtolorum perſonam* ſuſtinuiſſe, quibus eandem poſtea extorſit Judæorum pertinax incredulitas, ceu ex h. l. & Rom. X. 16. patet.

§. IV.

His præmiſſis, pergimus II. ad *Allegatum* ipſum, ubi quidem, verbis textus hebræi cum Verſione LXX. & Johannea collatis, patebit, 1) addidiſſe LXX. alloquium Κύριος [k]), quod etiam Apoſtoli, Johannes & Paulus, retinuerunt, manifeſto indicio, habuiſſe tam illos, quam hos hæc verba Jeſaiæ pro querela ad Deum directa, ſecus ac GROTIUS, qui Jeſaiam

k) Ita legit Verſio LXX. Edit. Breit. non Κύριε, uti Johannes & Paulus habent. At quis ignorat, ſæpiſſime Græcos nominativo uti, loco vocativi?

Jesaiam hic populum Judaicum alloqui censet, hoc sensu: *Vultis scire*, quis ille sit futurus, de quo cœpi agere, (scil. inde a v. 7. Cap. LII.) qui & meis prophetiis plenam habebit fidem, & ipse de maximis rebus, quas Dei potentia peraget, revelationes accipiet exactissimas, omnibus circumstantiis additis. Dabo vobis geminas ejus notas, unde cognosci possit. Hæc GROTIUS, eo fine, ut omnia deinceps ad *Jeremiam* Prophetam applicet. Putem sane, si τῶν LXX. auctoritas eum ab hac glossa deterrere non potuit, deterrere tamen debuisse auctoritatem Apostolorum, qui τὸ Κύριε ex illis etiam suum faciunt, adeoque Jesaiam his verbis Deum alloqui pro certo supponunt.

§. V.

2) *Primum* querelæ *membrum* מִי הֶאֱמִין לִשְׁמֻעָתֵנוּ recte sic redditum esse, Τίς ἐπίστευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν, nemo non videt. Juvabit tamen sequentia annotasse. a) *Interrogationes* alias *fortissime & absolute negant*, ita ut post *quis?* subaudiendum sit: *Nemo!* Ita hebraicum מִי usurpatur hoc ipso Capite LIII. v. 8. Generationem Ejus *quis* enarrabit? i. e. *Nemo*. cf. Ps. CXIII. 5. Jes. XL. 13. 14. & græcum τίς Joh. VIII. 46. Rom. VIII. 31. seqq. XI. 34. 35. Dantur vero & loca, ubi interrogatio non *simpliciter* negat, sed cum *restrictione* aliqua, ita ut *quis* respondeat Latinorum *quotusquisque*, & paucitas saltim eorum, de quibus quæritur, innuatur, e. g. Ps. XC. 11. *Quis* agnoscit robur iræ tuæ? Prov. XX. 6. Virum bonæ fidei *quis* inveniat? cf. Jes. XXVIII. 9. Hos. XIV. 10. Huncque sensum & hic obtinere, *partim* ex ipso *Jesaiae* contextu manifestum est, quando non obstante hac querela, sub initium Cap. effusa, postea in seqq. chorum *credentium* loquentem introducit v. 5 - 7. immo v. 12. de *multis* loquitur, quos Christus per cognitionem sui justificaturus sit; quanquam revera *pauci* sint in comparatione cum incredulis; *partim* ex contextu apud *Johannem* & *Paulum*: apud Johannem enim mox v. 42. expresse dicitur: Verumtamen etiam ex primoribus multi credebant in Eum; & apud Paulum Rom. X. 16. allegato hoc plus non probatur, quam, *non omnes* auscultare Evangelio. Interim emphatica tamen est hæc interrogatio, & *affectum* loquentis egregie exprimit, utpote cui, quam plurimos Evangelii fructus desideranti, paucitas credentium sitim non restinguit.

§. VI.

b) Hebræum שְׁמֻעָה vel שְׁמוּעָה non *auditum* hic, ſed ipſum *verbum*, *quod auditur*, ſeu præconium verbi deſignat [1]). Sic vox hæc ſumitur Jeſ. XXVIII. 9. Atque ſic etiam ἀκοή. Unde Evangelium dicitur λόγος ἀκοῆς 1 Theſſ. II. 13. Hebr. IV. 2. & ἀκοὴ πίστεως, Gal. III. 2. Eſt nimirum vox ἀκοὴ πολύσημος in N. T. denotans α) *auditum* ſeu facultatem & ſenſum audiendi 1 Cor. XII. 17. 2 Tim. IV. 3. β) *Auditionem* ſeu actum audiendi Matth. XIII. 14. ubi ἀκοῇ ἀκούσετε eſt *audiendo* audietis. γ) *Aurem* ipſam, ſeu organon auditus Marc. VII. 35. Act. XVII. 20. 2 Pet. II. 8. δ) *Rumorem*, *famam* Matth. IV. 24. XIV. 1. XXIV. 6. Marc. I. 28. XIII. 7. ε) Denique *verbum*, *quod auditur*, ut hoc loco & in parallelis. Priores quatuor ſignificatus etiam apud reliquos Scriptores græcos invenias; ſed quintus Scripturæ S. Novi Teſt. proprius eſt, efformatus quippe ad exemplum hebrææ vocis שְׁמוּעָה, ut adeo Hebraismus in eo agnoſci debeat. Prope quidem ad illum accedit, quod ἀκοὴ apud externos quoque Græcos deſignat *id*, *quod auditur*; ſed tum nihil aliud, quam *rumorem* aut *famam* notat, velut exempla oſtendunt a VORSTIO allegata in *Phil. S. P. I. p. 53. ſeq.*

§. VII.

3) *Alterum* querelæ *membrum* וּזְרוֹעַ יְהוָה עַל־מִי נִגְלָתָה non minus ac primum, exacte refert textus Græcus: καὶ ὁ βραχίων τοῦ Κυρίου τίνι ἀπεκαλύφθη; obſervamus hic: a) Quid per *Brachium Jehovae* intelligi debeat, diſſentiunt Interpretes. Sunt α) qui per illud deſignari putant *Filium Dei*, *Meſſiam* ipſum; quod poſt TERTULLIANUM, CYPRIANUM, CLEMENTEM *Alexandrinum* & AUGUSTINUM etiam CALOVIO noſtro placuit, nec non GERHARDO, BOHLIO, CAPPELLO; neque alienus eſt BENGELIUS *in Gnom. ad h. l.* qui in eo ſuffragatur CAPPELLO, quod copula, qua v. 2. cum v. 1. connectitur, omnino requirere videatur, ut ſubjectum v. 2. quo alias careret, quæratur in primo: jam vero v. 2. de Meſſia loqui, adeoque hunc etiam in v. 1. quærendum eſſe; nullibi autem quæri poſſe, niſi ſub emblemate *Brachii Jehovae*. Addit inſuper CAPPELLUS, quod Jeſaias alibi quoque Meſſiam appellet *Brachium Domini*, ſcil. Cap. XL. 10. LI. 5. LII. 10. Sed LAMPIO *ad h. l.* argumenta hæc rem non videntur conficere; cum quoad *primum* argumentum nil obſtet, quo minus ſubjectum v. 2. ſtatuatur *Servus ille Domini*, de quo Cap. antec. v. 13. ſermo eſt; *ſecun-*

1) Interpres Chaldæus hanc vocem per בְּשָׂרָא *Evangelium* expoſuit.

secundum vero mera petitio principii sit. Ipse proterea LAMPIUS mavult β) sub emblemate isto *Spiritum S.* quærere, provocans א) ad Ps. LXXXIX. 11. 14. ubi *brachium Dei* a Messia & robore Ejus distinguatur; Ps. XCVIII. 1. & Jes. LII. 10. ubi revelatio salutis Domini coram oculis gentium ut *effectus* hujus brachii consideretur; unde & alternet cum Spiritu Jehovæ Jes. XXX. 28. coll. v. 30. ב) Ad analogiam elegantissimam inter Spiritum Dei & emblema brachii.

§. VIII.

Sed quid? si ad א) regeratur, quod ipse CAPPELLO regessit ad loca, quæ adduxit; scilicet adducta loca secundum hypothesin inflecti, adeoque peti, quod in principio est; atque ad ב) analogiæ nil decedere, si per brachium intelligamus *Evangelium*. Et hæc est γ)τία sententia, statuens, in altero hoc querelæ membro idem prorsus dici, quod in primo, nisi quod *in eo* figurate jam efferatur, quod *in hoc* verbis propriis expressum erat; ut adeo *brachium Domini* nil aliud designet, quam Evangelium, quod modo ἀκοὴ dicebatur: Hinc enim Evangelium dici *potentiam Dei ad salutem cuivis credenti*, Rom. I. 16. quibus verbis ad hunc Jesaiæ locum a Paulo respici VITRINGÆ persuasum est *in Comm. ad Jes.* At vero, si fatendum, quod res est, hæc quoque expositio nobis non satisfacit. Omnino videtur *climax* seu *gradatio* inesse in verbis Prophetæ, nec adeo idem per idem dici. Vidit hoc VITRINGA; unde intelligit Evangelium *Spiritu Dei affectum* seu animatum, ad producendum affectum fidei: Sed eadem emphasis jam inest τῇ ἀκοῇ, quia miratur vates, quod ei non credatur.

§. IX.

Putem itaque δ) acquiescendum vel tandem esse in ea sententia, quæ per *brachium Jehovae* h. l. intelligit *potentiam Dei* in admirandis istis operibus, quibus Evangelio fidem fecit, hoc est in *miraculis*, conspicuam. Favet huic expositioni א) Quod non modo sæpissime in Scriptura *brachium* est emblema *potentiae*, speciatim divinæ, v. g. Exod. XV. 16. Hiob. XL. 4. Ps. LXXI. 18. ubi זְרוֹעַ alternat cum גְּבוּרָה; sed etiam in specie *brachium* vel manum suam *extendere* Deus dicitur ad *miracula* facienda, Exod. VI. 6. Deut. IV. 34. V. 15. XXVI. 8. 2 Reg. XVII. 36. adde Act. IV. 30. ubi precantur Apostoli, ut Deus *extendat manum suam*, sicque fiant signa & prodigia. ב) Quod Johannes hoc nostro loco, ut VITRINGA recte vidit,

dit, immediate ante allegationem hujus dicti Jesaiani, v. 37. de *signis* ac *miraculis* Christi loquitur, & in Judæorum incredulitate, tot tantisque signis inexpugnabili, illud impletum esse ait; Paulus vero Rom. X. 16. cum de *Evangelio* tantum, & fide illi non habita, loqueretur, priora tantum dicti Jesaiani verba allegat: *quis credit praeconio nostro?* transmissis hactenus posterioribus verbis: *cui revelatum est brachium Domini?* ut quæ norat signa & miracula innuere, de quibus ipsi jam non erat sermo, ostensuro scilicet, fidem esse ex *auditu*, v. 17. non ex *visu*, cujus objectum signa sunt. Atque sic sententiam veram de *brachio Domini*, quæ & GROTII est, nec non BENGELII, qui tamen & *opus redemtionis* addit, ita me dedisse confido, ut ad plenam convictionem nil desiderari queat.

§. X.

Ostendendum vero jam porro est, quid sibi b) velit phrasis de *revelatione* brachii Domini? Recte GROTIUS monet, intelligendum esse revelationem divinam *cum effectu suo ex parte hominis*; & LAMPIUS, revelationem involvere, & manifestationem a parte Domini, & agnitionem a parte eorum, coram quibus hæc manifestatio facta est. Ita sane verbum גָּלָה, ut GERHARDUS observat, usurpatur 1 Sam. III. 7. Jes. XL. 5. & & verbum ἀποκαλύπτειν Matth. XVI. 17. Luc. X. 21. 22. 1 Cor. II. 10. Gal. I. 16. & substantivum ἀποκάλυψις Eph. I. 17. 18. Amice etiam conspirat *proprietas* horum verborum. Nam גָּלָה & ἀποκαλύπτειν proprie significat *retegere*, vel *removere velum*, quod alios a videndo prohibet, adeobue *revelatio brachii Jehovae* non in eo tantum consistit, ut Deus *externe* opera faciat, e quibus potentia Ejus eluceſcit; sed etiam in hoc, ut velum oculis nostris obductum removeat, *interna* operatione Spiritus sui, quo potentiam Ejus in istis operibus actu videamus & agnoscamus. Cum vero internam hanc operationem multi non admittant, ex odio lucis, tanquam voluntarie cœci; brachium Domini, quantumvis *exsertum*, non vident: Atque hinc queritur vates: *Cui revelatum est brachium Jehovae? Externe* revelatum est omnibus, sed non *interne*, cum effectu fidei, propria ipsorum culpa. Contrarium vide Jes. LII. 10. *Nudavit* Jehova brachium suum sanctum coram oculis omnium gentium, & *viderunt* omnes fines terræ salutem Dei nostri. Atque sic omnia Allegati nostri verba sua jam luce radiant.

§. XI.

§. XI.

Supereſſet, ut III. vindicias quoque daremus *Applicationis*, a Johanne & Paulo factæ. Cum vero hac opera jam defuncti ſimus ad *Allegatum* Marc. XV. 28. actum agere nolumus [m]). Id unum addimus contra GROTIUM, quod gloſſa ejus de *Jeremia verbo Jeſaiae crediturо, & novas revelationes* de potentia Dei, in liberatione populi Judaici e captivitate Babylonica demonſtranda, accepturo, toto cœlo diſcrepet ab *Applicatione*, quam Apoſtoli Θεόπνευστοι faciunt. *Apoſtoli negative* explicant Prophetæ interrogationem; *Grotius affirmative: Apoſtoli* de *populo Judaico incredulo; Grotius* de *uno Jeremja credente: Apoſtoli* de Tempore *Novi Teſtamenti; Grotius* de Tempore *Captivitatis Babylonicae: Apoſtoli* de *auditu & verbo Evangelii; Grotius* de *praedictione liberationis* e captivitate Babylonica. Quin & ipſe ſibi non conſtat in commentis hiſce: Nam cum hic de *fide Jeremiae* locum interpretetur; alibi nempe ad Rom. X. 16. de *paucis ex populo tempore Jeremiae crediturіs* expoſuit. Quamquam & hoc falſum ſit, cum Apoſtoli hoc dictum impletum eſſe dicant in Judæis *ſui temporis*, adeoque Jeſaias non ſui tantum, aut Jeremiæ, ſed noviſſimi etiam temporis Judæos reſpexiſſe, ac Apoſtolorum ſimul nomine hanc querelam coram Deo effudiſſe cenſendus ſit. cf. ſupra §. III.

m) Conferri etiam meretur JOH. JAC. SALCHLINI *Diſſ. de quonam Vaticinium Jeſ. Cap. LIII. ſit intelligendum?* Bernæ 1734. Qui per ſingula *prædicata*, in Capite obvia, eundo demonſtrat, non poſſe aliud, præter Meſſiam, Prophetiæ hujus *ſubjectum* conſtitui. GROTII inprimis hypotheſin de Jeremia à p. 61 - 70. perſequitur.

XLIII. ALLEGATUM.

JOH. XIII. 18.

Ἀλλ' ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ, ὁ τρώγων μετ' ἐμοῦ τὸν ἄρτον, ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρναν αὐτοῦ.

PS. XLI. 10.

גַּם־אִישׁ שְׁלוֹמִי אֲשֶׁר־בָּטַחְתִּי בּוֹ אוֹכֵל לַחְמִי הִגְדִּיל עָלַי עָקֵב׃

VERSIO LXX.

Καὶ γὰρ ὁ ἄνθρωπος τῆς εἰρήνης μου, ἐφ' ὃν ἤλπισα, ὁ ἐσθίων ἄρτους μου, ἐμεγάλυνεν ἐπ' ἐμὲ πτερνισμόν.

§. I.

Allegavit hæc verba optimus Servator, cum Joh. XIII. 17. beatos prædicaſſet, qui exemplum amoris & humilitatis Ejus, in pedilavio exhibitum, ſint imitaturi; & initio v. 18. addidiſſet: *Non de omnibus vobis dico; novi Ego, quos elegi*, ſubinnuens ita proditorem ſuum. His enim ſtatim ſubjungit ἀλλ' ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ &c. Jam vero I. de *ſede hujus Allegati* in Pſ. XLI. 10. quærenda, nemo unquam dubitavit, præter GUIL. WHISTONUM, qui repetere illud mavult è Pſ. LV. 12. 13. ubi ſimilis eſt *querela* de *perfidia amicorum*. At cum *Allegatum* noſtrum *prioris* Pſalmi verba manifeſte referat, *poſterioris* autem non æque conſpirent cum illo; non eſt, cur eum in hac cauſa nos interpellantem audiamus.

§. II.

Potius ſine mora II. ad collationem hujus *Allegationis* cum Textu hebræo progrediamur; ubi videmus, 1) omiſiſſe Chriſtum in ſermone ſuo ad Diſcipulos, & ex ore Ejus etiam Johannem priora verba comm. 10. in Pſ. גַּם־אִישׁ שְׁלוֹמִי אֲשֶׁר־בָּטַחְתִּי בּוֹ *Etiam vir pacis meae, in quo confiſus ſum*; & poſuiſſe tantum verba extrema אוֹכֵל לַחְמִי הִגְדִּיל עָלַי עָקֵב. Si quæras, quare id factum ſit? Reſpondent a) *quidam*, factum id eſſe, quia verba omiſſa non usque adeo ad ſcopum Chriſti pertinuerint. Vid. RUSIUS *ad h. l.* p. 607. Sed hoc quidem vix probari poterit. Melius proinde b) *alii* dicunt,

dicunt, compendii gratia ultima tantum verba allegata fuisse, sed ita, ut Allegans auditorem vel lectorem ableget ad priora simul consideranda, cum verba אוֹכֵל לַחְמִי cum antecc. ad eandem ditionem *Atnachi* pertineant, reliquis ex ditione *Silluki* desumtis. Quam vero c) SURENHUSIUS insuper addit causam omissionis, quod scilicet Judas tunc temporis, cum Jesus hæc diceret, non amplius fuerit *vir pacis*, quoniam a Jesu jam desciverat, qui propterea ejus meminisse amplius noluerit sub nomine amici, *cui confisus sit*: hanc inquam rationem nostram non facimus, quia nimium probat; scilicet prædicata hæc nunquam in Judam competiisse, cum Christus ab initio noverit, nihil ei confidendum esse, Joh. VI. 70. 71. XIII. 11. & Christum multo minus post hæc, in captivatione sua, *amicum* eum compellare potuisse, quod tamen fecisse Illum legimus Matth. XXVI. 50. n)

§. III.

2) Verba אוֹכֵל לַחְמִי, per ὁ τρώγων μετ' ἐμοῦ τὸν ἄρτον optime versa, maximam proditoris *praerogativam* continent; unde & omnium minime omitti poterant. a) Vero quoad *ipsam phrasin* observandum est, ἄρτον ἐσθίειν vel φάγειν vel τρώγειν per se quidem & proprie plus non notare, quam nudi panis comestionem, quo sensu & apud profanos Auctores occurrit. Quum vero *totum prandium* aut *cænam* significat, uti Matth. XV. 2. Luc. XIV. 1. omnino in *hebraismis* numeranda est. Hoc enim sensu occurrit Gen. XLIII. 24. 32. 1 Sam. XX. 23. Prov. XXIII. 6. qui locus inprimis notari meretur, quia LXX. verba לֶחֶם אֶת – תְּלַחֵם אַל – רַע עַיִן ipsi etiam vertunt μὴ συνδείπνει ἀνδρὶ βασκάνῳ, ne *cænes* aut *prandeas* cum homine invido. Potest etiam vox לֶחֶם ratione etymi sui commode *cibum* in genere designare; est enim a Rad. לָחַם, quæ, ut modo audivimus ex Prov. XXIII. 6. *comedere* significat. b) Phrasis ὁ τρώγων μετ' ἐμοῦ τὸν ἄρτον, de proditore usurpata, ingens illud beneficium denotat, quando eum

n) Supposito hic, quod deinceps docebitur, Psalmum hunc proxime de *Davide* agere, atque in his, illis etiam de *Christo*, cujus typum Davides gesserit: mihi quidem omnino respondendum esse videtur ad propositam quæstionem, verba: *Vir pacis meæ, in quo confisus fui*, plane nullum respectum habere ad Christum, utpote qui de nullo suorum discipulorum, & omnium minime de Juda proditore usurpare ista potuit. En rationem omnium planissimam, cur ista verba Christus in sua allegatione transmiserit, in qua opus non est, Atnachi & Silluki fines dimetiri; quod subsidium alias non omni exceptione maius est. Neque τὸ ἑταῖρε Matth. XXVI. 50. obstat. Ὁ ἑταῖρος ἀ πάντας φίλος (Affert ex *Ammonio* BENGELIUS *in Gnom. ad h. l.*) καὶ, ἑταῖροι, οἱ ἐν συνηθείᾳ καὶ ἐν συνεργίᾳ πολὺν χρόνον γεγονότες. Ἑταῖρε itaque compellari poterat Judas, etiam proditor sui Magistri. cf. etiam de nomine ἑταῖρος Matth. XX. 13. XXII. 12.

eum *convictu suo* dignatus est Jesus, quæ *panis communio* etiam apud gentes nunquam non pro sacra & inviolabili amicitiæ tessera habita fuit; quemadmodum contra *edere cum aliquo nolle* signum est sublatæ communionis, 1 Cor. V. 11. Vid. LAMPIUS *ad h. l. p. 48. not. n.*

§. IV.

3) Verba הִגְדִּיל עָלַי עָקֵב minus feliciter LXX. reddiderunt ἐμεγάλυνεν ἐπ' ἐμὲ πτερνισμὸν; & ex his *Vulgatus: Magnificavit super me supplantationem.* Licet enim a) הִגְדִּיל, si in se spectetur, omnino verti queat *magnificavit;* hoc tamen loco sensus verbi, quem contextus requirit, non satis bene sic exprimitur. Melius quadrat verbum ἐπῆρεν, *sustulit, elevavit.* b) עָקֵב recte quidem, vertitur πτέρνα, non vero πτερνισμός: Illud enim *calcaneum* significat, hoc vero *calcitrationem* vel *supplantationem.* Versio *Lutheri*, per Metonymiam, *consequens* exprimit pro *antecedente.* Ad verbum hebraica cum REIZIO *in Vers. N. T.* sic reddas: der mein Brod isset, hat die *Ferse* gegen mich *aufgehaben.* Hujus consequens exprimit LUTHERUS: Tritt mich mit Füssen. Sumta est autem Metaphora α) non a more *cursorum*, aut *luctatorum*, adversarios suos *supplantantium*, uti ZEGERUS, MUISIUS & THEOPHYLACTUS volunt; sed β) vel a *bove* aut *equo* bene saginato, ideoque petulco & *recalcitrante*, ipsumque etiam benefactorem suum feriente, quo pertinet Deut. XXXII. 15. Impinguatus est Israël, & *recalcitravit.* Hoc sane sensu LAERTIUS *in Vit. Philos. L. V. cap. 2.* de *Platone* refert, quod de *Aristotele* dixerit, eum in se *recalcitrasse*, ut *pullum* in *matrem*, quia scilicet exsaturatus jam Platonis doctrina, illi se subducens, scholam contra eum aperuerit: vel γ) a *more veterum*, alios in sensum extremi contemtus *pedibus calcantium;* & hoc nobis maxime arridet. Vid. Jos. X. 24. Hanc ipsam sententiam adoptavit quoque DORSCHEUS *in Comm. in IV. Evang. p. 1123.*

§. V.

Sequitur III. ut de *Applicatione* hujus dicti, a Christo facta, nonnihil dicamus, Sunt 1) qui Psalmum XLI. unice Davidis fata describere, ejusque versum 10. a Christo nonnisi *per Accommodationem* quandam ad Judam proditorem applicari statuant, ob similitudinem ejus, quod Davidi per *Ahitophelem* contigit, cum eo, quod Judas proditor in Christo patraverit. At sic nulla foret in Psalmo *praedictio prophetica*, nec consequenter etiam in facto Judæ ulla *impletio*, quam tamen Christi verba innuunt. Sunt 2) qui ex adverso totum Psalmum *unice* ac *litteraliter* de Christo agere conten-

tendant, HIERONYMUS, AMBROSIUS, AUGUSTINUS, BUGENHAGIUS, BELLARMINUS, TARNOVIUS, GESNERUS, CALOVIUS, GERHARDUS, SEB. SCHMIDIUS, BAJERUS, COCCEJUS, LAMPIUS, WOKENIUS, RUSIUS, &c. Reſolutionem Pſalm cum continuo reſpectu ad Chriſtum dabit ex *Tarnovio* CALOVIUS *in Bibl. Ill. ad h. Pſ.* ubi inprimis notari meretur, quod ad præcipuum dubium ex v. 5. deſumtum, ubi ſubjectum Pſalmi *peccata ſua confitetur*, reſpondeant, etiam Chriſtum, qui peccatum factus eſt pro nobis, 2 Cor. V. 21. peccata noſtra, ipſi imputata, *ut ſua* coram Deo confiteri potuiſſe: *Coccejum* vero, ut elidat hoc telum, verba כִּי חָטָאתִי לָךְ ita exponere: *quia teneor tibi ad pœnam peccati*, qua ſenſu verbum חָטָאתִי occurrat Gen. XLIII. 8. XLIV. 32. Num. XXXII. 23. At non immerito hæc aliis contorta, & alia quoque hujus Pſalmi loca ſimili tortura opus habere videntur, ſi ad Chriſtum ſint applicanda.

§. VI.

Tutius itaque 3) alii in eo ſubſiſtunt, quod Pſalmus hîc *proxime* ac *litteraliter* de *Davide* loquatur, °) *remote* vero ac *myſtice* de *Chriſto*; ita quidem, ut ex intentione Spiritus prophetici fata Davidis, tanquam *typi*, adumbrent fata Meſſiæ, tanquam *antitypi*. Atque hi, quod David v. 5. de *peccatis ſuis* loquitur, extra typi rationem poſitum judicant, quia non omne, quod in typo eſt, ſimul eſſe debeat in antitypo. cf. 2 Sam. VII. 14. Cæterum nolim quidem cum *Grotio* hic provocare ad *Rabbinos* & *Chaldaeum Paraphraſten*, qui de *Ahitophele* intelligant hunc locum; hos enim de Meſſia hic non cogitare, haud mirum eſt. Putem tamen, litteram textus optime in perfidum hunc Davidis amicum quadrare, &, quod *Grotius* ſcite obſervat, Chriſtum hoc de Ahitophele dictum ideo ad Judam, Proditorem ſuum, applicaſſe, ut tacite ſimul ſignificaret, Judæ ſimilem fore exitum, qualis Ahitophelis erat, ſcilicet ἀυτοχειρίαν per laqueum. Fautores hujus ſententiæ ſunt CALVINUS, GROTIUS, DORSHEUS, SURENHUSIUS.

o) De tempore, quo Davides hunc Pſalmum compoſuiſſe cenſendus ſit, cf. LILIENTHALIUS l. c. p. 605. in nota. quod ipſum quoque argumento eſt, non poſſe non Davidem proximum ejus ſubjectum ſtatui.

XLIV. ALLEGATUM.

JOH. XV. 25.

Ἀλλ' ἵνα πληρωθῇ ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος ἐν τῷ νόμῳ αὐτῶν, ὅτι ἐμίσησάν με δωρεάν.

PS. LXIX. 5.

רַבּוּ מִשַּׂעֲרוֹת רֹאשִׁי שֹׂנְאַי חִנָּם׃

VERSIO LXX.

Ἐπληθύνθησαν ὑπὲρ τὰς τρίχας τῆς κεφαλῆς μου οἱ μισοῦντές με δωρεάν.

§. I.

Dixerat Jesus Joh. XV. 22 - 24. Judæos, tametsi doctrinam Ipsius audiverint, & miracula viderint, *odio* tamen *habere* & Ipsum & Patrem suum, adeoque inexcusabiles esse; nunc autem v. 25. ostendit, non esse, cur scandalo cuiquam sit Judæorum erga se odium, sed idem potius fidem Ipsi facere debere apud suos, quia hoc ipsum odium pertineat inter criteria Messiæ; hinc ἀλλὰ, inquit, *sed factum est hoc*, ἵνα πληρωθῇ &c.

§. II.

Quod I. ad *Formulam allegandi* attinet, de voce ἵνα, de voce λόγος, de verbo πληρωθῇ & de phrasi ἐν τῷ νόμῳ, ad *Allegata* XL. §. II. & XLII. §. II. diximus, quantum satis est. Restat ergo id unum, ut inquiramus, ubinam in Lege ὁ λόγος, quem Christus allegat, γεγραμμένος exstet? Certum est, in Psalmorum loco non uno tale quid dici: *Primo* quidem Ps. XXV. 19. ubi Davides conqueritur וְשִׂנְאַת חָמָס שְׂנֵאוּנִי *& odio violentiae oderunt me.* Cum autem non probabile sit, Evangelistam חָמָס redditurum fuisse δωρεάν, quemadmodum nec LXX. ita verterunt, sed μῖσος ἄδικον ἐμίσησαν με: hunc sane Psalmum Johanni hæc verba dedisse, non est credibile, licet SURENHUSIO id persuaserit *partim* particula ὅτι, quam inter omnes reliquos, qui allegari hic censeri queant, solus hic locus habeat; *partim* forma verbi μισεῖν, quæ hic eadem sit cum illa Johannis, scilicet ἐμίσησαν: Unde τὸ δωρεὰν quidem aliunde desumtum suspicatur, sed ὅτι ἐμίσησάν

σάν με ex hoc loco. Admitti vero hoc eapropter etiam nequit, quia Pſalmus XXV. non eſt *propheticus*. *Alii* proinde Pſ. XXXV. 19. pro ſede hujus Allegati habent, ubi LXX. verba שׂנאי חנם reddiderunt οἱ μισοῦντές με δωρεάν. Nec ſane deſunt, qui Pſalmum hunc de Chriſto exponant: HIERONYMUS, AUGUSTINUS, BUGENHAGIUS, BRENTIUS, GESNERUS, CALOVIUS, SEB. SCHMIDIUS, *van* TILL, LAMPIUS, RUSIUS, alii; quibus ſine dubio id perſuaſit paralleliſmus hujus Pſalmi cum Pſalmo XXII. qui ſine controverſia propheticus eſt; quo fine conferre jubent Pſ. XXXV. 21. cum Pſ. XXII. 8. Pſ. XXXV. 15. cum Pſ. XXII. 17. Pſ. XXXV. 17. cum Pſ. XXII. 20. ſeqq. Pſ. XXXV. 18. cum Pſ. XXII. 23. 26. Reliqua argumenta videantur in CALOVII *Bibl. Ill. ad Pſ. XXXV.*

§. III.

Cum vero præter hunc Pſalmum alius ſuppetat, qui in N. T. ſæpiſſime allegatur, in quo verba οἱ μισοῦντές με δωρεὰν itidem habentur; præſtat utique hunc pro *ſede Allegati* habere, ſcilicet Pſ. LXIX. 5. ubi Meſſias multitudinem hoſtium ſuorum deſcribit. Poſſet quidem etiam de Pſ. CIX. 3. cogitari, qui pariter Chriſtum canit, & in N. T. de Ipſo exponitur; at in hoc *res* quidem *eadem* dicitur, ſed *non iisdem verbis*. Ita enim hic Pſaltes רבּוּ משׂנאי חנם h. e. ex Verſione LXX. καὶ λόγοις μίσους ἐκύκλωσάν με, καὶ ἐπολέμησάν με δωρεάν. Putem itaque, Pſalmum LXIX. 5. præcipue hic reſpici, ita tamen, ut ſimul credibile nobis videatur, ipſam illam phraſeos שׂנאי חנם in tot Pſalmorum locis repetitionem occaſionem dediſſe *Talmudiſtis Hieroſolymitanis*, ut in *Cod. Joma*, alludendo ad omnia iſta loca, dicerent, *odium gratis*, der Haſs ohne Urſache, eſſe cauſam præſentis ſuæ miſeriæ & exilii.

§. IV.

Meminimus hujus loci Talmudici valde memorabilis jam ad *Alleg.* XXXV. §. VII. itidem ex hoc Pſ. deſumtum; ſed obiter tantum. Nunc ex LAMPII *Comm. in h. l. p. 274. not. h.* addere juvabit, PETRUM GALATINUM, quem ibi citavimus, absque dubio hunc Talmudis locum mutuatum eſſe ex RAYM. MARTINI p) *Pug. Fid. P. III. diſt. 3. cap. 21.* qui locum

p) Alias, GALATINO imputatur, eum enorme plagium ex RAYM. MARTINI commiſiſſe. Vid. BUDDEI *Iſagoge Hiſt. Theol. p. 1217.* BÆLIUS tamen *in Dict. Art. Martini*, GALATINUM non tam hunc, quam PORCHETUM *de* SALVATICIS, quem Buddeus etiam nominat l. c. deſcripſiſſe aſſerit.

cum integrum his exhibet verbis: *In ſecunda domo ſcimus nos, quod omnes laboraverunt in lege, & ſolliciti erant de praeceptis & de decimis, & omnis mos & habitus bonus fuit in ipſis, niſi quia amaverunt divitias, &* ODERUNT ISTI ISTOS ODIO GRATIS. *Difficile eſt* ODIUM GRATIS; *quin praeponderat prae Idololatria, revelatione pudendorum & effuſione ſanguinis.* Quæritur: Quid per ש"ח (uti שִׂנְאַת חִנָּם per notaricon ſive abbreviaturam exprimere ſolent) intelligant Talmudiſtæ? Judæi hodierni explicant de *odio in Prophetas a Patribus immerito occiſos*, v. g. *Zachariam*, *Jeſaiam* &c. Sed refellit eos CREGUTUS *in Revel. Arcan. Cap. II. p. 113.* 1) ex eo, quod Talmudiſtæ *l. c.* diſtinguunt *odium gratis* ab effuſione ſanguinis, quod cumprimis ad cædem Prophetarum referendum eſt. 2) Quia cauſa deſtructionis ſecundi templi abſurde quæritur in peccatis primi Templi. 3) Quia *odium gratis* adeo enorme ſcelus eſt, ut non ſolum tribus nominatis peccatis, ſed omnibus etiam peccatis templi prioris præponderet; cum peccata prioris templi 70. annorum captivitate, hoc autem tam diuturno exilio vindicatum ſit.

§. V.

Nobis ſic videtur: *Talmudiſtas Hieroſolymitanos*, cum viderent, Judæis toties in Pſalmis exprobrari *odium gratis*, huicque peccato in iisdem dictari tam diras pœnas, quales ob peccata prioris Templi haud experti ſint; veritatis vi adactos omnino *odium gratis*, in V. T. tam ſæpe atro carbone notatum, pro peccato templi ſecundi omnium maximo & graviſſimo habuiſſe, in eoque cauſam pœnæ omnium graviſſimæ, ſcilicet exilii ſecundi, agnoviſſe; licet præjudicatæ eorum opiniones iſtis haud permiſerint, de *odio gratis erga Jeſum Nazarenum*, tanquam peccato, quo menſuram ſuorum peccatorum impleverint, hic cogitare. Interea id, quod agnovere, argumento nobis eſt, eos pro propheticis habuiſſe Pſalmos, de hoc *odio gratis* ejusque pœna agentes. cf. Vindiciæ *Applicationis* Pſ. LXIX. ſupra Alleg. XXXV.

§. VI.

Jam II. ipſa *Allegati* verba expendemus. 1) Τὸ ὅτι eſt particula conſueta in Allegationibus, ſenſu non ratiocinativo, ſed ſpecificativo, ut ſit nota ſpecificationis illius, quod ſcriptum eſt. Quia ſcilicet non ipſa Pſ. LXIX. verba, prout in hoc jacent, allegare voluit Chriſtus, ſed rem tantum iis indigitatam, generatim inquit, ſcriptum eſſe, *quod* oderint Ipſum gratis. Vid. GLASSIUS *in Phil. S. p. 1121. ſeq.* qui & obſervat, hoc ὅτι

voce

voce latina apte reddi non posse. Atque hinc 2) non dicit μισοῦντές με, ut in Psalmo legitur, sed ἐμίσησάν με. Cum enim pro scopo suo e contextu Psalmi ea tantum verba excerpere vellet, quæ injustitiam odii Judæorum declararent, non poterat non constructionem Psalmi per Participium deserere. 3) Particulam חִנָּם à חֵן *gratia* propriissime Johannes cum LXX. vertit δωρεὰν *gratis*. Habet autem utraque, tam hebræa quam græca, diversum significatum. *Hebraea* significat a) *sine mercede*, sive quod quis aliquid faciat, ita ut nullus inde ad eum fructus redundet, Gen. XXIX. 15. vel in genere *sine effectu* Ezech. VI. 10. ut idem sit, quod *frustra*. b) Idem valet חִנָּם, quod *sine causa* scil. *justa*, 1 Sam. XIX. 5. XXV. 31. 1 Reg. II. 31. Ps. XXXV. 7. 19. CIX. 3. CXIX. 161. Unde LXX. vertunt ἀδίκως *injuste* Prov. I. 11. Atque sic & *graeca* δωρεὰν a) significat *sine mercede*, *sine pretio*, Matth. X. 8. Rom. III. 24. 2 Cor. XI. 7. Apoc. XXI. 6. XXII. 17. vel *sine effectu* Gal. II. 21. b) *Sine causa*, ut h. l. præeuntibus LXX. Jam quæritur: annon huic posteriori significationi subordinanda quoque hoc loco sit prior illa, ut scilicet odium Judæorum non modo *injustum* dicatur, sed etiam *frustraneum*, seu fine optato destitutum? Placet hoc LAMPIO *ad h. l.* & revera sane odium Judæorum *frustraneum* erat, secundum Ps. II. coll. Act. IV. 25. At cum nec in Psalmo, nec apud Johannem scopus fuerit, *vanitatem* odii Judæorum testificari, sed potius *injustitiam* illius, merito acquiescimus in hoc significatu posteriori. Quod vero jam III. ad Vindicias *Applicationis* in hocce Allegato spectat; plane ablegamus Lectorem ad *Alleg.* XXXV.

XLV. ALLEGATUM.

JOH. XIX. 28. 29

Μετὰ τοῦτο εἰδὼς ὁ Ἰησοῦς, ὅτι πάντα ἤδη τετέλεσται, ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφὴ, λέγει, Διψῶ· Σκεῦος ἔκειτο ὄξους μεστόν· οἱ δὲ πλήσαντες σπόγγον ὄξους, καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες, προσήνεγκαν αὐτοῦ τῷ στόματι.

PSALM. LXIX. 22.

וַיִּתְּנוּ בְרֹאשִׁי רֹאשׁ וְלִצְמָאִי יַשְׁקוּנִי חֹמֶץ׃

VERSIO LXX.

Καὶ ἔδωκαν εἰς τὸ βρῶμά μου χολὴν, καὶ εἰς τὴν δίψαν μου ἐπότισάν με ὄξος.

§. I.

I. Nullum est dubium, respici in his verbis Psalmi LXIX. comma 22. Etsi enim etiam Ps. XXII. v. 16. *sitim* Messiæ moribundi describat verbis: *Virtus mea ad instar testae exaruit, & lingua faucibus haeret*; (scil. præ siti) quam *sitis* mentionem mox excipit mentio *mortis*, quum additur: *Et in pulverem mortis reponis me*: hic tamen Psalmus ideo hoc loco non potest innui, quia *sitis* nulla fit *expressa* mentio, multo minus *aceti*, quo potandus in siti sua sit Messias. Utrumque vero diserte memorat Psalmus LXIX. Ergo hic est propria sedes nostri *Allegati*. Conferentes autem textum hebræum cum verbis Johannis deprehendimus, *ipsa* Psalmi *verba* à Johanne non allegari; sed *rem* tantum in iis prædictam partim v. 28. in verbo Christi διψῶ, partim v. 29. in potu, quem hoc verbo provocavit, impletam ostendi. Cum præterea jam ad *Allegatum* XXXV. demonstratum sit, subjectum hujus Psalmi esse Messiam; tam circa *Allegationem* quam *Applicationem* nihil dicendum restat, nisi ut II. ostendamus, *praedictionem* & *eventum* exacte sibi respondisse.

§. II.

1) Impletionem Vaticinii quoad *prius membrum*, *& dederunt in cibum meum* FEL, invénisse aliqui putant in hoc ipso loco nostro Johanneo, & quidem in mentione *Hyssopi*, herbæ amaræ, cui imposita fuerit spongia aceto

aceto plena, ita ut Christus acetum ex hac hauriens, simul ex illa insignem gustaverit *amarorem*, hicque *cibi* instar ipsi fuerit juxta potum istum. Ita v. g. SURENHUSIUS *in* Βιβλ. Κατ. *p. 379.* Sed ipsa nos historia passionis membri hujus prioris impletionem quærere potius jubet in potu isto, qui porrectus Christo fuit, cum in Golgatha cruci jam affigendus esset Matth. XXVII. 34. Marc. XV. 23. De hoc enim locis citatis expresse dicitur, & quidem apud Matthæum, quod Ipsi dederint acetum *felle* mixtum; & apud Marcum, quod dederint Ipsi *vinum myrrhatum*. Conciliandus hic *primo Marcus* cum *Matthaeo*, *dein* uterque cum *Propheta* in Psalmo loquente.

§. III.

a) Quum Marcus α) pro *aceto* apud Matthæum *vinum* dicit, nulla est inter utrumque pugna, quoniam acetum nihil est, nisi vinum acidum, quale erat militum Romanorum potus ordinarius, *posca* dictus, forte à *potando*, ut *esca* ab *edendo* sive deinceps fuerit acetum aqua temperatum, sive vinum acerbum & acetosum. Vid. BYNÆI *Gekreuz. Christus* p. 747. Quin & apud Judæos acetum vilioris sortis hominum potum fuisse, ex L. Ruth. Cap. II. 14. colligere licet. Quum β) Marcus pro *felle*, quod Matthæus habet, *myrrham* ponit, rursum utrique bene convenit, si consideremus, א) hebræum ראש & græcum χολὴ non semper præcise *fel* notare, sed sæpius *amarorem in genere*, sive *fellis*, sive *absinthii*, sive *myrrhae:* Unde LXX. sicut in Psalmo ראש per χολὴν vertunt, ita alibi לַעֲנָה *absinthium* itidem per χολὴν Prov. V. 4. Thren. III. 15. & quod Deut. XXIX. 17. שֹׁרֶשׁ פֹּרֶה רֹאשׁ וְלַעֲנָה *radix ferens fel & absinthium*, dicitur, id, Paulo Hebr. XII. 15. in genere ῥίζα πικρίας radix *amaritudinis* audit. cf. Jer. XXIII. 15. ubi LXX. מֵי-רֹאשׁ *aquam fellis*, ὕδωρ πικρὸν vertunt. Sicque etiam *Syrus* Matth. XXVII. 34. vocem χολῆς accepit, reddens illam vocabulo, quod in genere *amarorem* significat. Quibus observatis ita conciliari potest Marcus cum Matthæo: *Hic* in genere ait, vinum istud acetosum *amarore* simul mixtum fuisse; *ille* autem in specie designat, quænam illa res amara fuerit, scilicet *myrrha*. Ita v. g. *de* DIEU, DEYLINGIUS, RUSIUS. Quodsi vero hoc non arrideat, β) dicendum erit, Marcum referre, quod datum Christo fuerit poculum illud, ad supplicium ductis dari solitum, scilicet *vinum myrrha conditum;* Matthæum vero, non ea, qua solitum, mixtura datum fuisse, sed ex petulantia *felle adulteratum*. Vid. LIGHTFOOTUS *in Horis Hebr. ad Matth.* & BENGELIUS *in Gnom. ad Matth.* XXVII. 34. Sic se mutuo supplent Evangelistæ: Ex priori sen-

tentia Matthæum *Marcus*, amarorem ejus, generalius dictum, ad amarorem myrrhæ determinans; ex posteriori autem Marcum *Matthaeus*, myrrhæ fel etiam additum esse significans.

§. IV.

Ast, qua ratione b) jam Evangelista cum *Propheta* in Psalmo loquente conciliatur? Psalmus enim Christo *fel in cibum*, *acetumque in potum* datum fuisse asserit; Evangelistæ autem utrumque *pro potu*. α) BELLARMINUS quidem, quia nullibi de *felle* Christo *in escam dato* legatur, *metaphorice* id dictum putat q); sed obstat, quod sequentia *proprie* sint accipienda. Rectius proinde β) *alii* vocem hebræam בְּרוֹת in sensu latiori sumunt, ita ut *alimentum* in genere notet, ad quod etiam *potus* pertineat; vel *refectionem*, quæ itidem non cibo tantum, sed etiam potu fiat. Vid. GEJERUS *in Psalm. ad h. l.* VITRINGA *in Obss. Sacr. L. II. cap. 10. p. 419.* & LAMPIUS *ad h. l.* r) Atque in hoc acquiescere malim, quam γ) cum H. HOECKIO *im Siegel der Propheten* p. 193. eo recurrere, quod myrrha aceto immixta spissum illud quodammodo fecerit, ut pulmento esset similius, quam potui. Tantum de primo *Allegati* membro, cujus impletio Matth. XXVII. 34. Marc. XV. 23. non vero aqud Johannem quærenda est.

§. V.

2) *Alterum* vero *membrum* proprie est hujus loci, quando psaltes ait: *& in siti mea potarunt me aceto.* Memorabile est ipsum GROTIUM, quod *ad Alleg.* XXXV. §. VIII. jam monuimus, ad Matth. XXVII. 34. fateri, quod verba Psalmi de *potu aceti* in *Davide* figurate tantum, & κατὰ διάνοιαν impleta sint; in *Christo* autem κατὰ λέξιν simul & κατὰ διάνοιαν, adeoque sua ipsius vineta cædere, dum alibi contendit, Psalmum hunc in sensu litterali,

q) Credo itaque, sensum esse, amaram herbam, vel succum potius ex illa expressum injecisse hostes in escam Davidis & Messiæ, ut illam corrumperent: de *esca* enim, non de potu hic loquitur Psaltes, uti non male *Bellarminus* ad h. l. p. 379. qui cum esca hujusmodi non legatur data Christo, prius hemistichion hujus commatis allegorice explicandum vult. Sunt verba PFAFFII in *Diss. de felle esca & aceto potu Messiæ p. 7.* Sed ita secari videtur nodus, non solvi. Psalmum vero litteraliter de Christo intelligi debere, supra ostensum fuit ad *Allegatum* XXXV.

r) At cur LXX. tam distincte ponunt βρῶμα, quod potui contradistinguitur? cf. Hebr. IX. 10. Responderi potest, retinuisse illos sensum vocis ordinarium & maxime obvium; ipsum Prophetiæ sensum haud vidisse. Hunc haurire nos oportet ab Interpretibus διανεύσεως Evangelistis.

rali, qui utique & proprius est, allegorico seu mystico oppositus, Davidis fata describere. In Christo certe ad litteram ista verba impleta fuisse, testatur Johannes v. 29. Postquam enim v. 28. memorasset, Servatorem optimum quinto suo in cruce verbo Διψῶ *Sitio*, cum certo præsciret, acetum sibi propinatum, hocque potu passiones suas consummatum iri, impletionem hujus vaticinii ipsummet provocasse: mox v. 29. ostendit, quomodo illud actu impletum fuerit. Nostri instituti jam non est, difficultatibus istis, quæ Eruditorum circa hoc comma industriam exercuerunt, immorari; cum v. g. disquirunt, *unde & in quem finem* vas illud aceto plenum allatum sit? Deinde, qui Matthæus spongiam καλάμῳ circumpositam dicere potuerit, Johannes autem ὑσσώπῳ, cum ὕσσωπος sit nomen herbæ, ad altitudinem calami, qualis hic requirebatur, non assurgentis? Nobis, ne nil dicamus, observasse sufficiat: 1) Vas illud aceto plenum à militibus allatum fuisse; non hoc fine, ut ultimo supplicio jamjam afficiendis consuetus inde porrigeretur potus, qui non erat meri aceti, sed thure & myrrha mixti; verum in usum *militum Romanorum* crucifixionem peragentium, & crucifixos custodientium. 2) Matthæum generalius de *calamo* loqui, Johannem vero specialius de *calamo hyssopi*: Hyssopus enim montana, quam Arabes in montibus Hierosolymitanis frequentem esse scribunt, caulem habuit sustinendæ spongiæ satis firmum s) Plura qui desiderat, adeat BYNÆI *Gekreuz. Christus p. 750.* LAMPIUM *ad h. l.* WOLFIUM in *Curis*, & DEYLINGIUM *in Obss. Sacr. P. I. Obs. LI. §. IX. seqq. p. 231. seqq.*

s) Non tamen necessarium esse, ut *calamum* de caule hyssopi interpretemur; maxime, si falsum sit, hyssopum ad istam altitudinem assurgere: docet PFAFFIUS *in Diss. cit. p. 11. seq.* Potuit nimirum spongia aceto plena & *herba hyssopi circumdata* vel *ramis hyssopi imposita* calamo imponi. Cæteræ, quæ in tota hac re moventur, difficultates ad *Harmoniam Evangelistarum* potius, quam ad hocce institutum pertinent.

XLVI. ALLEGATUM.

JOH. XIX. 36.

Ἐγένετο γὰρ ταῦτα, ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ, Ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται αὐτοῦ.

EXOD. XII. 46.

וְעֶצֶם לֹא־תִשְׁבְּרוּ־בוֹ׃

VERSIO LXX.

Καὶ ὀστοῦν οὐ συντρίψετε ἀπ' αὐτοῦ.

§. I.

Allegat hic Scripturam Evangelista, postquam memorasset, Christum morte sua *crurifragium*, Ipsi æque ac latronibus destinatum, prævenisse, sicque ab eo immunem mansisse. Quæstio præcipua circa hoc Allegatum concernit *sedem illius in Vet. Test.* an scilicet respiciat locum *Exod.* XII. 46. an vero *Psalm* XXXIV. 21. an *utrumque simul?* Eo enim ipso ratio quoque *Applicationis* ejusdem simul patescet.

§. II.

I. Plurima pars Interpretum innui putat *legem* illam *Paschalem* Exod. XII. 46. ubi Israëlitis, Pascha primum celebrantibus inter alia præcipitur: *Et os non frangetis in eo.* Id ipsum vero observari etiam debebat in Paschate mensis sequentis Abib, quod divini Legislatoris benignitas iis concessit, qui ob impuritatem aliquam a Paschate mensis præcedentis fuerunt excluſi. Ita enim Num. IX. 12. denuo legimus: וְעֶצֶם לֹא יִשְׁבְּרוּ־בוֹ *Et os non frangent in eo*, id est, *agno paschali.* Hoc præceptum si respiciat Johannes, utique supponit, illud *typicum* fuisse; alioquin non potuisset illud in Christi a *crurifragio* immunitate impletum dicere. Ac sane, uti *agnum Paschalem* Christi *typum* fuisse ex 1 Cor. V. 7. discimus; ita recte hinc colligimus, Deum ideo Israëlitis interdixisse, ne agni Paschalis ossa frangerent, quoniam ossa ejus non fracta *typice* præsignificare debebant, Christi quoque, ut *antitypi*, ossa in cruce olim non frangenda esse. Quamvis itaque præceptum illud divinum, de non frangendis ossibus, in *agnis paschalibus* V. T. sæpissime jam impletum fuerit; nondum tamen *tota intentio divina*, quæ præcepto illi suberat, impleta poterat censeri, antequam in Christo *finalis Dei intentio* impleta fuit. Hoc autem facto, recte Johannes dixit, in eo, quod corpus Christi exanime ab ossifragio immune mansit, impletum esse præceptum illud. Quodsi enim vel fingere liceret, id non effectui fuisse datum, cujus

cujus intuitu lex illa Iſraëlitis erat data; non fuiſſet impletum, quod Deus intenderat. Si vero lex iſta tam ratione actus, quam ratione antitypi, ſeu finalis Dei intentionis, impleri debuit; oportebat utique Deum rem eo dirigere. Pone enim typum antitypo deſtitutum, & mox peribit ratio typi.

§. III.

Poſito itaque, agnum paſchalem typum Chriſti fuiſſe, mandatum iſtud typicum non prius, *ut typicum*, fuit impletum, quam & in antitypo impletum eſſet. Atque ſic exemplum hic habemus *theologiae typicae*, certo modo *argumentativae*. Typus enim, ſeu res ex inſtituto Dei aliquid præſignificans, erat quaſi *prophetia* quædam *realis* & *viſibilis*; & hinc ab eo tam infallibilis fuit conſequentia ad eventum ſuo tempore certo ſecuturum, ac a vaticinio quodam. Revera autem Johannem hic reſpexiſſe legem illam paſchalem Exod. XII. probari poteſt 1) ex eo, quod *tempus paſchatos* tum erat, cum hæc contingerent; adeoque Johanni nil magis in promtu erat, quam ut lex illa paſchalis ipſi in mentem veniret, ſi vel maxime illam nonniſi per meram *accommodationem* ad Chriſtum applicare potuiſſet. Non vero meram accommodationem in hoc Allegato eſſe, ſed 2) *Applicationem* typi ad antitypum idoneis rationibus, iisque ex ipſa ſacra Scriptura petitis, pridem evicerunt eruditi. Nam a) liberationem Iſraëlis ex Ægyptiaca ſervitute typum fuiſſe liberationis futuræ per Chriſtum, negari nequit: Itaque & *paſcha*, illa occaſione inſtitutum, *typus Meſſiae* fuerit neceſſe eſt, cujus morte effecta eſt liberatio noſtra ſpiritualis. b) Agnum paſchalem non *ſacramenti* tantum, ſed etiam veri *ſacrificii* rationem habuiſſe, DEYLINGIUS *in Obſs. Sacr. P. III. Obſ. XXXV. §. IX. p. 332.* inde probat, quia, licet *totus* non fuerit oblatus, adeps tamen agni Deo adolebatur, ejusque ſanguis ad baſin altaris effundebatur, teſte MAIMONIDE *Cap. I.* de *Paſchate*, §. VI. quod de eſſentia ſacrificii fuiſſe ex Hebr. IX. 22. conſtat. Quodſi vero ſacrificium fuit agnus paſchalis, non minus ac reliqua ſacrificia V. Teſt. Chriſtum præfiguravit. c) Si primum Vet. Teſt. ſacramentum, circumciſio, rationem typicam habuit, quod Paulus Col. II. 11. docet, eadem alteri quoque, ſcilicet agno paſchali, abjudicari nequit. d) Nullum dubitationi locum relinquit effatum Pauli ſupra jam cit. ex 1 Cor. V. 7. 8. ubi non modo Chriſtum paſcha chriſtianorum vocat, ſed etiam myſticum feſti azymorum ſenſum tradit. Conf. etiam loca, ubi Chriſtus *agni* nomine inſignitur, Joh. I. 29. 1 Pet. I. 18. 19. Apoc. V. 6. XIII. 8. t) &

t) Fundamentum habeat neceſſe eſt hæc denominatio metaphorica. In ſolis proprietatibus *agni* illud quærere non potes, quia illæ aliis quoque animantibus inſunt. Si ad agnos ſacrificiales provocas, hi omnes, ſecundum præceptum ſingulare, ſunt poſterioris inſtituti, quam agnus paſchalis; præterea alia quoque animantium genera ſacrificiis deſtinata fuerunt, a quibus Chriſtus nullibi denominatur. Ultima itaque hujus denominationis ratio rectiſſime petitur ab *agno paſchali*, ut Chriſti typo.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0367
DFG

& inprimis etiam Hebr. XI. 28. ubi Moſes *fide* (ſcil. in Chriſtum, ceu ex v. 26. patet) paſcha & ſanguinis effuſionem celebraſſe dicitur.

§. IV.

Has ob rationes plane non audiendus eſt SPENCERUS, qui in opere notiſſimo *de Legibus Hebr. Ritualibus L. II. Cap. IV. Sect. I. & ſeqq. p. 294. ſeqq.* agni paſchalis rationem typicam negat, ut conjectura tantum tenuique ſimilitudine nixam; contra vero probare ſatagit, ritus paſchales non alio fine a Deo inſtitutos eſſe, niſi ut Judæos a ritibus Ægyptiorum, Zabiorum maxime, aliorumque gentilium abſtraheret, hosque ipſorum contemtui exponeret: Hinc v. g. factum ait eſſe, ut juberet Deus, celebrare paſcha in memoriam exitus ex Ægypto ſolenni mactatione *agni maſculi* & adſperſione ſanguinis ejus ad poſtes ædium, ut cognoſcerent hoc modo Iſraëlitæ, *agno maſculo* ſeu *arieti*, quem Ægyptii inter numina ſua præcipua coluerunt, nihil ineſſe divinitatis, & animal iſtud tam contumelioſe tractando indicarent, ſe non minus ab Ægypti ſuperſtitione quam ſervitute receſſuros. Inde porro derivat præceptum, *ne quid ex agno paſchali crudum ederetur, aut oſſa ejus frangerentur;* oppoſitum ſcilicet, ex mente *Spenceri*, moribus gentilium, in bacchanalibus ſuis aliisque Deorum ſuorum feſtis crudas victimarum carnes ore cruento dilaniantium, earumque membra diſcerpentium. Falli in hiſce & fallere *Spencerum*, CLERICUS ipſe, magnus alias inventorum Spencerianorum admirator, docuit *in Comm. ad LL. Hiſt. V. T. ad Exod. XII. 5. 9. &c.* Adde d' OUTREINII *Comment. in Epiſt. ad Hebr. P. III. p. 810. ſeqq.* Nos in argumentis pro typica ratione totius inſtituti paſchalis ſupra allatis acquieſcimus, & eo magis quidem, quod ipſe *Spencerus l. c. p. 390.* ob illuſtre oraculum 1 Cor. V. 7. fateri tandem cogitur, in aliquibus feſti hujus inſtitutis ſchema vel imaginem quandam Chriſti, paſchatos noſtri, oculis ſagaciorum Judæorum propoſitam fuiſſe, licet haud agnoſcat, quod nos quidem tuemur, *primarium*, ſi non *unicum*, illius ſcopum *Chriſtum* fuiſſe. u)

§. V.

u) Nemo, præjudicatis opinionibus non impeditus, negabit, inſtituti etiam divini rationem eſſe ſufficientem. Idem ergo de *agni paſchalis* præceptione, ſingulisque ejus circumſtantiis valet. At vero cur *os ei frangi non debuerit*, nulla dari poteſt ratio: Cur quæſo os frangi prohibitum fuit agno, qui totus debebat comedi? At bene patet ratio, ſi ad Chriſtum agnum illum reſpexiſſe dicas, cujus corpus brevi in vitam inſtaurandum non decebat talia toleratæ mortis ſigna exhibere, quæ mutilum, mancum, deformatumque illud effeciſſent, quod fractis cruribus factum fuiſſet. Alia omnino eſt lateris perfoſſi, & manuum pedumque clavis transfixorum ratio, alia fractorum crurum. Quare etiam *Spencerus* ipſe hujus legis rationem omnium minime ex ſua hypotheſi dare potuit. Unum Poëtam, *Catullum*, allegat, cujus autem verſus *Pars e divulſo jactabant membra juvenco* nihil probat. Poëta enim quascunque carnium fruſta, animali ipſo quoad oſſa & crura integro, *divulſi membra juvenci* dicere potuit. Alter locus, *Clementis Alexandrini*, quem in ſubſidium

§. V.

Si vero certum sit, *agnum Paschalem* Christi typum fuisse, quis Johannem in allegatione sua typum hunc in animo habuisse, eumque ad rem circa festum paschatos gestam applicasse dubitet? cum præsertim, quod 3) urgemus, *Allegatum* cum textu hebr. Exod. XII. satis omnino conspiret. Effert quidem Johannes in tertia persona sing. fut. 2. passivi, συντριβήσεται, quod Exod. XII. legimus in secunda pers. plur. fut. act. συντρίψετε, & in loco parallelo Num. IX. in tertia persona sing. fut. primi pass. συντρίψεται, uti Alexandrinus habet, cum alii habeant συντρίψωσιν. Sed tam levis est hæc discrepantia verbalis, ut merito rem ipsam nobis dubiam facere haud debeat. Antitypum in animo habuit Evangelista; in hunc vero melius quadrabat futurum passivi, quam futurum activi *in praecepto Judaeis dato.* Non enim hi, sed milites Romani ossa Christi fracturi fuissent, nisi morte sua antevertisset hanc ignominiam.

§. VI.

His omnibus vero non obstantibus fuere II. qui de *alia* hujus Allegati *sede* cogitarent, eamque in Ps. XXXIV. v. 21. invenisse sibi persuaderent, ubi integrum comma ita habet: שֹׁמֵר כָּל – עַצְמוֹתָיו אַחַת מֵהֵנָּה לֹא נִשְׁבָּרָה & secundum LXX. φυλάσσει πάντα τὰ ὀστᾶ αὐτῶν· ἓν ἐξ αὐτῶν οὐ συντριβήσεται Hunc locum, excluso priore, respici putat GROTIUS, &, dum ibi specialem Dei curam pro homine pio describi asserit, eo ipso verba nonnisi *per accommodationem* ad Christum traducta agnoscit. Consentit JAC. CAPPELLUS *in Obss. ad Psalterium, in Opp. posth. fol. 661. b)* item WHITBYUS, nec abhorret admodum LIGHTFOOTUS *in Hor. Hebr. ad hunc Joh. locum.* Plane vero in rem suam vertit hanc sententiam SPENCERUS modo notatus p. 303. Arbitrantur, inquiens, equidem nonnulli, mandatum illud Exod. XII. 46. typicam Christi prophetiam continere, & ideo datum, ut agnus Paschalis imaginem eo magis expressam Christi, ne osse quidem fracto, crucifixi gereret. Sed nil opus est, ut ad prophetias hasce typicas confugiamus, cum rei hujusce prophetiam magis disertam in Psalmis habeamus, scil. Ps. XXXIV. 21.

§. VII.

At vero alii recte monent, si supponatur, in Psalmo nonnisi specialem Dei curam pro quovis homine pio describi, hunc locum plane huc non quadium advocat, plane contra ipsum est, utpote qui non de crurum & partium solidarum, sed *carnium cæsarum* divulsione loquitur. Itaque, si hic priorem, ut putat, explanare debet, plane nihil ad rem dixit. Videatur Ipse p. 303. Edit. Tub.

quadrare, quia tum locutio: *Unum ex iis non conteretur, paræmialis* tantum est, instar illius Matth. X. 30. Luc. XII. 7. XXI. 18. Act. XXVII. 34. exprimens duntaxat singularem Dei curam pro suis. Hæc vero nihil ad crurifragii intermissionem facit, cum ipsi etiam latroni converso crura tunc fuerint fracta, & postea Martyrum non uni, qualium EUSEBIUS meminit *in Hist. Eccl. L. VIII. cap. 12.* Christus autem hac in re *singulare* quid habuit, ejusque ossa, etiam propriissime loquendo, frangi non debebant, consequenter talis quærenda est prophetia, in qua *proprie* de fractura ossium sermo est, non *improprie & adagialiter* saltim, si in Christo dicenda sit impleta fuisse, cum ossa Ei non frangerentur. Hujusmodi vero non est illa Psalm XXXIV. 21. sed hæc, quæ Exod. XII. 46. exstat: ubi de typo Christi tam proprie dicitur, ossa ei non frangenda esse, quam apud Johannem de Christo ipso, quod ossa Ejus non confracta fuerint.

§. VIII.

Hanc ob causam III. *alii* simul ad *utrumque locum* respici volunt: Quorum aliqui 1) dicunt, dictum Psalmi de *fidelibus*, quos singulari cura Deus protegat, recte abs Johanne translatum esse ad *Christum*, ob *mutuam relationem capitis & membrorum*, quæ inter Christum & fideles intercedat: In Christo enim voluisse Deum exemplum & pignus exstare non frangi ossa eorum, qui timeant Dominum; idque jam in *agno Paschali* præfiguratum esse. Ita COCCEJUS in *Psalm.* XXXIV. *Opp. T.* II. *p.* 149. Nec deesse videntur exempla talium allegationum, ubi quod de membris Christi dictum est, ad Christum applicatur. Vid. e. g. locus Matth. II. 15. cum Nota BENGLII, qui & ipse Johannem in nostro loco *tam Psalmum, quam Mosen* respicere statuit; sed ita, ut non constet, num ex eodem, quo Coccejus, fundamento an ex hoc, quod per *Justum* v. 20. Psalmi Christus Ipse intelligendus sit? Idem de VITRINGA dicendum, qui *in Obss. Sacr. L.* II. *cap.* X. §. XI. *p.* 416. non audere se ait, præfracte negare, quod locus Psalmi huc pertineat. Addatur GERHARDUS *in Harm. T.* III. *p.* 2049. qui pariter dictum Ps. XXXIV. 21. non incocinne huc referri censet. Nec abnuerim Ego, si modo evinci posset Psaltem ad verba Mosis respexisse; quod eapropter non est verosimile, quia Mosis verba *proprie* sunt intelligenda de fractura ossium, Psalmi autem *improprie & adagialiter*, ut ante dictum.

§. IX.

Fortasse autem cum aliis 2) dicendum est, *Justum* illum, de quo v. 20. esse *Messiam*, *Justum* illum κατ' ἐξοχήν. Ita SAL. van TILL *ad hunc Ps. locum*, & e nostris FR. WOKENIUS *in Harm. V. & N. T. p.* 103. Ac sane hoc

hoc admisso evanescit difficultas, quæ priorem sententiam premit, cum hac ratione Psalmus *aeque proprie* de antitypo diceret, quod Moses de typo dixit. Sed vereor, ut probari unquam possit, Messiam directum hujus prophetiæ subjectum esse. Ipsi etiam LAMPIO rationes afferri solitæ non videntur stringere *in Comm. ad h. l. p. 632. n. u.* Allegatur quidem in N. T. hujus Psalmi V. 9. 1 Pet. II. 3. & v. 13-17. 1 Pet. III. 10-12. sed, quod probe notandum, scopo *morali* non *doctrinali*, quasi prophetiam de Christo contineret.

§. X.

Putem itaque tutius inhæreri sententiæ *primae*, quæ locum Exod. XII. unice respici contendit. Urgeri quidem video ab iis, qui pro utroque pugnant, quod Johannes verba sua ex utroque loco desumsisse videatur, cum ex *Mose* ὀςῦν in singulari ponat, Psalmo contra ὀςᾶ in plurali habente, & e *Psalmo* συντριβήσεται, *Mose* contra συντρίψετε & συντρίψουσιν habente; omittens etiam τὸ καὶ, non prætermissurus, si Mosaicum וְעָצָם respiceret, cum in alio Allegato illud addiderit, Joh. VI. 45. Sed fateor, tanti hæc mihi non videri, ut, præter locum Mosaicum, de alio me cogitare jubeant. Suppetit omnino ratio, cur Johannes συντρίψετε mutaverit in συντριβήσεται, uti jam supra observatum fuit §. V. Omissio vero τῦ καὶ ideo non probat locum Mosaicum haud respici, quia Johannes in Allegato ex Zacharia, mox v. 37. sequente, hebraicum וְהִבִּיטוּ pariter, omissa particula καὶ, vertit: ὄψονται. Addo, quod αὐτοψία doceat, Allegatum Johannis cum loco Mosaico in reliquis quoque melius convenire, quam cum Psalmo. Nam præter id, quod ille ὀςῦν habet in singulari, uti Johannes; pronomen αὐτῷ, quod Johannes addit, utique melius concinit cum Mosaico ἀπ' αὐτῦ; atque hoc ipso BENGELIUS agnoscit, melius cum hebraico בּוֹ, quam cum Psalmo, qui nil habet, quod huic pronomini respondeat.

XLVII. ALLEGATUM.

JOH. XIX. 37.

Καὶ πάλιν ἑτέρα γραφὴ λέγει, Ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν.

ZACH. XII. 10.

וְהִבִּיטוּ אֵלַי אֵת אֲשֶׁר־דָּקָרוּ׃

VERSIO LXX.

Καὶ ἐπιβλέψονται πρὸς μὲ, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο.

§. I.

Continuo succedit hocce Allegatum antecedenti; & quemadmodum prius docuit, Deo volente ac providente immunem mansisse Christum a *crurifragio*, contra Judæorum conatum ac Pilati mandatum: ita hoc jam docet, Eodem volente ac providente *latus Christi crucifixi perfossum fuisse.*

§. II.

Quod itaque I. *allegationem* a Johanne factam attinet, conferenda est illa 1) *cum Versione LXX.* atque hic observandum est, a) exstare hoc loco exemplum sat luculentum *correctae* à Scriptoribus N. T. *Versionis istius Alexandrinae.* Cum enim Johannes nimis longe a textu hebræo illam recedere deprehenderet, אֵת אֲשֶׁר־דָּקָרוּ vertendo ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο; ab ea sibi recedendum esse existimavit. Equidem si Interpretes quosdam audiamus, Evangelista τοὺς LXX. non correxit, sed revera in Codice græco, quo usus est, legit, εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, non vero ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, quæ verba prioribus a manu recentiori substituta censent. Ita IS. VOSSIUS *in Lib. de Translatione LXX. Interpr. cap. VIII.* HUETIUS *in Dem. Evang. Prop. IX. §. VI. p. 996.* RICH. SIMONIUS *in Hist. Crit. N. T. p. 243.* Nec e Nostris in summa rei dissentiunt CASP. SAGITTARIUS *in Harm. Hist. Pass. Christi P. III. cap. III.* & JOH. AD. SCHERZERUS *in Dist. ad h. l.*

§. III.

Rationes hujus sententiæ hæ sunt: α) quod editio *Aldina* τῶν LXX. hodienum habeat: εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, nec non Codex Barberinianus vetustissi-

ſtiſſimus, *Huetio* teſte. β) Quod Patres, *Hieronymo* antiquiores, JUSTINUS *Martyr*, TERTULLIANUS, CYPRIANUS, MACARIUS, quos allegationes ſuas è LXX. vel ex vulgata ad iſtam adornata hauſiſſe ſupponunt, ἐξεκέντησαν legerint. γ) Quod Johannes alibi quoque in citandis V. T. oraculis Græcos Interpretes magis, quam textum hebræum ſecutus ſit. Sed recte reſpondetur, ad α) ſi editio *Aldina* habeat ἐξεκέντησαν, Romanam contra, Complutenſem, & Plantinam Antwerpienſem, habere κατωρχήσαντο, nec non Codicem Alexandrinum, Barberiniano longe antiquiorem. Ad β) lectionem κατωρχήσαντο eſſe antiquiſſimam, teſtantur *Hexapla* ORIGENIS, *Hieronymo* itidem antiquioris: Patres vero, ad quos altera pars provocat, neceſſario e Verſione LXX. allegata ſua depromſiſſe, gratis ſupponitur, cum longe ſit probabilius, eos ex Johanne τὸ ἐξεκέντησαν repetiiſſe x). Ad γ) falſum eſſe, quod Johannes in allegationibus ſuis τὰς LXX. magis, quam textum hebræum ſequi conſueverit. Contrarium docet Allegatum proxime præcedens, quod nec cum loco Exod. XII. nec cum loco Pſ. XXXIV. ex aſſe conſpirat. Cf. etiam Joh. XII. 40. XIII. 18. y) Putamus ergo, verſionem hanc perverſam, quæ דָּקְרוּ reddidit κατωρχήσαντο eſſe primigeniam.

§. IV.

Quodſi autem b) quæras, qua ratione factum ſit, ut verbum iſtud hebraicum ita ibi translatum habeatur? diverſimode reſpondent eruditi. Sunt a) qui temere ſtatuant, LXX. Interpretes vere in Codice ſuo hebræo legiſſe, non דָּקְרוּ, *compunxerunt*, ſed רָקְדוּ, *inſultarunt*, hancque lectionem fuiſſe genuinam & primitivam, unde recte hoc verbum reddiderint per κατωρχήσαντο, & Codices noſtri hebræi ex hac verſione corrigendi ſint, ita ut pro דָּקְרוּ, quod nunc legimus, reponatur רָקְדוּ, ſicut olim lectum fuerit. Ita LUD. CAPPELLUS *in Append. Crit. S. p. 482.* & GUIL. WHISTONUS *in Con. Reſtit. Text. Hebr. p. 822.* At vero vanitatem hujus com-

 menti

x) Sat graves rationes iis, qui Verſionem LXX. ex Evangeliſtis & Apoſtolis correctam fuiſſe putant, opponit WALTONUS *in App. Bibl. p. 338.* At ibi quæſtio eſt de ejusmodi mutationibus, quæ *omnes Codices græcos* pervaſerint; hic vero de una *Editione Aldina* & uno *Codice Barberiniano* ſermo eſt.

y) Videtur neque unum neque alterum ſimpliciter affirmari generatim poſſe. Secuti ſunt hanc Verſionem Scriptores N. T. & non ſecuti ſunt, ut collatio docet: cur vero ita fecerint, ratio certa ſemper dari non poteſt. Neque vero etiam Interpretem textus originalis authenticum, Spiritum S. decebat, in citandis *ſuis* oraculis iisdem legibus ſe adſtringere, quibus nos tenemur, quando *aliorum* ſcripta allegamus. Sæpius ad hæc in textu provocatum fuit, neque ſatis provocari poteſt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0373
DFG

menti vel ex eo perſpicere licet, א) quod nullus allegari poteſt Codex hebræus, qui habeat דָּקָרוּ. ב) Quod reliquæ Verſiones græcæ omnes habent ἐξεκέντησαν, quarum præterea Auctores דָּקָרוּ in ſuis Codicibus hebraicis legiſſe oportet. AQUILA enim habet: σὺν ᾧ ἐξεκέντησαν; THEODOTION ὃν ἐξεκέντησαν, & SYMMACHUS ἔμπροσθεν ἐπεξεκέντησαν. ג) Nulla plauſibilis ratio dari poteſt, cur Judæi poſtea דָּקָרוּ mutarint in דָּקָרוּ. ד) Cum & Johannes habeat ἐξεκέντησαν, is certe ſuo jam tempore in textu hebræo דָּקָרוּ legerit neceſſe eſt; conſequenter non demum ſub initium Sec. II. דָּקָרוּ Judæorum fraude mutari potuit in דָּקָרוּ, ut WHISTONUS contendit.

§. V.

Alii proinde β) lectionem דָּקָרוּ ut genuinam & primigeniam merito tuendam cenſent, ſed ita, ut τῷ κατωρχήσαντο LXX. Intt. alios atque alios natales tribuant. Sunt א) quibus videantur Illi ordinariæ verbi דָּקַר ſignificationi, qua idem dicit, quod ἐκκεντεῖν, *compungere*, *transfigere*, *de induſtria* ſubſtituiſſe ſignificatum verbi רָקַד, quod ſignificat *ſaltare*, *inſultare*. Ita 1) COCCEJUS *in Comm. ad h. l.* exiſtimat, LXX. cum neſcirent, quid hic loci faceret *confoſſio*, forſan putaſſe, in ſcriptione ſphalma eſſe, & propterea ex conjectura ſubſtituiſſe דָּקָרוּ, idque dein vertiſſe κατωρχήσαντο. Suam fecit hanc ſententiam BUXTORFIUS *in Anti-Crit. S. vindiciis hebr. verit. P. II. cap. VIII. p. 680.* Nec non CALOVIUS *in Bibl. Ill. ad Zach.* Sed opponit hisce cogitatis a) SCHERZERUS *in Diſſ. cit. p. 8.* & LAMPIUS *in Comm. in Joh. T. III. p. 632. n. x.* Dogma de Meſſia confodiendo & occidendo a Judæis non fuiſſe negatum; ſciviſſe hoc illos ex Pſ. XXII. 17. & in eo poſtea demum refugium quæſiviſſe, quod alius ſit Meſſias *Davidis filius*, nunquam moriturus, alius vero Meſſias *Joſephi* ſ. *Ephraimi filius*, qui occidendus ſit [z]). Nos b) id maxime urgemus, quod æque probabile ſit, LXX. Intt. ignoraſſe, quod Meſſias *ſubſannandus* ſit; unde non minus abhorrere debuerint ſignificatum inſultandi, quam confodiendi, cum ſubſannationem pariter ac transfixionem teſtetur hiſtoria paſſionis Chriſti.

§. VI.

2) SURENHUSIUM quoque ad hanc Interpretum claſſem refert CARPZOVIUS *in Crit. S. p. 893.* & WOLFIUS *in Curis ad h. l. p. 986.* quando ſtatuere illum

z) Legi omnino merentur quædam loca Talmudica huc pertinentia, quæ ex antiquitate Judaica collegit CHRIST. BEN. MICHAELIS *in Diſſ. de Nominibus Chriſti divinam Ejus naturam deſignantibus p. 22.* De commento recentiorum Judæorum, qui *duos Meſſias* ſtatuunt, cf. ſupra *Alleg.* XXIII. §. XIII.

illum ajunt, quod LXX. Interpretes, verbum דָּקַר per κατωρχήσαντο interpretando, ac si scriptum esset דָּקַר, secuti in eo sint veterum hebræorum morem, quo hi, ad sensum allegoricum è sacris Litteris eliciendum, *litteras commutare* sueverint [a]). Sed recte LAMPIUS *in Comm. p. 633. not. x.* monet, *Surenhusium* non ipsismet LXX. hunc anagrammatismum tribuere, sed Interpreti cuidam christiano recentiori, quem putet ר in ר, & ר in ר mutasse, tum quod hebræos doctores imitari vellet, tum quod ita obviam ire vellet dubio, non Judæos, sed Romanos Christum transfixisse. Quo pacto utique *Surenhusius* ad eorum potius classem pertinet, qui lectionem κατωρχήσαντο non pro primitiva, sed noviter illata habent. Rectius 3) huc referuntur, qui cum CONR. KIRCHERO *in Concordd. V. T. Graecis*, MARCKIO *in Comm. ad h. l.* & LAMPIO *ad h. l.* statuunt, LXX. suo κατωρχήσαντο nil aliud innuere voluisse, quam *confossionem improprie intellectam*, aut *insultationis cum confossione nexum:* utrumque enim notare verbum דָּקַר, licet LXX. in eo peccaverint, quod absque necessitate pro sensu litterali substituerint metaphoricum. LAMPIUS præsertim hanc sententiam ornare studuit, provocans hoc fine *partim* ad loca Scripturæ, ubi quæcunque contumelia, verbis factisve illata, cum aculeo, telo, gladio pungente seu perfodiente conferatur, quoniam talia opprobria cor quasi transfigant, v. gr. Ps. LIX. 8. LXIV. 4. CXL. 3. *partim* ad loca, ubi hebræum נָקַב, quod alias *perforare* notet, significet *maledicere*, e. g. Lev. XXIV. 16. *partim* ad loca quædam scriptorum profanorum. Sed non opus erat tanto apparatu, cum hæc omnia facile concedi queant, nec tamen inde sequatur, LXX. hebræum דָּקַר hoc loco sensu metaphorico interpretari voluisse κατωρχήσαντο, cum illud alibi semper vertant per ἀποκεντεῖν, ἐκκεντεῖν, κατακεντεῖν, τιτρώσκειν, ἥτταν & semel per συμποδίζειν Zach. XIII. 3. דָּקַר autem semper per ὀρχεῖσθαι, σκιρτᾶν, ἐξάλλεσθαι, vel etiam προσπαίζειν.

§. VII.

Putem, clarum esse ex hactenus dictis, quod Interpretibus istis nulla, quæcunque tandem excogitetur, ratione tribui possit, illos verbum דָּקַר *ex industria* & *deliberato consilio* vertisse κατωρχήσαντο. Restat itaque, ut ב) iis nostrum calculum adjiciamus, qui *incuriae* ipsorum, aut *oculorum fallaciae* adscribunt, quicquid in vertendo peccatum hic ab ipsis fuit [b]). Exi-

a) Est hæc tertia Cabbalæ species, תְּמוּרָה dicta, de qua vid. WALTONUS *in Appar. Bibl. p. 308.* & GLASSIUS p. 435.

b) Sæpius id factum esse, dubio caret; quod ipsum in firmissimum alias exemplum producitur, quod Versio LXX. facta sit e textu hebræo iisdem characteribus descripto, quibus nos hodie utimur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0375
DFG

Existimamus scilicet, maximam litterarum hebraicarum ר & ר similitudinem, hincque oriundam eas permutandi facilitatem, τοῖς LXX. ut sæpe alias, ita & h. l. fraudi fuisse, ut pro דָּקָרוּ legerint יָרָדוּ. Conf. HOTTINGERI *Thes. Philol. p. 359.* ubi exemplis probat, multoties a LXX. erratum fuisse, commutando litteras ב & כ, כ & ב, נ & ג, ג & נ, ac præcipue ר & ד; quod posterius v. g. observare est, præter hunc nostrum locum, etiam Gen. III. 17. ubi בַּעֲבוּרֶךָ *propter te* verterunt ἐν τοῖς ἔργοις σου, quasi scriptum esset בעבודך c) *in opere tuo.* Subscribunt huic sententiæ post HIERONYMUM, cujus verba dabit MARCKIUS *ad h. l.* è Pontificiis SALMERO, CORN. *à* LAPIDE; è Reformatis DRUSIUS aliique; e Nostris WOLFIUS, BENGELIUS & alii.

§. VIII.

Progredimur nunc 2) ad *collationem Allegati Johannei cum textu hebraeo.* a) Videri possent LXX. prius dicti prophetici membrum וְהִבִּישׁוּ אֵלַי curatius vertisse, quam Johannes. *Illi* enim vertunt ad litteram καὶ ἐπιβλέψονται πρός με; apud *hunc* vero τῷ אֵלַי nil respondere videtur, cum simpliciter dicat ὄψονται, non addens εἰς ἐμέ. Sunt vero, qui α) se ad generale illud recipiant, quod Evangelistæ in citandis V. T. dictis de sensu magis verborum, quam de verbis ipsis solliciti fuerint. Sunt β) qui dicant, τὸ אֵלַי ab Johanne omissum esse, quia scopo Ejus præsenti non inservierit, ut qui non *priorem* partem hujus vaticinii de *aspectu*, sed *posteriorem* de *confossione* tunc temporis impletam esse asserere voluerit. Ita SCHERZERUS *in Diss. Cit. p. 14.* & RUSIUS *l. c. p. 1358.* Sunt γ) qui causam omissionis in eo quærant, quod apud Zachariam *Christus de se ipso* prædicet, fore aliquando, ut Judæi ipsum confossum respiciant: Johannes autem *de Jesu* historice narret, quod Judæi illum confossum conspexissent; ideirco enim ab Evangelista primam personam in tertiam commutandam, vel voculam μὲ omittendam fuisse. Ita SURENHUSIUS *in* Βιβλ. Κατ. *p. 382.* adstipulante BURKIO *in Gnom. ad Zach.* Sed quid? si nos δ) dicamus, præter necessitatem hoc modo vadimonium deseri, concedendo adversariis

c) Nescio, quomodo punctatam velit hanc vocem HOTTINGERUS. Nostra certe Lexica non exhibent nomen, cujus hæc esse possit in statu affixo forma, quæcunque tandem subjiciuntur vocales. Faceret huc quoque inprimis Num. XVI. 15. ubi חֲמוֹר *asinus* redditum fuit a LXX. per ἐπιθύμημα, quasi חֲמֹר scriptum fuisset. HIERONYMUS apud *Marckium* allegat 1 Sam. II. 18. ubi LXX. pro בַּד legerunt בַּר, id quod ipsi, non vertentes, etiam retinuerunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0376
DFG

riis, quod Johannes τὸ אֵלַי prorsus omiserit. Cum enim verbum ἐκκεντεῖν non cum præpositione εἰς, sed simpliciter cum accusativo construi soleat; Johannes autem dicat, εἰς ὃν ἐξεκέντησαν: certo certius est, præpositionem εἰς, quam adhibet, respondere hebraicæ, אֵל in אֵלַי, adeoque non cum ἐξεκέντησαν, sed cum ὄψονται construendam esse, ita ut locutio Evangelistæ concisa, si evolvatur, hoc dicat: Et respicient *ad* me, *ad* Eum, *quem* transfixerunt d). Sic egregie respondet in seqq. τὸ אֵת אֲשֶׁר & tertia persona in עָלָיו, quæ alias crucem figit Interpretibus, ut postea audiemus. Si enim אֵלַי vertas *ad me*, & deinceps אֵת אֲשֶׁר *eum, quem;* in promtu est ratio, cur Messias dicat: *& plangent super eo*, non *super me*, quia scilicet pronomini relativo *eum*, in אֵת אֲשֶׁר, ut quod non simpliciter accusativum notat, sed subjectum patiens simul significantius indigitat, velut si latine diceres *eum, qui;* magis congruum erat עָלָיו in tertia persona, quam עָלַי in prima, licet hoc melius respondisset τῷ אֵלַי, quod est remotius. cf. FRISCHMUTH *in Diss. mox cit. Cap. III. §. 18. sub fin.*

§. IX.

Quæritur autem b) num אֵת אֲשֶׁר Johannes recte interpretatus sit per simplicem accusativum ὅν? Nam α) Rabbini communiter illud *causaliter* exponunt, per *eo quod*, ut sensus sit: *& respicient ad me, eo quod transfixerunt;* quem eundem errorem etiam errarunt οἱ LXX. אֵת אֲשֶׁר vertentes per ἀνθ' ὧν. Sed recte illis regerit JOH. FRISCHMUTHUS *in Diss. ad h:l. de Messia confixo, eoque instar unigeniti plangendo, Cap. III. §. 19-22.* א) Utramque particulam אֵת atque אֲשֶׁר, seorsim spectatam, varios quidem in Scriptura sacra significatus sustinere; sed, si conjungantur, אֵת semper esse notam accusativi, & אֲשֶׁר semper habere significationem pronominis relativi, *quem, quam, quod;* nec ullum produci posse exemplum, ubi אֵת אֲשֶׁר significet *eo quod:* quin & eo ipso in loco, quem Judæorum aliqui in partes vocent, scil. Ezech. XXXVI. 27. וְעָשִׂיתִי אֵת אֲשֶׁר – בְּחֻקַּי תֵּלֵכוּ sensum hunc esse: Et faciam vos *tales*, *qui* in statutis meis ambuletis. Unde nata sit regula: Particula אֵת verbis activis subjuncta, & pronominibus præposita, est nota *accusativi*, quemadmodum passivis subjuncta, *nominativi*. Quodsi itaque Spiritus S. dicere voluisset *eo quod*, non dixisset אֵת אֲשֶׁר, quod v.g. Prov. III. 12. abs-

d) Itaque εἰς ὃν ἐξεκέντησαν simillima erit constructio illi, quæ apud eundem Johannem invenitur Cap. VI. 29. Τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ, ἵνα πιστεύητε εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος.

absque omni dubio significat *quem*; sed יַעַן, seu לְמַעַן אֲשֶׁר, vel בַּאֲשֶׁר, vel עַל אֲשֶׁר &c. γ) Si particulæ אֵת אֲשֶׁר causaliter vertendæ, neque illæ ad proxime præcedentem vocem אֵלַי referendæ essent, ut Judæi volunt, ne cogantur *objectum aspectus* simul pro *subjecto transfixo* agnoscere: haud dubie verbum דָּקָרוּ suffixum aliquod haberet: & vel ad mentem KIMCHII, qui transfixionem in textu memoratam de strage aliqua Judæorum accipit, dictum fuisset דְּקָרוּם, *transfixerunt illos*; vel secundum ABEN-ESRAM & ABARBANELEM, quibus *transfixus* est Messias, filius Josephi, in bello occubiturus, דְּקָרֻהוּ, *transfixerunt illum*. Cum vero simpliciter dicatur דָּקָרוּ, sine ullo suffixo; argumento id est, antecedentia אֵת אֲשֶׁר non *causaliter* esse accipienda, sed *relative*, & respicere vocem אֵלַי; consequenter etiam tam *intuitum* illum quam *transfossionem* ad *Eundem* referri debere, qui initio commatis effusionem Spiritus sui pollicetur, h. e. ad Deum, Messiam, quod ipsum tantopere aversantur Judæi.

§. X.

Sunt vero etiam β) inter Christianos, qui particulis אֵת אֲשֶׁר heic alienum significatum tribuant. Ita e. g. COCCEJUS illas vertit: *cum illo, quem* — ut sensus sit: Et respicient *ad me* (scil. Deum Patrem, quem ille hic loquentem intelligit) *cum illo, quem* transfoderunt; adeoque Deo hic jungatur Christus, ut Ps. II. 2. Joh. XVII. 3. Sed recte FAUSTO SOCINO, eandem interpretationem ex MARINI *Thes. novo Linguae S.* afferenti, respondit TARNOVIUS *de SS. Trinitate p. 316. & 325.* si id voluisset Deus, in hoc oraculo loquens, non dixisset אֵת אֲשֶׁר, sed אִתּוֹ אֲשֶׁר. Licet enim particula אֵת quandoque significet *cum*, v. g. 2 Sam. XV. 11. וְאֵת אַבְשָׁלוֹם & *cum Absalome* iverunt ducenti viri: אֵת tamen simpliciter positum nunquam significat *cum illo*. Cum itaque nulla alia particularum אֵת אֲשֶׁר significatio hic locum habeat, pro certo utique γ) statuere licet, Johannem recte illas vertisse per accusativum pronominis relativi, ὅν, ut nempe אֵת אֲשֶׁר *subjectum* notet, *quod* transfixum sit. cf. quæ paulo ante §. IX. ad litt. α) diximus.

§. XI.

Progredimur II. ad vindicias *applicationis* hujus oraculi ad Christum: ubi 1) *Judaei*, queis locus hic, Deum crucifixum prædicans, pridem sudes in oculis fuit, nullo non tempore in id allaborarunt, ut eum nobis eriperent, id vel maxime urgentes, quod ipsa loquendi ratio, qua Spiritus Sanctus in hoc dicto utitur, satis innuat, objectum aspectus non esse idem

cum

cum subjecto, quod transfixum est; seu *Deum*, qui loquatur in hoc oraculo, qui Spiritum gratiæ & precum promittat, quemque Judæi aspecturi esse dicantur, *alium* esse ab *eo*, qui *transfixus* audiat, quoniam *ille de se* loquatur in prima persona אֵלַי — שִׁפַּכְתִּי; de *hoc* vero in tertia persona sermo sit in verbis: & plangent עָלָיו *super eo*: cum ex mente christianorum, quibus Deus hic loquens idem sit cum transfixo, dici debuisset: plangent עָלַי *super me*, sicut antea dictum fuit: aspicient אֵלַי, *in me* c).

§. XII.

Potest ad hæc a) responderi, loqui in textu *distinctas personas*, ut *Dei* sint verba: & intuebuntur me, quem transfixerunt; prophetæ autem, qui continuet sermonem Dei, sequentia; & plangent super eo. Ita FRISCHMUTHUS *in Diss. cit. Cap. III. §. 10.* non improbante SCHERZERO *in Diss. cit. p. 14.* Ita enim alibi v. g. Jes. XXII. 19. postquam vates Deum introduxerat in prima persona loquentem, ipse mox, interpretaturus antecedens oraculum, de Deo loquitur in tertia persona: & *expellam* te statione tua, & de ministerio tuo *diruet* te. Quem idiotismum stili prophetici DAV. KIMCHI jam observavit, ac prophetis frequentatum agnovit. Vid. FRISCHMUTH *in Diss. cit. Cap. III. §. 9. 10.* Scite etiam VITRINGA *ad h. l.* annotat, pertinere hanc personarum permutationem *ad elegantiam orationis ecstaticae.* Responderi b) potest, ut sermo sacer generatim miris modis variet, ac peculiaris plane sit ipsius indoles & natura, quam ad alias linguas haud liceat exigere; ita etiam *personas* in idiomate hebræo sæpissime mutari, &, ipsismet Judæis testibus, scripturæ receptum esse, ut in una eademque periodo aliquis *de se* in *alia persona* loquatur, quam sermonem est auspicatus. v. g. Ps. LXXXI. 17. Jes. XXXIII. 2. XLII. 24. quem ad locum ipse KIMCHIUS sic commentatur: Ita fert mos scripturæ, ut sæpenumero in uno commate variatis suffixis vel pronominibus loquatur eadem significatione. cf. GLASSII *Philol. S. L. III. Tr. III. Can. L. p. 898. sqq. & L. IV. Tr. II. Obs. XVI. p. 1235. seq.* Addimus c) probe notandum esse, quod propheta ab אֵלַי ad עָלָיו, hoc est à prima ad tertiam personam, non progrediatur, nisi mediante pronomine relativo אֲשֶׁר, hocque ipso indigitet, non modo *idem* esse *subjectum*, *eandem personam*, de qua & in prima & in tertia sermo sit, sed etiam τὸ עָלָיו non referendum esse ad remotius illud אֵלַי, sed ad אֲשֶׁר, quippe quod propius est, & si vertatur: *eum*, *quem* — uti supra verti debere monuimus §. VIII. omnino in seqq. tertiam personam requirit.

e) Ex ipsis tamen etiam Judæis nonnullos de Messia hunc Zachariæ locum intellexisse, probat MICHAELIS *in Diss. cit.* Vide supra not. r.

§. XIII.

2) Altera classis adversariorum est eorum, qui prophetam nonnisi de *metaphorica & mediata transfossione* seu transfixione loqui, a Johanne vero illius verba ad Christum in cruce transfixum *mystice* tantum *accommodari* contendunt. Huc pertinent *Sociniani*, CALVINUS, GROTIUS, & alii, qui omnes pro metaphora pugnant, licet diverso scopo. Et quidem a) *Sociniani*, ne fateri necesse habeant, Messiam his in verbis loqui, Eumque per id, quod initio commatis & toto contextu antecedente de se dicit, Deum esse, transfossionem metaphoricam fingunt, eamque vel immediatam, vel mediatam: *immediatam*, qua Deus dicitur a Judæis jam tum, cum prophetia hæc ederetur, transfixus esse, quando malitiose se illi opposuerunt, & verbis & factis; cui deinceps ob applicationem ad Christum Joh. XIX. factam, addunt *mediatam* quoque, qua Deus dicatur transfixus esse, cum Christus in passione sua transfigeretur, vel *in specie*, quia Christus Legatus Dei fuerit, vel *in genere*, quia Deus ob unionem mysticam sibi illata reputet, quæ piis inferantur mala. Prius SMALCIO placuit, Deum, inquienti, natura talem, in Christo transfixum dici, quoniam ista contumelia, quæ *Legato Dei* inferebatur, in Dei ignominiam cesserit: Posterius VOLCKELIO, cujus in *L. V. de vera Relig. cap. 10. f. 443.* hæc sunt verba: Satis est id, quod Deus de se dixit, tunc impletum fuisse, cum Christus fuit transfixus, ita ut Deus in Christo, atque, ut ita dicam, *per latus Christi*, transfixus & confossus fuerit: Homines enim scelerati Christum transfigendo Deum ipsum transfixisse, haud aliter dici possunt ac illi, qui, Israëlitas tangendo, Dei oculi pupillam tangere Zach. II. 8. vel Paulus ecclesiam persequendo ipsum Christum persecutus esse dicebatur. Ita & SCHLICHTINGIUS, WOLZOGENIUS, aliique.

§. XIV.

b) CALVINUS pariter negat, locum Zachariæ *litteraliter* de Christo agere, & Evangelistam illum allegare tanquam vaticinium, quod tempore passionis sit impletum, sed in *sensu* tantum *accommodatitio* eum applicari ad id, quod Christus tum patiebatur, asserit. Verba ejus *in Comm. ad Joh. Cap. XIX.* hæc sunt: Locum hunc, qui secundum litteram de Christo exponere conantur, vehementer torquent. Nec vero in hunc finem ab Evangelista citatur, sed potius, ut ostendat, Christum esse Deum illum, qui olim conquestus fuit per Zachariam, sibi pectus a Judæis transfodi. Illic autem Deus hominum more loquitur, significans, perinde se vulnerari populi sceleribus, ac præsertim obstinato verbi sui contemtu, ut lethale est in homine mortali vulnus, cui cor est transfixum; sicut alibi dicit, Spiritum suum mœrore affectum esse. Jam quia Christus Deus est, in carne manifesta-

festatus, dicit Johannes, in visibili Ejus carne palam fuisse impletum, quod divina Ejus majestas, secundum rationem, qua pati poterat, passa fuerat à Judæis. Gemina habet *in Comm. ad Zach.* Nec in summa rei dissentit GROTIUS, tam *in annott. ad Zach.* ubi configere, inquit, dicuntur Deum, qui Eum probris lacessunt, nam & נָקַב, quod proprie est *perforare*, ponitur pro βλασφημεῖν Lev. XII. 11. Johannes autem μυστικῶς ad Christum hæc applicat: quam *in Annott. ad Joh.* ubi hæc quoque, ait, *tralatitie* dictum a Deo, de se contemto, evenit in Jesu κατὰ πόδα.

§. XV.

Sed audiamus jam quoque argumenta, quæ transfixioni huic mediatæ ac metaphoricæ solide opponi possunt: α) verbum דָּקַר nullibi in Vet. Test. metaphorice usurpatur, ita ut *configere* idem sit ac *probris lacessere*, uti GROTIUS vult, & *configi* idem, quod *mœrore affici*, uti CALVINUS putat; sed ubique sumitur proprie de *vi corpori illata*, eaque maximam partem *lethali*: dico, *maximam partem*; non enim nisi unus produci potest locus, ubi דָּקַר non præcise lethalem confossionem notat, sed vulnerationem tantum, scilicet Jer. XXXVII. 10. in quo ipso tamen æque proprie accipiendum est, ac in iis, ubi mortiferam transfossionem innuit, qui significatus indubie obtinet Num. XXV. 8. Jud. IX. 54. 1 Sam. XXXI. 4. Jes. XIII. 15. Jer. LI. 4. quin & apud ipsum Zachariam Cap. XIII. 3. Quod vero locum attinet Prov. XII. 18. ubi *verba maledica* dicuntur מְדָקְרוֹת חָרֶב, *punctura* seu *transfossiones gladii*, manifesta hic fit comparatio per præfixum כ similitudinis; neque adeo probari ex illo potest, verbum דָּקַר etiam absolute positum, ac sine ullo comparationis indicio, sensu metaphorico accipi posse. β) Non metaphoricam transfixionem, sed proprie sic dictam, eamque lethalem a Zacharia intelligi, ipse etiam *contextus* apud eundem docet. Dicitur enim confixus ille deplorandus esse tanquam unigenitus *demortuus*, eodem planctu, quo olim Judæi Regem Josiam, in bello *lethaliter transfixum*, prosecuti sunt 2 Chron. XXXV. 23. seqq. At, inquis, *proverbialis* tantum est *locutio*, qua luctus ob contumeliam Deo illatam cum luctu super morte filii unigeniti comparatur, adhibita saltim ad *exaggerandam* luctus *magnitudinem*, ut v. g. Jer. VI. 26. Amos. VIII. 10. non vero, quasi revera *mors transfixi* causa luctus futura sit. Resp. א) etiam istis in locis non excluditur, sed vel maxime etiam inter causas luctus comprehenditur occisio primogenitorum & unigenitorum, quæ in publicis ejusmodi calamitatibus gravissima luctus causa existere solet. ב) v. 11. Cap. XII. Zach. ubi luctus in valle Megiddo, super morte Josiæ, expressa mentio fit, satis condocet, non meram hic comparationem insti-

institui inter luctum & luctum, sed etiam innui, causam utrimque eandem esse, scilicet *transfixionem cum morte conjunctam.*

§. XVI.

γ) Cum Johannes vaticinium hoc Zachariæ dicat impletum fuisse in Christo, immo id, quod Christo crucifixo contigit, factum esse asserat, *ut impleretur illud;* utique propheta non de transfixione aliqua metaphorica, cujus Judæi suo jam tempore reos se fecerant, loqui censendus est, sed eam prædicere, in qua Johannes oraculum ejus impletum esse affirmat [f]). Cum nuda sane *accommodatione*, præter intentionem spiritus prophetici, talis loquendi ratio conciliari nequit. Si vero dicas, dari gradus implementi, quorum unusquisque a Spiritu S. intendi potuerit; verum id quidem est, sed ita, ut specie non differat una impletio ab altera: specie autem differunt transfixio *metaphorica & proprie talis.* δ) Licet contingat, *principalem* contemni, offendi, lædi moraliter in suo *ministro;* neutiquam tamen principalis ille Dominus censebitur ac dici poterit cæde istius crucifixus aut occisus. Saltim a stilo Scripturæ est remotissimum, statuere, Deum in suis ministris occidi, crucifigi, lapidari, gladio percuti. ε) Si Deus, personaliter spectatus, ut *Pater* Messiæ, in hoc transfixus dici potest, in eodem & dici poterit incarnatus, circumcisus, passus, mortuus, quod absurdum, & in *Patripassianis* pridem damnatum est. ζ) *Idem* est in textu, *qui* Spiritum gratiæ & precum promittit, *quem* intuituri dicuntur Judæi, & super *quo* ingens futurus esse prædicitur planctus. Si autem Deus statuatur in illo per latus Christi transfossus dici, idem etiam is erit, qui plangendus est, quod absonum. Non Deus ipse, secundum Socinianos, objectum planctus est, sed probrum, quo affecerunt Eum in Christo: Cur ergo dicitur עליו *super eo?* & cur additur: *tanquam super filio unigenito & primogenito?*

f) Nonnisi de Christo *litteraliter* & *unice* exponendam esse hanc prophetiam, contra GROTIUM asseruit quoque FRID. MAX. MAURITII *im Versuch einer Erklärung der schwehren Stelle Zach. XII. 11-14.* Vid. S. Rev. Dni. ERNESTI *Theol. Bibl. P. V. p. 764. sqq.*



INDEX

LOCORUM SCRIPTURÆ UTRIUSQUE TESTAMENTI QUORUM CONCILIATIO ET EXPLICATIO TOMO PRIMO CONTINETUR.

GEN. I. 27. ALLEG. XXI.
—— II. 24. —— XXII.
EXOD. III. 6. —— XXVII.
—— XII. 46. —— XLVI.
—— XVI. 4. 15. —— XXXVI.
DEUT. VI. 13. —— X.
—— — 16. —— IX.
—— VIII. 3. —— VII.
1 SAM. XXI. 6. —— XV.
PSALM. VIII. 3. —— XXV.
—— XXII. 19. —— XXXII.
—— XLI. 10. —— XLIII.
—— LXIX. 5. —— XLIV.
—— — 10. —— XXXV.
—— — 22. —— XLV.
—— LXXVIII. 2. —— XIX.
—— — 24. —— XXXVI.
—— LXXXII. 6. —— XL.
—— XCI. 11. 12. —— VIII.
—— CX. 1. —— XXVIII.
—— CXVIII. 22. 23. —— XXVI.
JES. VI. 9. 10. —— XVIII.
—— VII. 14. —— I.
—— VIII. 23. & IX. 1. —— XI.
—— XXIX. 13. —— XX.
—— XL. 3 — 5. —— VI.
—— XLII. 1 — 4. —— XVII.
—— LIII. 1. —— XLII.
—— — 4. —— XII.
—— — 12. —— XXXIII.
—— LIV. 13. —— XXXVII.
—— LVI. 7. —— XXIV.
—— LXI. 1. 2. —— XXXIV.

JER. VII. 11. ALLEG. XXIV.
—— XXXI. 15. —— IV.
DAN. IX. 27. —— XXIX.
HOS. VI. 6. —— XIII.
—— XI. 1. —— III.
MICH. V. 1. —— II.
ZACH. IX 10. —— XXIII.
—— XI. 12. 13. —— XXXI.
—— XII. 10. —— XLVII.
—— XIII. 7. —— XXX.
MAL. III. 1. —— XIV.
MATTH. I. 22. 23. —— I.
—— II. 5. 6. —— II.
—— — 15. —— III.
—— — 17. 18. —— IV.
—— — 23. —— V.
—— III. 3. —— VI.
—— IV. 4. —— VII.
—— — 6. —— VIII.
—— — 7. —— IX.
—— — 10. —— X.
—— — 14 — 16. —— XI.
—— VIII. 17. —— XII.
—— IX. 13. —— XIII.
—— XI. 10. —— XIV.
—— XII. 3. 4. —— XV.
—— — 5. 6. —— XVI.
—— — 7. —— XIII.
—— — 17 - 21. —— XVII.
—— XIII. 14. 15. —— XVIII.
—— — 35. —— XIX.
—— XV. 7 — 9. —— XX.
—— XIX. 4. —— XXI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0383
DFG

INDEX.

MATTH. XIX. 5. 6.
——— XXI. 4. 5.
——— — 13.
——— — 16.
——— — 42.
——— XXII. 31. 32.
——— — 43. 44.
——— XXIV. 15. 16.
——— XXVI. 31.
——— XXVII. 9. 10.
——— — 35.
MARC. I. 2.
——— — 3.
——— II. 25. 26.
——— IV. 12.
——— VII. 6. 7.
——— X. 6.
——— — 7. 8.
——— XI. 17.
——— XII. 10. 11.
——— — 26. 27.
——— — 36.
——— XIII. 14.
——— XIV. 27.
——— XV. 28.
LUC. III. 4 — 6.
——— IV. 4.
——— — 8.
——— — 10.
——— — 12.
——— — 17 — 21.
——— VI 3. 4.

ALLEG. XXII.
——— XXIII.
——— XXIV.
——— XXV.
——— XXVI.
——— XXVII.
——— XXVIII.
——— XXIX.
——— XXX.
——— XXXI.
——— XXXII.
——— XIV.
——— VI.
——— XV.
——— XVIII.
——— XX.
——— XXI.
——— XXII.
——— XXIV.
——— XXVI.
——— XXVII.
——— XXVIII.
——— XXIX.
——— XXX.
——— XXXIII.
——— VI.
——— VII.
——— X.
——— VIII.
——— IX.
——— XXXIV.
——— XV.

LUC. VII. 27.
——— VIII. 10.
——— XIX. 46.
——— XX. 17.
——— — 37. 38.
——— — 42. 43.
JOH. I. 23.
——— II. 17.
——— VI. 31.
——— — 45.
——— VII. 37. 38.
——— — 42.
——— X. 34.
——— XII. 14. 15.
——— — 34.
——— — 38.
——— — 39. 40.
——— XIII. 18.
——— XV. 25.
——— XIX. 24.
——— — 28. 29.
——— — 36.
——— — 37.
ACT. II. 34. 35.
——— IV. 11.
——— XXVIII. 25 — 27.
ROM. X 16.
1 COR. VI. 16.
EPH. V. 31. 32.
HEBR. I. 13.
1 PET. II. 7.
——— 24.

ALLEG. XIV.
——— XVIII.
——— XXIV.
——— XXVI.
——— XXVII.
——— XXVIII.
——— VI.
——— XXXV.
——— XXXVI.
——— XXXVII.
——— XXXVIII.
——— XXXIX.
——— XL.
——— XXIII.
——— XLI.
——— XLII.
——— XVIII.
——— XLIII.
——— XLIV.
——— XXXII.
——— XLV.
——— XLVI.
——— XLVII.
——— XXVIII.
——— XXVI.
——— XVIII.
——— XLII.
——— XXII.
——— XXIII.
——— XXVIII.
——— XXVI.
——— XII.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0384
DFG

CORRIGENDA.

Mem. Auct.

Col. 2. lin. 18. pro Hoffmanni lege *Hoffmanniana*. c. 3. l. ult. pro & leg. *ex*. c. 5. l. 24. post ut &c. leg. *Tubingam subinde reverteretur, &*. c. 6. l. 1. pro avocarent leg. *avocarant*. c. 8. l. 14. pro officii leg. *officio*.

Comment.

Pag. III. lin. 1. pro poterant lege *poterunt*. l. 27. pro facta leg. *fata*. p. XIII. l. 9. pro Matth. lege *Mich*. p. XXII. l. 35. post Alleg. leg. XII. p. XL. l. 19. pro probalia leg. *probabilia*. lin. 31. pro Arminianas leg. *Arminianos*. lin. 34. pro eadem leg. *eandem*. p. LIV. l. 2. pro omnis leg. *omnibus*. lin. 30. pro refuderat leg. *retuderat*.

Dem. Evang.

Pag. 13. lin. 18. pro parvum lege *parvam*. p. 25. l. 8. pro θετικὰ leg. σχετικὰ. p. 26. l. 6. pro γαὸν leg. λαὸν. p. 41. l. 9. pro JANSERUS leg. JANSENIUS. p. 44. l. 38. pro EPHORINUS leg. OPORINUS. p. 46. l. 29. pro RUBERTUS leg. RUPERTUS. p. 101. l. 12. pro יְכַבֶּנּוּ leg. יְכַבֶּנָּה. p. 107. l. 34. pro Tom. leg. *Rom*. p. 114. l. 9. pro quos leg. *quo*. p. 115. l. 17. pro nota leg. *notat*. p. 118. lin. 6. pro postulum leg. *populum*. p. 128. l. antepen. pro suis leg. *his*. p. 151. l. 5. pro HODIS leg. HODY. p. 152. l. 8. pro Mos leg. Eos. p. 157. l. ult. post DEYLINGIUS adde *in Obss. Sacr. P. III. Obs. XIV.* p. 167. l. 25. pro Propheta leg. *Prophetæ*. p. 190. l. 16. pro pautem leg. *putem*. p. 251. l. 16. pro a Johanne leg. *Johannes*. p. 275. lin. 25. pro ipso lege *ipso, ut*. p. 285. l. 7. pro hæc leg. *hoc*.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1697821324/phys_0385
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0389
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697821324/phys_0390
DFG

nnes τὸ אֵלַי prorsus omiserit. Cum enim verbum ἐκκεντεῖν
itione εἰς, sed simpliciter cum accusativo construi soleat;
dicat, εἰς ὃν ἐξεκέντησαν: certo certius est, præpositionem
et, respondere hebraicæ, אֶל in אֵלַי, adeoque non cum
cum ὄψονται construendam esse, ita ut locutio Evangeli-
volvatur, hoc dicat: Et respicient *ad* me, *ad* Eum, *quem*
. Sic egregie respondet in seqq. τὸ אֵת אֲשֶׁר & tertia per-
æ alias crucem figit Interpretibus, ut postea audiemus.
tas *ad me*, & deinceps אֵת אֲשֶׁר *eum, quem*; in promtu est ra-
dicat: *& plangent super eo*, non *super me*, quia scilicet pro-
eum, in אֵת אֲשֶׁר, ut quod non simpliciter accusativum no-
m patiens simul significantius indigitat, velut si latine di-
magis congruum erat עָלָיו in tertia persona, quam עָלַי in
melius respondisset τῷ אֵלַי, quod est remotius. cf. FRISCH-
ox cit. Cap. III. §. 18. sub fin.

§. IX.

utem b) num אֵת אֲשֶׁר Johannes recte interpretatus sit per
sativum ὅν? Nam α) Rabbini communiter illud *causaliter*
o quod, ut sensus sit: *& respicient ad me, eo quod transfixerunt;*
errorem etiam errarunt οἱ LXX. אֵת אֲשֶׁר vertentes per ἀνθ'
llis regerit JOH. FRISCHMUTHUS *in Diss. ad h:l. de Messia con-*
unigeniti plangendo, Cap. III. §. 19-22. א) Utramque parti-
e אֲשֶׁר, seorsim spectatam, varios quidem in Scriptura sa-
sustinere; sed, si conjungantur, אֵת semper esse notam ac-
אֲ semper habere significationem pronominis relativi, *quem*,
c ullum produci posse exemplum, ubi אֵת אֲשֶׁר significet *eo*
eo ipso in loco, quem Judæorum aliqui in partes vocent,
XVI. 27. וְעָשִׂיתִי אֵת אֲשֶׁר – בְּחֻקַּי תֵּלֵכוּ sensum hunc esse: Et fa-
qui in statutis meis ambuletis. Unde nata sit regula: Par-
s activis subjuncta, & pronominibus præposita, est nota *ac-*
lmodum passivis subjuncta, *nominativi*. Quodsi itaque Spi-
voluisset *eo quod*, non dixisset אֵת אֲשֶׁר, quod v.g. Prov. III. 12.
abs-

ἐξεκέντησαν similima erit constructio illi, quæ apud eundem Johannem inve-
29. Τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ, ἵνα πιστεύητε εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος.